MEDICI
ANTIQVI GRÆCI
ARETAEVS, PALLADIVS RVFFVS, THEOPHILVS:
Physici & Chirurgi.

Partim nunquam, partim anteà, sed nunc auctiores editi.

Omnes à

IVNIO PAVLO Crasso Medico & Professore Patauino Latio donati.

Quibus accesserunt Stephanus Athen. & ipsius Crassi Quæstiones Medicæ & Naturales.







BASILEAE.


Ex officina Petri Pernæ

Cum Grat. & Priuilegio S. Cæs. Maiest.

Anno M D LXXXI.







Serenissimo
FRANCISCO ME-
DICI MAGNO ETRV-
RIAE DVCI,

CELSVS CRASSVS S. D.



RATVLANDVM ætati nostræ puto, Sereniss. Princeps, quòd literarum studia, quæ fatalis quædam barbaries superioribus seculis defedauerat, ita culta atq; illustrata videamus, vt sperandum sit, si res procedat, vt cœpit, fore aliquando, vt ad vetera illa tempora quamproximè accedat. Nam vt de reliquis taceam, quod res ipsa loquitur, Medicinam nobilissimam artem, vitæq; humanæ adeo necessariam ex captionum quorundam inutilium senticetis extractam præstantium virorum opera atque industria, quanto puriorem habeamus, atq; nitidiorem, nihil attinet dicere. Ex omnibus verò qui in tam vtili labore alius alia ratione desudarunt, non postremum locum ij obtinere mihi videntur, qui ad veteres scriptores vel emendandos atq; illustrãdos, vel in latinũ sermonem conuertẽdos industriam suam contulerunt: & fortasse si rem quis diligẽtius expendat, vt non adeo speciosam, vtiliorem certè illos rei medicæ nauasse operam comperiet. cùm enim medicinam vt reliquas ferè omnes disciplinas antiquitati acceptam refe-

ramus, quam facile, aut omnino quo modo ad illius cognitionem peruenire se posse quis speret, nisi priscis illis doctissimis viris ducibus, qui & ipsi tam nobilis artis, cum humani ingenij viribus superiorem iudicaret, Deos auctores agnoscebant? In his qui in hanc curam incubuerunt fuit pater meus, Iunius Paulus, qui quantum à medicina facienda, & illius professione otij dabatur, in publicam semper vtilitatem libentissimè contulit. & quanquam, non hac parte tantùm, illustrandis scilicet veteribus autoribus, medicinæ iuuandæ desiderio tenebatur, sed et alia quædam ex suo deprompta ingenio litteris mandauerat, hæc tamen, vt etiam eruditæ, in libros Theophrasti de Stirpibus, qui ex multis nobilissimi philosophi scriptis mendosissimi nobis ferè supersunt, Annotationes, inchoata atque impolita illius & publicis & priuatis occupationibus remanserunt. Inueni tantùm inter illius scripta, libros hos veterum Medicorum, cæteros quidem olim in latinam linguam ab ipso translatos, sed maturius posteà & diligentius emendatos: Palladij verò scriptoris græci, nunquam editos, in librum VI. Hippocratis de Morbis in populum grassantibus, & in librum de Articulis, non inutiles comentarios, quos latinos fecit paulò antequam decederet è vita. Huius autoris editionem debebunt aliqua ex parte studiosi Hier. Mercuriali excellentissimo medico, eidemq; viro eruditissimo, qui illum ex V. C. Io. Sambuci bibliotheca desumptum, quam non tam sibi, quàm publicæ vtilitati habet instructissimam, Vienna annis superioribus attulit, Patriq; meo communicauit. Addita sunt alia nonnulla, & medicis ipsis vtilia, & his qui rerum cognitione delectantur, non iniucũda. Quæ omnia in lucem emissurus, Serenisß. Princeps, nomini tuo illustrissimo consecrare volui. Quod si ad aliquem Principem monumenta doctorum hominum

num mittenda sunt, tibi potissimum deberi iudicem, ijs orto maioribus, quorum ope & liberalitate literarum studia prope extincta, in Italia nostra tempestate reuixerunt. noti sunt illi Heroes, Laurentius, Leo, Clemens. Cosmi celebrantur: Academia constituta: libri vndiq; conquisiti: viri docti summis præmijs accersiti: qui vestram florentissimam familiam immortalitati commendarunt. Accedit quod meæ in vestram Serenitatem perpetuò propensæ voluntati satisfacere videbar, quam non ignoro mihi cum multis esse communem. Quis eum Principem non colat, qui patri maximo & spectatissimo viro à ciuibus suis ad ciuitatis gubernaculum atq; imperium euecto, vndequaque similis, tanta prudentia, iustitia, comitate, atque clementia Reip. suæ consulat? Declarauit id Maximiliani Cæsaris sapientissimi de tua eximia virtute iudicium, cùm te, decreto honorificentissimo Magnum Etruriæ Ducem appellauit: quo honoris titulo anteà Pius V. Pontifex Max. & Sanctissimus, Cosmum patrem tuum honestauerat. Te itaque oro, Serenissime Princeps, vt hoc exiguum sanè munus, ab homine tamen Serenitati tuæ addictissimo profectum, ea humanitate, qua literatorum hominum fructus soles, accipere velis,

TYPOGRAPHUS LECTORI S.



INIME opus esse puto, amice Lector, vt multis tibi verbis probare coner, quantopere studuerim pro viribus rem literariam tuaque studia iuuare. Satis enim id ipsa res, & in omni scientiarum atque artium genere editi à nobis libri vtilissimi demonstrant. Operam certè dedi sedulò (neque aliud nunc etiam ago) vt optimos quosque libros, veterum præsertim auctorum, conquirerem, tibique vtendos exhiberem. Magna ob id voluptate affectus sum, quãdo auctore & hortatore D. Hieronymo Mercuriale Philosopho & Medico celeberrimo, Celsus Crassus, Græcos aliquot Medicos, quos in præsentia tibi repręsentamus, ad me misit. Non enim dubitare potui, quin eorum publicatione publicè omnium bonorum fauorem promeriturus essem, propter incredibilem scilicet fructum, quem ex eorum lectione artis Medicæ studiosi hausturi videntur. Ediderat iam antè Iunius Paulus Crassus Aretæum à se è Græco in Latinum versum, Venetijs: nunc verò, ipse ante obitum recognitum, & multis capitibus ex Græco exemplari auctum, vnà cum Ruffo Ephesio, (vt in præfatione scribit) filius eius Celsus alijs quibusdam adiectis, non minus vtilibus & præstantibus libris, item à patre versis, ad nos misit. Nolo ea tibi hoc quidem in loco pluribus commendare, ne sutor vltra crepitam audire cogar. Hoc tantùm dicere debeo, me in eis excudendis, quæ integra fuerunt, summa vsum esse diligentia & fide, vt quantum fieri potuit, quam emendatissima in lucem venirent. Quæ manca habui, ideo publicare nunc nolui, quòd in spem certam veni, breui admodum fore, vt perficiantur: & vt ita fiat, nec labori nec sumptibus vllis parcam. Coniunximus cæteris Stephanum Atheniensem non ob aliam causam, quàm vt

vno

vno comprehenſa volumine Medica Græcorum opuſcula, quæ inuenire potuimus, tibi hoc tempore daremus.

Quinam illorum auctores fuerint, quaq; ætate vixerint, nondum ſatis compertum habeo. Ruffum Ephesium Galeno antiquiorem eſſe, ex eo manifeſtum eſt, quod eum nominat aliquoties, atque etiam laudat. Quippe neminem de atra bile accuratius ac melius ſcripſiſſe ait Ruffo. Floruit circa Traiani Adrianique Cęſarum tempora. Arethæus Galeno poſterior fuiſſe videtur, vt cuius nulla inueniatur in Galeni libris mētio. Equidē ea eſt doctrina huius viri, vt veriſimile ſit, Galenum, ſi eius ſcripta vidiſſet, ſine mentione aliqua præteriturum non fuiſſe. Meminerunt eius tum Paulus Aegineta & Aëtius: vnde certa ſatis coniectura colligi poteſt, quo tempore ſcripſerit. Hippocratem quidem citat teſtem, eiuſque dicendi formam feliciter ſatis imitatur, ſed liberè interim ab eo diſſentit aliquando, ſicut & ab Ariſtotele nonnunquam recedit. Reliqui poſt hos floruerunt, & recentiores quidem ſunt, ſed doctrina tamen veteribus nequaquam cedunt. Verùm hac de re nimis multa fortaſſe dixi. Qui legere & expendere volet, rectius me iudicabit. Mihi hoc ſolùm fuit propoſitum monere, me vtiliſſimum opus, imò præclarum theſaurum Medicis offerre, in eoque exprimendo non tam meis, quàm tuis commodis ſtuduiſſe. Dabo etiam in poſterū operam, vt quæ adhuc latent huius generis ſcripta, tibi liberaliter communicem.

Vale.

IVNIVS PAVLVS CRASSVS ERVDITIS LECTORIBVS S. P. D.



B HINC triennium Aretæũ medicũ veterem, & eximium, Ruffumq́; de corporis humani partibus ſcribentem, latinos pro viribus fecimus, ſed nobis ob græcorum codicũ innumerabiles ferè mendas planè ſatisfacere non potuimus. nosq́; in multis lapsos eſſe pro certo habuimus, propterea fidelius aliquod exẽplar mirificè expetebamus: & diligenter bibliothecas omnes, quascunque potuimus, ſcrutati ſumus, & ab amicis requiſiuimus. Demum Aretæi græcum librum Pariſijs excuſum, multo noſtris manuſcriptis codicibus emendatiorẽ, & quinque capitibus auctiorem inuenimus, atque continuò verſionem noſtram cum illo contulimus, eamq́; multis in locis emaculauimus & longè caſtigatiorem, clarioremq́; reddidimus, verùm cum id opus ego iam moliri conſtituiſſem à medico quodam Gallo, viro, vt conijcere licuit, non ineruditio dudum factum fuiſſe cognouimus, quod ipſe non detrahendi nobis ſtudio ſe feciſſe teſtatur, ſed vt admoneret & ad inchoatum opus elimandum, abſoluendumq́; incitaret. Me præterea bonũ interpretẽ appellare nõ recuſauit: & à noſtra verſione, quã ipſe doctam meditationẽ vocat, ſe in edendis græcis nõ mediocriter fuiſſe adiutum confitetur. Hiſce quidem verbis amicum erga nos animum præ ſe tulit, ſed amici operam nequaquam exhibuit. Quapropter ipſi ego ob bona verba gratias agere non debeo, cum opus verbis repugnare cognouerim vt in Aeſopi apologo lignatori vulpecula reſpõdit. Nam ſi amico in me animo fuiſſet, me per literas commonefacere, & nonnulla errata mihi detegere, neq; ea prius, quàm à me reſponſionem acciperet, vulgo patefacere debuit. Ego enim aut me purgaſſem ac errorum mihi obiectorum rationem attuliſſem: aut ſi exſacuri non potuiſſent, eos ingenuè (qui meus eſt animi candor) amico faſſus eſſem,

meq́ ad castigationem parauissem. Sed illud profectò, quod plerisque hominibus accidere consueuit, hominem impulit, vt in alienam segetem falcem immitteret. Studium videlicet captandæ gloriolæ, & alienis detegendis vitijs. (quo nihil facilius ac iucundius esse potest) ostentandi ingenij affectatio. Cæterùm ex illis, quos mihi obiecit, erroribus, æquus iudex plerosque græcorum exemplarium deprauatorum causa fuisse commissos animaduertet: nonnullos verò neutiquam errores appellandos, sed eadem sententia cum sit, verbis tantùm nostram ab eius versione differre: Quasdam autem particulas, quæ à nobis rectè versæ fuerant, ab ipso, (eius pace dixerim) corruptas fuisse comperiet. In quibusdam vtiq́ nos, minus diligenter præ nimia festinatione rem considerantes, fuisse deceptos, haud dubiè fatemur. neque enim sapiens, qui nunquam, sed qui rarius labitur, vocãdus est. atque vt dici vulgò solet: Quandoque bonus dormitat Homerus, *admodumq́ue facilè est inuentis addere, sed inuenire ac perficere longè difficile. At huic nostro interpreti id, quòd & cæteris mortalibus, obtigisse video, à tergo videlicet manticã non reuocauit: & qui in alienis deprehendendis peccatis lynceũ se gessit, in suis agnoscendis talpæ similis cæcutiuit. vt ex quinque capitibus Aretæo additis, ab vtroque nostrum in latinum sermonem versis vnusquisque, si comparauerit, facilè percepturus est. Neque enim ego singula (vt ipse fecit) recensendo tempus conterere volui, sed omnia diligentis, atque ingenui lectoris iudicio permittere malui. Accipite igitur benigni lectores, qui veterũ autorum lectione delectamini, Aretæũ ac Ruffum, quàm diligentissimè ab erroribus purgatos & ampliores factos: Insuper & auctarium, diuini scilicet Hippocratis, perbreuem quidem, sed planè aureum atq́ ediscendum libellum de purgatorijs medicinis, quem multis antè annis verteramus, sed nunc accuratius relectum multò meliorẽ reddidimus neq́ in futurum vnquam à iuuanda posteritate vllis laboribus deterrebimur, vbicunq́ ei nos prodesse cognouerimus. Valete. MDLV.*

ARETAEI CAPPADOCIS MEDICI INSIGNIS DE CAVSIS ET SIGNIS ACVTORVM MORBORVM

Liber Primus sine principio.

Iunio Paulo Crasso Patauino Interprete.

Hæc sunt integri Libri Capita. Ex quibus prima quatuor perierunt.

De causis & signis accessionis morbi comitialis. Cap. V. sine principio.

hebetudines, vertigines, tendonum grauitates, venarum colli repletiones & distentiones. nausea frequentiùs quidem à cibis, non minimè tamen & ab inedia pusilla quædá nausea sequitur, & vberior pituitæ fit vomitus. paucis assumptis cibis fastidiũt, & crudi sunt. flatibus replentur: præcordia elata habent. Hæc sanè perpetuò comitantur. Cùm verò accessio appropinquat, splẽ dores quidam purpurei, aut nigri, aut omnes vnà permixti ob oculos in orbẽ versantur, ac discurrũt: vt quæ in cælo fit Iris, prætenta esse videatur. fœdum odorem sentiunt: aures sonant, iracundi fiunt: bilis præter rationem accenditur. Quidá sanè nulla de causa, quá ob animi angorẽ, ceciderunt: aliqui intentè fluminis decursum, aut rotam, quæ circumuoluitur, aut turbinem, qui in orbẽ agitur, conspicati: alios autem rerũ graueolentium, vt gagatis lapidis odoratus prostrauit. His vtique in capite vitium inhæsit, atque inde noxam inferens ortũ habet. Nonnullos verò & corripit à neruis procul à capite positis incipiens, quicũque principium in consensum affectus inducunt. Itaque magni-

manuum, aut pedum digiti conuelluntur: vnde & dolor, & stupor, & tremor sequũtur. atque hæc in caput impetum faciunt, si & malum surrepens caput iuuasit. His porrò fragor quidam redditur perinde, ac si ab ligno, aut lapide verberentur. cumque ab humo surrexerunt, quædam tanquam si ex insidijs vapulassent, commemorant, hoc sanè pacto illi, quibus primò id malum incidit, decipiuntur. Quibus verò familiare & consuetum est, simul atque morbus in digitum impetum dedit, aut alicunde exortum est. vsitatos, qui adsunt, adiutores inclamant, futuram ab experimento calamitatem prospicientes. obsecrant quoq; vt membra vnde oritur, constringant, reflectant, dirigant. quinetiam ipsimet sibijpsis affecta membra, tanquam inde morbum eximentes trahunt velluntque, atque ita sibimet auxiliantes, nonnunquá &* nos ad ægritudinis notitiá impulerunt. Nonnullos vtiq; ceu inuadente fera pauor corripuit, aut adumbrationis opinio incessit atque ita prociderunt. At in ipso morbi insultu sensibus captus homo iacet: manus ipsi neruorum distentione conuelluntur. crura verò non solùm distracta sunt, sed etiam huc atque illuc à tendonibus proijciuntur. Id genus calamitas iugulatis tauris haud absimilis est: ceruix incuruatur, caput variè distorquetur. siquidem nonnunquam pronum, ceu arcus, inflectitur, quando pectori maxilla adhæreſcit: nonnunquam verò in scapulas refringitur: veluti his, qui per vim crinibus trahuntur, vsu venit. quando modò in hanc, modò in illam partem ad humeros admouetur. Sic laborãtes magno hiatu os aperiunt: id siccum habent, linguá prælongam: vt periculum sit, ne aut magno vulnere sauciëtur, aut penitus abscindatur. Interdum conuulsione dentes inter se colliduntur: oculi inuersi sunt: palpebrę cum palpitatione frequenter dehiscũt. quòd siquando conniuêre velint, palpebræ non committuntur, sed alba oculorum cernuntur, ac subapparent. Supercilia nonnunquam, vt his, qui ad iram concitantur, in glabellam attrahuntur nonnunquam ad tempora vehementer admodum reuelluntur, vt cutis circa frontem valde prætenta sit, atque in superciliorum medio rugæ euanuerint. Malæ ruentes palpitant. Labia interdũ quidem in acutum clauduntur, interdum verò ad obliqua dilatantur: quando in ridentis speciem dentibus circuntenduntur. Malæ rubent quidem, sed cùm morbus increuit, & faciei liuor accedit: ceruicis vasa distenduntur: vox, vt in strangulatu, aufertur: etiam si vehementer inclames, non sentiunt. eorum vox nihil nisi gemitus & suspirium est, respiratio verò suffocatio quædam est, veluti in his, qui laqueo strangulantur. Inter initia arteriarum motus vehementes sunt, & celeres, & parui: in fine verò

* Eo die accessionem repulerunt.

magni

magni, tardi, & languentes: in vniuersum autem ordine carentes. Penis quoque arrectio sequitur. Hæc vtique circa accessionis finem patiuntur. Vbi ad mali remissionẽ perueniunt, tunc sponte vrinam reddunt, aluus fluit: nonnullis etiã adstrictis compressisque vasculis genitura excernitur. id verò & dolore irritante, & humiditate erumpente accidere potest. siquidẽ & istis neruorum dolores fiunt. Ad hæc os vehementer humidum habent: pituitam multam, crassam & frigidam: eam si trahas in longum, veluti filum, ipsius multitudinẽ deduces. Porrò si temporis longitudine, & laboris vehementia, quæ intra pectus sunt, ferbuerint, spiritus verò intus coercitus omnia concusserit, eorundẽ quoq; & conuulsio & perturbatio sequatur: humorũ autem fluctuatio ad spirandi vias, os scilicet ac nares, spiritum cum humore difflauerit, præcedens strangulatio iam in omnibus remittere videtur. Quinetiam, vt magnis procellis concitatum mare, spumam ore profundunt: quando & tanquam iamdudum expulso morbo resipscunt, & resurgunt. Cæterùm cùm à morbo quiescunt, ab initio membris segnes sunt: capitis grauitate premuntur: dissoluti sunt, languidi, pallentes: consternati animo ob lassitudinem morbique verecundiam contristantur.

De Tetano, seu Rigore. Cap. VI.

TEtani musculorum in maxillis tendonũ distentiones sunt dolorem quidem magnum inferentes, celerrimè verò necantes, haud facilè quoque sanabiles hi sunt affectus. At noxæ ab hoc malo cum omni corpore communicantur: omnia enim cum principiorum vitijs consentiunt. Species verò conuulsionis tres sunt, cum rectum corpus riget, aut retrorsum flectitur, aut prorsus versùs incuruatur. Recto quidem corpore Tetanus dicitur, cùm neutram in partem detortus homo, atque inflexilis contentus est. At conuulsiones, quæ retrorsũ, aut in priorem partem fiunt, à tentione & loco nomenclaturam accipiunt. Nam in auersam partem ægrotantis reclinationẽ Opisthotonon vocamus, neruis, qui eò loci sunt, malè affectis: Emprosthotonon autem, si in priorem partem homo deflectitur, neruis anterius positis laborantibus. Tonus enim neruorum, tentionisque vocabulum est. Causæ autem istorum infinitę sunt: nam ob vulnera fieri solent, membrana aut musculis aut neruis punctis, ex quo plerunque moriuntur. A vulnere enim conuulsio lethale est. Cõuellitur autem & ex aborsu mulier: verùm & hæc rarò admodũ euadit. & ab aliquo vehementi ceruicis ictu nonnulli conuelluntur: Et frigus longè excellens horum vitiorum causa esse potest. Quapropter hyems omnium maximè horum vitiorum ferax est

secundo loco ver & autumnus, æstas autem minimè, nisi vulnus præcesserit, aut peregrini morbi grassentur in vulgus. Mulieres sanè magis, quàm viri, neruorum distentione tentantur: frigidæ enim sunt. verùm ipsæ frequentius liberantur, quoniam humidæ sunt. Quantum ad ætates attinet, pueri assiduè hoc morbo vexantur: sed non facilius pereūt, quod illis vsitatū & familiare id vitium sit. Iuuenes aūt rarius, quàm pueri, id patiuntur: sed crebrius intereunt: viri minimè. At senes inter omnes magis & eo vitio corripiuntur, & eo necantur. In causa est frigiditas & ariditas senectæ, & mortis hæc est natura. Cæterùm si frigiditas cum humido coniungatur, minus noxiæ sunt conuulsiones, minùsque ab ipsis discrimen impendet. Affectus hos ista comitantur, * omnes subitò atque affatim corripiunt, dolor, labor & intentio tendonum adest & dorsi, & musculorum qui in maxillis & pectore sunt. Inferiorem enim maxillam superiori annectunt adeò, vt neque vectibus, aut cuneis per Iouē facilè diduci possint. Quòd si qs videntes abducens humorem instillauerit, non demittunt, sed effundunt, aut ore cōtinent, in narésue retrudunt. Isthmus enim simul inhærescit, ac tonsillæ duræ atque intentæ eius, quod deuoratur, impressioni nō cedūt. Facies est rubida, variegata, oculi ferme rigētes. qui vix circumuoluātur, strāgulatio vehemēs, spiratio vitiosa, manuum crurumque distentio, musculi palpitantes, facies varijs modis distorta, buccæ & labia tremunt, maxillæ quatiuntur, dentes strident. In alio verò quodam & aures mouebantur, Ego sanè vidi, & miratus sui, lotium * supprimi vsque ad insignem meiendi difficultatem, aut sponte * effundi, cùm vesica * premeretur. Hæc vtique omnibus conuulsionis generibus communia: propria verò cuiusque hæc sunt, Tetani quidem in rectum totius distentio, nullam prorsus in partem detorta, neque declinans. recta quoque sunt crura & manus. Opisthotonus verò retrorsū incuruat hominem, vt reflexum caput inter scapulas locetur, guttur extat: maxilla inferior plerunque dehiscit, & rarò cum superiore committitur. in respirando stertunt, venter & pectus prominent, lotium his minus contineri potest, abdomen intentum est, & si percutias, resonans. manus retrorsum extentione detorquentur, crura inflectuntur, nā econtrariò ac poplites vitiosè admodum curuantur. At si in priorem partem contrahūtur, conuexa quidē his terga sunt æqualiter cū parte pectori opposita, quam Metaphrenon Græci appellant. coxendicibus extra pulsis, dorsum totum rectum est, vertex caputque in pectus vergunt: mentum ossibus pectoris affigitur; manus consertæ sunt & cohærentes, crura extenta. Dolores omnium atroces, vox omnium flebilis, suspirant autē mus

vt collectum de omnibus sit.

* *supprimitur*

* *effunditur.*

* *premitur.*

ſantes profundius. Si pectus & ſpiritum morbus occupauerit, facilè migrant è vita. Bonum quidem ægrotanti, quòd laborib9, diſtortione, turpitudine que liberatur. præſentibus quoque hominibus minus triſte, ſeu filius, ſeu pater ſit. Verùm ſi in vita adhuc perdurent, ſpiritu licet vitiato, nihilominus permanente, prorſum verſus non arcus modo inſtar, verùm & orbis incuruātur: vt caput genibus adnexū habeant, cruraque ad terga in priorem partem refracta ſint adeo, vt genu articulus in poplitem depulſus eſſe videatur. Inhumana calamitas, iniucundus aſpectus, triſte intuenti ſpectaculū, & malum inſanabile: ob inuerſionē autē vel ab amiciſſimis hominibus nō agnoſcuntur. Votū quoq; illis qui adſūt prius impiū nūc honeſtè efficitur, ægrū vita defungi, quo vnà cū vita doloribus & acerbis malis liberetur. Quinetiam neque medicus pręſens atque aſpiciens, ad vitā, aut ad doloris leuamen, aut ad figuræ emendationem quicquā opis afferre poteſt. Nā ſi membra dirigere relit, viuentem ſanè hominem diſtraxerit diſcerpſeritque. Igitur victus à morbo nihil vltra ſubueniens contriſtatur duntaxat. Hæc verò eſt medici magna infelicitas.

De Angina. *Cap. VII.*

ANgina peracutus affectus eſt. ſpiritus enim compreſſio eſt. Duę verò eius ſpecies ſunt: aut enim inſtrumentorum ſpirandi phlegmone eſt, aut ſolius ſpiritus in ſeipſo cauſam habentis affectus. Inſtrumentorum quidem tonſillarum, epiglottidis, faucium, columellæ, ſummæ arteriæ. Quòd ſi depaſcitur phlegmone, etiam linguæ & maxillarum interius: cùm ob phlegmones excellentem magnitudinem linguam extra dentes proferunt. oris enim cauernam implet, & ipſius quod abundat, extra dentes exeritur. Hoc malum Synanche gręcè, Angina latinè, & Cynanche, id eſt, Canina angina nominatur: aut quoniam huiuſmodi animalia aſſiduè hoc malo vexantur, aut quòd etiam ſana linguam exerere conſueuerunt. Alteri autem generi contraria eueniunt, inſtrumentorum collapſio, & * ſingulorum naturæ inſignis macies, & ſtrangulatio vehemens: vt ipſiſmet in pectore latentioribusque partibus, circum cor atque pulmones abdita eſſe inflammatio videatur. Anginam hanc appellamus, quaſi interius vergentem, atque angentem. Ego verò exiſtimo ipſius ſolius ſpiritus id vitium eſſe, praua conuerſione ad calidiſſimum ſicciſſimumque conuerſi, nulla corporis parte inflammatione laborante. Id autem mirandum non eſt: nam in * Charonæis ſtrangulatus citra vllum corporis affectum acutiſſimi contingunt: immò vel vnica inſpiratione prius, quàm corpus aliquod malefici-

* *pro ſingulorum naturæ maior macies.*

* *Coronæis.*

um contrahat, homines moriuntur. Quin etiam & à rabido cane, qui in faciem, dum spiritus adducitur, tantummodo inspirauerit, & nullo pacto momorderit, in rabiem homo agitur. Talem igitur respirationis mutationẽ interius fieri haud est ex his, quæ fieri nequeant: quandoquidem & alia infinita eorum, quæ in homine sunt, eandem speciem cũ exterioribus causis obtinent. succi perdentes intra corpus sunt, & exterius. morbi quoque medicamentis perniciosis assimiles, & à medicamentis talia vomũt, qualia ob febres vomere solẽt. Quocircà neque à ratione alienũ est in pestilentia, quæ Athenas afflixit, nonnullos existimasse in puteos Piræi à Peloponnensibus venena fuisse coniecta. Homines enim pestilentis morbi cũ lethalibus medicamentis similitudinem ignorabant. Adest sanè Canis angina laborantibus tonsillarum, fauciũ, totius oris inflammatio: lingua extrà dentes & labia prominẽs: saliua effunditur: pituita crassissima ac frigida defluit: facies rubicunda & inflata est: oculi exerti, patentes, valde rubent: potus in nares refunditur: dolores acerbi sunt, sed etiam strangulatione simul vexati eos obscurius sentiunt: pectus & cor ardent: frigidi aeris desiderium adest, & admodum exiguũ inspirant eousq;, donec demũ intercluso ad pectus aeris transitu strangulentur. Nempe quibusdam cum pulmone vitium facile cõmunicatur. hi verò permutatione moriuntur. febres ignauæ oriũtur, molles, nihil proficiẽtes. At si alicui in bonũ res vertitur, abscessus secundum aurem hinc atque inde exterius, aut interius in tonsillis fiunt. Quòd si cum torpore non admodũ tarde fiat, euadunt quidem, sed cum * dolore atque discrimine. Sin autem morbo in abscessum mutato tumor maior subest, in acutũ abscessu insurgente, repentè strangulantur. Hæ sunt planè caninæ anginæ species. Anginam aũt collapsio, gracilitas, pallor comitantur, oculi caui, interius demersi, fauces & gurgulio retracti, tonsillæ multò magis subsidentes, vocisque priuatio. Huiusce speciei strangulatus longè quàm prioris violentior, quippe cùm in pectore malum fit, vbi spirandi initium ponitur. eodem die moriuntur, qui acutissimè ægrotãt nonnunquam & antè, quàm medicum accersiuerint. nonnulli & accersito medico nihil profecerunt: mortuus est enim æger antè, quàm medicus arte vteretur. Quod autem in melius vertitur, inflammat omnia, quæcunque extrorsũ phlegmone impulerit. quare ex synanche, id est, angina fit cynanche, id est, canis angina. Bonũ quoque est, si in pectore magnum œdema, aut insigne erysipelas oriatur. Egregius verò medicus aut cucurbitula in pectus malum detrahit, aut sinapim ossibus pectoris, aut partibus iuxtà maxillas imponens extrinsecus * vlcerat, difflationemque molitur. Quibusdam sanè ad breue tempus

* Labore.

* Alia lectio attrahit

ne tempus vitium his auxilijs exterius tractum fuit, absolutam verò subitò recurrit, & * ad interiora reuersum est. Causæ vtique infinitæ sunt, refrigerationes magis, exustiones minus, plagæ, ab ossibus piscium penetrationes in tonsillas, frigidæ potus, ebrietates, saturitates, & mala à respiratione prodeuntia. * *suffocauit.*

De affectibus Columellæ. Cap. VIII.

CORPUS solidum ex palato pendens, inter tonsillas positum, Columna & Gurgulio nominatur. Vua enim affectionis nomen est. Columella natura neruus est, sed humidus. nam in humido loco situs est. Iste itaque Gurgulio pluribus incommodis afficitur. Etenim phlegmone crassescit, æqualisq; à basi vsque ad extremum terminum efficitur in lōgum protentus, ac rubore suffusus. Columna huiusce vitij appellatio est, Si in extrema tantùm parte rotundatur, & magnitudine liuet, atque subnigricat, Vua huiusmodi affectus cognominatur: omnia enim vuæ similia sunt, & figura, & color, & magnitudo. Tertius affectus est membranarum ab vtraque parte iacentium, quæ veluti squammæ latæ, aut vespertilionum alæ conspiciuntur. id genus morbi Lorum vocatur: loris enim similes sunt membranarum in latum explicationes. At si in tenuem & oblōgam membranam Columella desinat, veluti vrinaculum in extremis habens, Craspedon Græci hunc affectum nominant. quod montis radicem vel pedem significat. Prouenit autem & id sponte quidem ex fluore, quemadmodum & alia vitia. Fit verò & per abscisionem obliquè factam ab vno tantùm latere membranam relinquente medico. Sin autem bicornis Columella reddatur, geminis membranis hinc atque inde pendētibus, nomen quidem nullum obtinuit, verùm affectus ipse perspicuus est. omnia verò hæc facilè fuerit introspicientem dignoscere. Omnibus ipsis strangulatus accidit, & ægrè cibum potumque deuorant. tussis quoque omnibus adest, sed præcipuè Loro vexatis, & Craspedo. quædam enim arteriæ titillatio à membranis oritur: nōnunquam verò & aliquid humoris in arteriam clanculum instillatur, vnde ad tussim prouocantur. Vuam autem & Columnam maior spiritus difficultas sequitur, & valde impedita deuoratio. in his enim humor in nares repellitur, quoniam tonsillæ per consensum malè habent. Senibus Columna accidere consueuit: Iuuenibus autem ac viris Vua. siquidem hi sanguine referti sunt, & inflammationi magis obnoxij. Pubescentes & pueros membranarum vitia sæpius infestant. Secari autem omnia citrà noxam queunt. sed in Vua adhuc rubentibus locis sanguinis effluuium, & dolores, & phlegmones incrementum superueniunt.

De Tonsillarum Vlceribus. *Cap.* IX.

VLcera in Tonsillis fiunt aliqua mitia, familiaria, non lędentia. Aliqua aliena, pestifera, necantia. Mitia quidem quotquot sunt munda, exigua, non altè descendentia, non inflammata, dolorem nõ excitantia. Pestifera autē quotquot sunt lata, caua, pinguia, quodam concreto humore albo, aut liuido, aut nigro sordentia. Id genus vlcera Aphthæ nuncupantur. Quòd si concreta illa sordes altiùs descenderit, affectus ille Eschara est, atque ita græcè vocatur, latinè Crusta. Crustam verò circumueniunt rubor excellens, & inflammatio, & venarum dolor, quemadmodum in carbunculo, & exiguæ raræque pustulæ, quas Græci Exanthemata vocant, orientes, hisque aliæ superuenientes in vnum coalescunt: atque inde latum vlcus efficitur. Id si * interius in os depascendo serpit, ad columellam vsque peruenit, ipsamq; exedit, & linguam etiam occupat, & gingiuas, & frena, id est, dentium alueolos, dentesque inde labefactantur, & denigrescunt. In collum etiam phlegmone erumpit. atque isti haud ita multis diebus post phlegmone, febribus, fœtore, inediaq; consumpti intereunt. At si in pectus per arteriam id malum inuadat, illo eodem die strangulat. pulmo enim & cor neque talem odoris fœditatem, neq; vlcera, neque saniosos humores sustinent: sed tussis spirandiq; difficultas enascitur. Causa maleficij tonsillarum est frigidorum, asperorum, calidorum, acidorum, adstringentiumq; deuoratio. quandoquidem hæ partes pectori ad vocem edendam, Spirationemq; inseruiunt: & ventri ad alimenti transmissionem, & gulæ ad eiusdem deuorationem obsequio sunt. Internis verò partibus si quod contingat incommodum, ventri videlicet, gulæ, & pectori, ad isthmum, & tonsillas, & loca ibi posita mali consensus & eructationes perueniunt. Quapropter pueri vsque ad pubertatem maximè hoc morbo tentantur. præcipuè nanque pueri multum frigidumq; aerem inspirant. quoniam in his plurimum caloris inest, & ad cibos intemperantes sunt, & varia concupiscunt, & frigidá potant, & excandescentes ac ludentes altius vociferantur. Puellis quoque vsque ad menstruæ purgationis tempora hæc vitia vsitata sunt. Regio Aegypti horũ affectuum planè fœcunda est. aer enim spirando siccus adducitur. varios præterea cibos suggerit. radices enim, herbæ, atque olera ibi largè proueniunt, & acria semina, & potio crassa: aquam quidem Nilus suggerit: sibi verò Aegyptij ex ordeo, & ex flocibus seu vinaceis potiones acres conficiunt. Syria quoque, maximè illa, quæ Cœle, idest, caua nominatur, huiusmodi morbos procreat. vnde Aegyptia & Syriaca vlcera id genus appellant. modus verò mortis quàm miserrimus accidit. Dolor quidem acer, & calidus, qualis in carbunculo, spiritus vitiatus, exha-

* anterius

exhalant enim maximæ putredinis odorem, eundemq; rursum vehementer in pectus spirando adducunt. Immundi adeo sunt, vt neque suum ipsorum odorem ferre queant. pallida his seu liuida facies, febres acutæ, sitis, vt igne accensi videantur: Potum, veriti dolores, non admittunt, molesti unt enim, cùm tonsillæ comprimuntur, aut potus in nares resilit. cùmque decumbunt, surgunt vt sedeant, decubitum non ferentes. quòd si sedent, quiete carentes, iterum decumbere coguntur. plerunque autem recti stantes obambulant. nam quiescere nequeunt, quietem fugiunt, dolorem tollere dolore tentantes. Inspiratio magna est, frigidũ enim aerem ad refrigerationem desiderant: expiratio verò parua. Nam veluti igne exusta vlcera cùm sint, à calido præterea spiritu incenduntur. raucitas adest: vocisq; defectio Atque hæc in peius ruunt, cùm subitò in terram collapsis anima deficit.

De Pleuritide, id est, morbo lateris. Cap. X.

SVb costis, dorso, & internis pectoris ad iugula vsque tenuis membrana robustaque ossibus in hærens substrata est, cui nomen succingens inditum est. In hac cùm phlegmone suborta fuerit, ignis adest cum tussi & sputis varijs. Pleuritis morbus iste à Græcis appellatur. opus est autem hæc inter se consonare, atque conspirare ab vna causa omnia pendentia. Quotquot enim ex his sparsim alia ab alia causa proueniunt, & si omnia simul ingruunt, pleuritis non vocatur. Hunc affectum comitatur dolor acutus ad iugula vsque ascendens, ignis acer. Decubitus in latus inflammatum facilis est. in sua enim ipsius sede membrana collocatur. in oppositam verò partem decubitus dolorem concitat. à pondere enim, & phlegmone, & suspensione in omnes membranæ continuas Partes ad humeros vsque & iugula, quibusdam verò & in terga, & in dorsi scapulas dolor protenditur. pleuritida veteres Græci appellarunt, Latini morbum lateris, vel costarum eam verò sequitur difficilis spiritus, vigilia, ciborum fastidium, malarum rubor hilaris, tussis arida, sputa ægrè exeuntia, pituitosa, aut biliosa, aut abundè cruenta. aut subflaua: & hæc ordinem nõ seruantia sed aliàs alia aduenientia ac recedentia. Ex omnibus verò peius est, si cruentum sputum desit. Delirant aũt: & nõnunquã comate occupantur: atq; in soporem grauem inclinantes mentis alienationem patiuntur. Itaque si in malum vertatur morbus omnibus in peius vergentibus, intrà septimum isti in syncopam lapsi consumuntur. At si in secunda hebdomada educi sputa incipiant, & mala simul augescant, decimoquarto die pereunt. Nonnunquam sanè intra huius temporis spatium omnium in pulmonem transitus est. Trahit enim in seipsum pulmo rarus, & calidus, & ad pxima trahenda sese cõmouens, Tuncq; morbi trãsmutatione repen-

te homo strangulatur. Cæterum si diem hunc ægrotus transierit, atq; intrà vicesimum non moriatur, in empycum, hoc est pectore suppuratum euadit. Hæc pfecto, si morbus ad perniciem tendat, eueniunt. At si in melius vergat, sanguinis è naribus larga profusio cum impetu succedit: tuncq; semel totus morbus discutitur. quandoquidem & somnus oritur, & pituitæ reiectio aduenit. Postea biliosorũ, tenuium, deinde multò tenuiorum. rursum verò cruentorum, crassorum, carnis formam referentiũ. Quòd si post cruenta iterum exeat bilis, post ipsam pituita, secura est hæc in pristinũ restitutio, Hæc si tertio die incipiunt, & facilè extussiunt læuia, æqualia, humida, rotunda, septimo die liberantur. quando & venter biliosa exturbat, spiratio conquiescit, mens ad se redit, febres decrescunt, ciborum appetentes sunt. Si secunda verò hebdomada hæc inchoantur, decimo quarto die sanantur: sin minus, in empyema, hoc est, pectoris suppurationem morbus vertitur. Id verò rigores indicant, doloresque punctorij, sedere cupiunt, spiritus deterius ducitur. tunc metus maior est, ne pulmo pus multũ subitò attrahens hominem suffocet: qui prima & maiora mala euaserat. Verum enim verò si inter costas morbus irrepserit, easq; disiunxerit, & phlegmones fastigium extrorsum deprompserit, aut in intestina eruperit, plerunque homo ad sanitatem redit. Inter anni tempora hyems maximè huius morbi ferax est: secundò autumnus: ver minùs, nisi interdum frigidum sit: æstas verò minimè. Quantum ad ætates attinet, in primis senes pleuritidi sunt obnoxij: qui etiam sæpius, quàm alij, liberantur. neque enim magna phlegmone in arido corpore excitari, neq; in pulmonem trãsitus fieri potest, quippe qui est in senecta, quàm in alia ætate frigidior, quando & spiratio parua est, & omnium attractio imbecilla. Iuuenes autem & viri haud ita frequenter in hunc morbum incidunt: verùm neque admodum ita frequenter euadunt. nam neque ab exigua causa, neque ob exiguam phlegmonem ægrotant. In magnis autem maius inest periculum, & pueri minimè pleuritide corripiuntur, minusq; ab ea periclitantur. quandoquidem puerilia corpora rara, humida, fluxaque sunt, ac multa est in eis difflatio ac dissipatio quocircà neq; magna contrahitur phlegmone. ea est huius ætatis in hoc morbo fœlicitas.

ARET.

ARETAEI CAPPADOCIS

DE CAVSIS ET SIGNIS ACVTORVM MORBORVM.

Liber Secundus.

IVNIO PAVLO CRASSO PATAVINO INTERPRETE.

Hæc insunt in secundo Libro.

De Pulmonaria. Cap. I.



OB DVO potissimum viuunt animalia, escam videlicet & spiritum. ex his multo magis vitæ conducit spiratio. hanc enim si quispiam supprimat, non diu feret incolumis: sed protinus interibit. Huius instrumenta multa parata sunt, Initium sunt Nares: via est Arteria: locus continens Pulmo. Pectus autem pulmonis est vallum & conceptaculum. Verùm cætera vt instrumenta solùm animali subseruiunt, pulmo verò attrahendi causam in se continet. Namque in ipso medio calidum viscus sedet cor, vitæ spirandiq; principium. Id pulmoni quoq; attrahendi frigidi aeris cupiditatem inijcit. si quidem ipsum incendit: verùm cor est, quod attrahit. In primis igitur si cor affectum est, non diuturna est mortis dilatio. Si pulmo malè habet, pusillam quidem ob causam difficulter spirat, malè vitam agit, mors tardissimè aduenit, si quis medelam adhibet. Si vitium insigne fuerit, qualis est phlegmone, strangulatus sequitur, vocis spiritusq; sublatio: subitanea pnicies imminet. Hęc est ægritudo ea, quam Græci Peripneumo-

niam Latini Pulmoniam dicunt. vomica scilicet pulmonis. Eam febris acuta comitatur, tunc pectoris grauitas simul ipsis adest, doloris carentia, si solus pulmo inflammatur. Quippe cuius natura dolore immunis sit, ob corporis raritatem lanis est assimilis: Asperæ arteriæ in ipso insertæ sunt, cartilaginosæ, & ipsæ dolorem non sentientes. Musculorum pulmo expers est: neruos habet exiguos, graciles, ad motum ciendum opportunos. his de causis pulmo dolorem non pcipit. At si quæpiam ex membranis eum ambientibus & ad pectus deligantibus inflámatur: adest tunc & dolor. spiritus est deprauatus, calidus: sedere uolunt laborantes, ad spiritum ducendum rectam formá quærentes: ad id enim hic est situs aptissimus. rubescit facies, sed malæ præcipuæ, oculorum album nitidissimum ac pingue est. summæ nares simæ sunt, venæ temporum, vel etiam colli elatæ apparent. cibos auersantur. arteriarum pulsatus initio magnos habent, inanes, creberrimos, perinde ac si festinare coacti sint. calor in exterioribus membris modicus humectusq; est in interioribus ingens aridus. Inde fit spiritus calidus, sitis, linguæ siccitas, frigidi aeris auiditas. mentis ambiguitas superuenit. tussis adest plerunq; sicca: sin aliquod sputum mouet, id vel spumans pituita est, aut aliquid exquisitè biliosum, aut cruentum, floreo calore valde perfusum. id verò cruentum alijs perniciosus est. Quòd si mortifera magis ægritudo redditur, vigiliæ augescũt, somnus paucus, torpidus, haud absimilis sopori, quià Græcis Coma nominatur. cogitationes stultæ insurgunt. mẽs alienatur. nõ admodum ecstasi corripiuntur, præsentia mala ignorant. nam eos si de morbo interroges, nihil periculi instare respondent. eorũ algent extrema: liuescunt vngues * curuanturq;. motus arteriarũ parui frequentissimiq; sunt, & deficientes: quando ipsis proxima mors est. nam septimo die plerunq; moriuntur. Porrò si nonnunquá morbus subsistit, & aliquantulũ in melius vergit, vehemens de narib. sanguinis eruptio conspicitur: aut per aluũ cũ perturbatione multorum biliosorũ & spumantiũ succorum deiectio. qui ex pulmone in imũ ventrẽ depulsi fuisse videri possunt, si multi liquidiores & facile deijciuntur. Nõnunq̃ verò & per vrinarias semitas euocantur: Cæterũ quibuscunq; hæc simul eueniunt, hi q̃primum ægritudine subleuantur. Quidá vtiq; sunt, quibus magna vis puris in pulmone procreatur: aut ex pleuritide fit permutatio, si maius bonũ suboritur. Quòd si ad intestina aut vesicam ex lateris morbo sanies deriuata sit, tunc quidẽ continuò pulmonis vomica liberantur: sed diuturnũ vlcus, quod demum sanescet, in latere patiuntur. Quib. verò in pulmonẽ pus irrumpit: nõnulli ob subitaneã & copiosam effusionem & reijciendi infirmitatem suffocantur. At quicunque suffocationis periculum ex tumoris eruptione subterfugiunt

vigilant

terfugiunt: hi longo tempore pulmonis vlcere cruciantur & in phthisim prolabuntur. Verum ex abscessu & phthisi pauci admodum senes liberantur: sicut neq; à pulmonia iuuenes & florentem ætatem agentes.

De Sanguinis exitu ab ore. Cap. II.

SAnguis ab ore duobus modis emittitur. primo ex ipso ore, capite & vasculis, quæ ibi sunt. via est palatum & fauces, vbi est gulę & arteriæ principium. screantes verò & cum parua tussi, vel etiam citatiore in os sanguinem eructant. nam cùm ab ore fertur, neq; screatu opus est, tum expuere dicimur * cum vero paucissimus & guttatim aut etiam si copiosus repête de capite, vel ab ore eruperit: nondum reiectio est appellanda: sed idem vel sputum, vel sanguinis eruptio, græce hèmorrhagia dicitur. sin ab inferioribus ascendat à pectore visceribusq; ibi latentibus, pulmone, aspera arteria, locisq; spinæ finitimis: huiusmodi non sputum, sed reiectio latinè, græcè anagoge vocitatur, ascensionis, ac viæ, per quam fertur, nomen habens. Signa verò vtriusq; communia exigua & pauca sunt, quantum & locus permittit, in quem reiectio & sputum conueniunt. Singulorum autem propria, magna, & multa, & * periculosa sunt. quibus vtramque effusionis sanguinis speciem internosse leue est. Igitur si à capite sanguis decurrit, vbi multus est, plura maioraq; aderunt: pauca minoraq;, vbi raro paucusque expuitur. caput graue est, dolet. sonant aures facies rubet. venæ distentæ sunt. vertigo infestat. Et ante hæc causa euidens fuit, percussus, frigora, calores ingentes, vinum largius epotũ. Quippe id subito ac valde caput implet repenteq; multum sanguinis effracta vena profundit. modica ebrietas rarefacta vena sanguin cum sputum mouet. Interdum per nares sanguinis consuetum profluuium sistitur, ad palatum vero conuersum reiectionis imaginem præbet. Igitur si de capite profluit, titillatio in palato gignitur, creber screatus fit. post quem sputum erumpit, inde irascuntur, tussique magnopere agitantur. Si ex palato in arteriam defluit, tum per tussim sanguinem extrudunt: idq; multos falsos habuit ex inferioribus visceribus reiectionem fieri suspicantes. Nonnunquam & ex capite decurrit in gulam, sicq; cum nausea euomitur. falsoq; multis ita persuasit, vt ex gula ferri sanguinem crederent Qui expuitur sanguis, haud ita multum crassus est, colore ater, leuis, æquabilis, alienæ materiæ non permixtus. screantibus enim confestim in linguam cadit rotundus, auulsionique obediens. Tu vero si palatum etiam inspicias, id sordidius vlcerosum, & sæpius subcruentum videbis. Huic simplex curatio breuisque suffecerit, adstringen

*at si largius sanguis effundatur et gat ore.

* periculum indicantia.

tia videlicet medicamenta palato adhibita, & ea frigida. siquidē ca lefacientia, & quæ rara faciūt corpora, & quæ dilatant, fluxum maiorem citant. Eaq; fit à capite cadētis sanguinis coniectura. At caput quoque vel per venæ sectionem, vel per nares, vel per aliam difflationem euacuandum est & hæc maturè facienda sunt. nam si diutius sanguis feratur, quædam erit eius cursui exercitatio, eiusq; loci membra suscipiendo sanguini assuescent. vlceratur autē & arteria: vnde tussis, nō screatus exoritur: atq; inde fit eruptionis initium. Si vero à pectore inferioribusq; visceribus sanguis effluxerit: reiectio latinè, græcè anagoge nūcupatur. Vtiq; valde mortifera est, si* ab aliquo principe membro effracto sanguis manauerit, aut à concaua cordis venas sanguinem ab iecore illi suggerēte, aut à magna arteria secundum dorsi spinam discurrente. nam erumpente sanguine, perinde ac si iuguletur homo ac stranguletur, mors instat celerrima. Quibus autem ex pulmone, aut costa, aut a spera arteria profunditur, non æquè citò intereunt: verūtamen in suppurationē pectoris, græcè empyema dicitur, & in phthisim non rarò incidunt. Minus periculi ab aspera arteria portēditur. Si gula aut ventriculus sanguinem vomunt, non ita perniciosum est: et si valdè copiosi sanguinis vomitus est. neq; longa curatio est, neque varia. Si à iecore aut liene prodeat, non facile id fit, neq; continenter. nanq; in ventriculum & intestina expeditius hæc viscera sanguinem propellunt. haud ita tamen, quin credendum sit, hæc eadem ad superiora, videlicet pulmonem & arteriam, posse retrudere. Siquidem in febribus à liene & iecinore per narem illam sanguis erumpit, quæ è regione patienti visceri opponitur. Locos, vnde fit exitus, iam recensuimus: eorumq; periculi vel mortis discrimina. Effusionis autē sanguinis tres sunt modi, vel rupta vena aliqua, vel exesa, vel rarefacta. Rumpitur quidē repente vel ictu, vel conatu ferendi oneris, aut tollendo sibiq; imponēdo, vel ab edito loco desiliēdo, vel clamore, vel magna ex candescētia, aliaúe id genus causa; cùm subito in arteriam copiosus sanguis effunditur. Si ab erosa parte, hominē interrogare opus est, num prius tussierit, difficulter spirauerit, nausea vomitusúe antea infestauerit? in his enim diuturnis affectibus copiosa & acri fluctione pseuerante vascula exeduntur. Vbi igitur detritę & attenuatæ, ad extremum cōsumptæ fuerint ambientes mēbranulæ, hac atq; illac sanguine perfluūt. At rarefactio citra rupturā est proinde nō subitanea, neq; cū multi aut crassi sanguinis exitu. nā cū rarescunt venarū corpora, tenuis pars excernitur. Quòd si multus in aliquo inani spatio sāguis collectus rursus emittitur, crassior seipso redditur: nō tamen multo crassior, neq; ater quale cōcrementū, aut grummus est: sed copiosior. vt potē qui vnū in locū prius

* ab his principibus mēbris

A prius cõfluxerit. Id genus autẽ repẽtini exitus plerunq; fœminis, quibus menstrua non respondẽt, euenire solet: idq; singulis mẽsibus euenit. ijsdemq; mẽstruę purgationis circuitibus apparet: necnon ijsdem statis cessationis diebus supprimitur. ac nisi mulieri laboranti succurratur, per multos circuitus sãguinis emissio reuertetur. Nempe quibusdam vasa rupta sunt, sed multitudine reiectio euariat. Et ab arteria, an à vena feratur, interest. Quoniam ater est sãguis, crassus, & facilè concrescens qui à vena mittitur: prętetea minus discriminis affert, celeriusq; compescitur. Ab arteria flauus tenuisq; prolabitur. haud ita cogitur, citiùs hominẽ perimit, & maiori negotio B supprimitur. nam arteriæ agitatio sanguinis fluorẽ mouet, vulnusq; frequenti concussione dehiscit. Erosionis autem curatio magnam diligentiam postulat, cùm sit longa, difficilis, & periculosa. Etenim parte membri deficiente, ad solidationem vlcus non ducitur. vlcus enim, non vulnus efficitur. Rupturę verò facilior solidatio, quia vulneris oræ se contingunt. & hæc secundo periculi ordine cõsistit. Minimus in rarefactione metus subest. spõte enim sanguis conquiescit, & adstrictio refrigeratioq; in medẽdo satis est. Cæterùm & sedes, vnde sanguis proficiscitur, obseruãdæ sunt. Siquidem multa sunt communia indicia, & erroris occasio in promptu est, curatioq; diC uersa. A gula igitur haud ita sępe per rarefactionem solet sanguis effluere cùm ob cibos potionesq; refrigeratio & adstrictio eius partes condenset. Quinetiam rosiones haud frequenter fiunt, ac minùs, quàm rarefactio, gulam infestant. quippe fluctiones erodentes non multũ tẽporis in ea subsistunt: sed aut expuuntur, aut ad inferiora pelluntur. Frequentiùs gulæ incidit ruptio. itaque si interdum rupta est, non tam magnæ, sicuti à pectore, sanguinis profusiones fiunt. in causa est venularũ, quæ ibi sunt gracilitas, arteriarumq; tenuitas. sanguis verò exiens non magnoperè nigricat, subflauus est, non exactè, lęuorem habet, aut saliuæ permixtus est. cum nausea et vomiD tu reijcitur. leuis tussicula citatur, modò humidum quippiam mouens, modò arida. id euenit, quoniam gulę affectum arteria quoque participat, secũdùm illam extenta & adhærescens. morsus vel adstrictio vlceris inter deuorandum percipitur: idq; præsertim, si benè frigida, aut calida, aut acerba sint, quę deglutias. nonnullos autem et gulæ ipsius dolor inuadit ad interscapulũ vsque interdũ pertinens. vomunt pituitosa. nonnunquam, si morbus producitur & maius est eorũ ieiunium, permulta reijciunt, febres haud ita multùm continuæ, sed erraticæ sunt. E ventriculo niger concretusq; sanguis euoE mitur, etiam si ab arteria fluxerit. Si à vena, multò nigrior, compactiorq; est. nausea multa adest: pituitosus, biliosusq; vomitus. si priùs homo comedit, cum cibis mixtus sanguis eijcitur. in eodem enim loco cibus sanguisq; colligitur. ructus crebri fiunt, & virus

olentes. quòd si multa materia collecta est, angor animi vertigoq; sequitur. cùm vero hanc vomuerunt, subleuantur. resoluuntur tamen, penitus exæstuant, assiduéq; dolet ventriculus. Ab aspera autem arteria paucus sanguis, vehementer flauus, per tussimq; expellitur qui nisi expellitur, continens tussis inhæret. sensus verò & dolor in gutture est, paulùm suprà aut infrà. vox rauca & obscura fit. Si à pulmone, repente vberiorque sanguis emanat: idq; magis, si erosio in causa sit cum tussi permolesta: sanguis exactè flauus, spumans que eijcitur rotundus sic, vt pars eiecta à parte distincta sit. Cæterum & in communi vase corruptio eorum, quæ de pectore exeunt, alia est. comparatione autem permixta discernas: alioqui pectoris partes specie carnosas pulmonis esse partes censueris. verùm pectoris grauitas, indolentia, ruborq; in facie multò magis in pulmonis vitio reperitur* Si in pectore noxa sit, in parte priori, secundùm os pectorale, quod vocant, dolor laceratam partem ostendit. ingens tussis adest, vix aliquid extrudens. sanguis non multùm flauus est, modicè crassus, spuma carens. Quòd si & pulmoni in transitu noxam impertiat, aliquid etiam spumæ consequitur. quandoquidem ex pectore in arteriam per pulmonem iter datur. Si à membrana costas vestiente, per tussim quidem sanguis funditur: sed niger, læuis, tetri odoris virosique, qualis ex putridis rebus exhalat. dolor succingentis membranæ acutus vexat. multi ex his cum febre, vt pleuritici solent, intereunt. Tempus anni humidum calidumq; sanguinis emissionem maximè procreat. tale est humidum & calidum Ver: secundo loco Aestas, Autumnus minùs, Hyems minimè. Aestate maximè moriuntur ob sanguinis effluuium: quo tempore haud ita magnæ phlegmonæ oriuntur. Vere secundo phlegmonis & vrentibus febribus consumuntur. Autumno plurimùm Tabes, quas Græci Phthoas dicunt, facile eueniunt. Vt semel autem dictum sit, omnem sanguinis reiectionem quantumuis modicam, quamuis iam rupta vasa coiuerint, comitatur mœror, diffidentia, vitæ desperatio. Quis enim est adeo firmo & constanti animo, qui se iugulationi simile quoddam passum esse conspiciens, non futuram mortem vereatur, & perhorrescat? grandiora nanque animalia & robustiora, quales tauri sunt, sanguinis profusione celerrimè perduntur. Verùm hoc haud magnoperè mirandum est. Illud summa admiratione dignum, quòd in sola ex pulmone reiectione, quæ omnium sæuissima est, homines animum non despondent, cum tamen in extremo discrimine versentur. Pulmonis indolentiam huiusce rei causam ego statuo. quilibet enim dolor, quamuis exiguus, interitus metum inijcit, & plerunque terribilior est, quàm deterior contrà indolentia in plurimis vel magnis morbis à morte securitatem præstat: deteriorque est, quàm terribilior.

*si à pectore absorbeat

De

A

De Syncopa.
Cap. III.

Recte planè medicus & vulgus, rectè inq; huic affectui nomen indiderunt. O Cyphon, cuius mali est nomen? Ecquid enim maius, ecquid celerius syncopæ facultate? ecquidnam aliud nomen ad hanc rem appellandam significantius? quid verò corde ad mortem vitamue opportunius? Neque syncopam cordis ægritudinem esse, aut vitalis in eo potestatis detrimentum, non credendum est. tanta est mortis celeritas, & talis morbi species. Quippe is affectus vinculorum potestatis vitam fouentis dissolutio est, hominis constitutioni aduersarius. hanc enim tenaciter corripiens non dimittit, sed dissoluit ac dissipat. Neque id magnum est miraculum. Nam & alij affectus quorundam membrorum, quibus inhærescunt, indeque accenduntur, proprij sunt & periculosi. Inguinum quidem tumores pestiferi & permaligni (Bubonas Græci nuncupant,) iecoris soboles sunt, nullaque alia ex parte prodeunt. Tetanus autem neruorum labes est: Comitialis morbus caput obsidet. Pari igitur ratione & syncopa cordis & vitæ ægritudo est. Quicunque verò stomachi affectum syncopam esse opinantur: quoniam cibis vinoque in nonnullis & frigida vires refectæ sunt, & ægritudo sublata: ijdem mihi videntur capillorum capitis, & cutis affectum esse phrenitin suspicari: quoniam capillorum detonsione, & cutis irrigatione phrenitici releuantur. Verum cordi stomachus vicinus magni momenti est, vnde in cor tam noxia, quàm vtilia deriuantur. Etenim per pulmonem etiam, vt spiret, aerem cor accersit: veruntamen pulmo haud ex æquo spirandi facultatis particeps est. cum facultates non in instrumentis, sed vbi est vitæ fons atq; roboris, statuantur. At stomachus vitæ neque principium, neque sedes est: aliquis tamen ab eius imbecillitate lædi potest. Nam & cibi cordi nocentes non stomacho officiunt, sed cordi per eum noxam infligunt. Siquidem & ab illis morientes cordis affecti notas repræsentant, arteriarum motus paruos debilesque, cordis concussionem cum vehementi palpitatione, vertiginem, animi deliquium, torporem membrorum, resolutionemque, copiosum sudorem, qui supprimi nequeat, refrigerationem in toto corpore, sensus vocisque priuationem. dicendum ne est hæc stomachum perpeti? Sed quæ nam ei propria? Nausea, vomitus, cibi fastidium, singultus, eructatio simplex, vel acida. Illi præterea, quibus cor laborat, sensus aciem exquisitiorem habent: vt videant, vt exaudiant plus, quàm antea, mente etiam sunt firmiore, & animo puriore.

(Margin letters: B, C, D, E)

proinde non tantùm præsentia declarant, verùm etiam futura verissima diuinatione prædicunt. Num ne igitur & hæ stomachi potestates sunt? hercule minimè, sed cordis, vbi & anima & eius natura inhabitat, ad quod & virtutum ibi sitarum calamitas pertinet. Huius verò morbi est tenoris naturæ destructio autore frigido humidoque. quippe hoc oppressi intus & in cute refrigescunt, non sitiunt: frigidū spirant: quamuis magnis ac perurentibus febribus, vnde ipsa syncopa dependet, affligantur. Natura enim robusta & probè temperata omnia superat, omnibus dominatur, ac per humorem & spiritum & solida, horumque omnium conuenientem ordinem & modum hominis vitam administrat. Quòd si naturæ nexus, id est, Tenor dissolutus sit: tunc affectus oritur, cuius prægrediens causa est comburens febris, quæ græcè Causus dicitur. ea verò huiusmodi est. A B

De Causo, id est, febre vstoria. *Cap. IIII.*

IGnis passim & acer & tenuis est: sed intus maximè. Spiritus tanquam ab igne, calidus. Aeris vehemens attractio. Frigidi cupiditas. Lingua arida. In labijs & cute squallor. Algēt extrema. Lotiū quàm biliosissimum. Insomnietas arteriarū, motus crebri, parui, imbecilli. Oculi puri, *lucentes, subrubri. Facies benè colorata. Si morbus vlterius crescit, omnia maiora & sæuiora fiunt. Arteriæ minimis motib. & creberrimis agitantur. Ignis aridissimus & acerrimus. Mēs delirat. omnia ignorat. Siticulosi fiunt. Omnia frigida attrectare cupiunt, parietem, vestem, pauimentum, humorem. Manus frigent, sed palmæ perquàm calidæ. Vngues liuent. Spiratio crebra est. Roscidus humor circa frontem & iugula. Cùm ad summam ariditatem caloremq; corporis natura peruenerit: tum calidum in frigidum, squallor in imbrem conuertitur. Rerū nanq; ad extremū magnitudinis incrementa in contrarium statū prolabuntur. Vbi ergo naturæ nexus soluti fuerint, ea syncopa est. Tunc sudor ingēs toto corpore funditur, & nullo pacto cōpescitur. Spiratio frigida est. Vapor è narib. multus exhalat. Siti non vexantur. cætera enim exaruerunt. quinetiam alia instrumēta sitiunt, os & gula. Vrina tenuis & aquea redditur. Aluus plurimū adstricta est: nonnunquam tamē pauca quædam biliosa descendunt. Copiosa & aliena humiditas redundat. Ossa quoque tabescentia diffluunt: & vndique, vt in flumine, ad exteriora omnia dilabuntur. Animus stabilis & constans est; sensus omnis purus & integer: subtile ingenium. Mens vaticinando idonea. Primum quidem seipsos de vita migraturos præsentiunt, deinde præsentibus futura denunciāt. Nonnulli verò interdum eorum dictis fidem non habendam putant: sed dictorū euentus homines in eorum admirationē concitat. Aliqui præterea ex his cum quibusdam vita defunctis sermonē habent: fortasse quidem ipsi soli præ sensus acumine & puritate eos adesse cernētes: C D E

* mobiles.

A tes: aut fortè ipsorum animo viros, cum quibus versaturi sunt, præ- noscente, atque enarrante. Quippe anteà in lutulentis humoribus & caligine demersus erat· quos vbi morbus exhausit, & ab oculis tenebras detersit, quæ in aere fiunt, prædicant, exutoque sordibus animo veracissimi vates efficiuntur. Sed quorum succi & ingenium adeò extenuati sunt, hi non diu admodum solent esse superstites: cùm eorum vitalis potentia iam in aerem cesserit atque abierit.

De Cholera. *Cap. V.*

B CHolera est materiæ à toto corpore in gulam, ventriculum & intestina retro fluens motio. vitium acutissimum. Suprà enim per vomitum erumpunt, quæ in ore ventriculi & gula congesta fuerant. Infrà deijciuntur humores in ventriculo intestinisque natantes. In primis quæ euomuntur, aquæ similia sunt: quæ anus effundit, stercorea, liquida, tetrique odoris sentiuntur Siquidem lōga cruditas id malum excitauit. quod si per clysterem hæc eluantur, primo pituitosa, mox biliosa feruntur. Initio quidem facilis morbus est, dolore vacans: posteà verò tentiones in ore ventriculi & gula: tormina in ventre nascuntur. Si magis sæuiat morbus, & tormina au-
C gescunt, anima deficit, membra resoluuntur, cibos exhorrent, animus consternatur. Si quid acceperint, cum magno tumultu nausea & vomitus inuadit, tum syncerè flaua bilis expellitur: deiectiones quoque similes sunt. Nerui tenduntur, tibiarum brachiorumque musculi conuelluntur. digiti incuruantur. vertigo oboritur. singultiunt. vngues liuent, refrigerātur. algent extrema. totum corpus rigore concutitur. Si malum ad vltimum venit, tùm verò ægrotus sudore perfunditur. bilis atra suprà infraque prorumpit. conuulsione impedita, vesica lotium cohibetur: quòd tamen, cùm in intestina humores deriuentur, abundare non potest. voce priuantur. arteriarū pulsatus
D minimi sunt ac frequentissimi: cuiusmodi in Syncopa proposuimus. conatus ad vomendū perpetui ac inanes fiunt. inclinatio ad deijciendum prompta, quam Tinesmon Græci vocant: sicca tamen, nihilque succi egerens. mors demum sequitur dolorib. plena & miseranda, per conuulsionem, strangulatum, & inanem vomitum, Id genus maximè æstate, grassari consueuit, secundo per autumnum, minus vere hyberno tempore minimè. Inter ætates autem iuuenta, & ea, quæ robustior est, hoc ferè corripiuntur: senecta rarissimè: pueri magis quàm senes, sed non mortiferè.

De Ileo græcè vocato, latinè Voluulo. *Cap. VI.* A

PHlegmone in inteſtinis gignitur pernicioſum dolorem mouens quippe innumeri torminibus acerbiſsimis necantur. In hiſce & frigidus flatus & lentus colligitur: nec infra, nec ſuprà facilè penetrans. Commoratur autem diu, perque ſuperiorum inteſtinorum anguſtos anfractus reuoluitur. vnde & affectus Ilei græcè, latine Voluuli nomen accepit. Quòd ſi ad tormina compreſsio & remollitio inteſtinorũ acceſſerit, multũq; imus venter emineat id verò iam Chordapſus eſt. quod nomen vltima parte elixationem remollitionemue ſignificat. Chordæ autem inteſtinorum vocabulum eſt: Lactes enim B Epichordida Græci veteres nominarunt, neruos ſcilicet interiacentes, & vaſcula, & membranas: quæ inteſtinorum ſtabilimenta & fulcimina ſunt. Voluuli cauſa eſt perpetua ciborum multorum, diuerſorum, inuſitatorumque corruptio: & alia ſuper aliam cruditas: præcipuè ab eſu ciborum, qui Voluulum excitare conſueuerunt. quale eſt Sepiæ atramentum in ferculis ſumptum, idem exiſtimandum de plaga eſt, de frigore, de frigidæ potione: ſi, dum quis ſudat, eam largè abundeque ingurgitauerit. Ad hæc his Voluulus accidit, quib. inteſtinum cum ſtercore in ſcrotum procidit: neque in ventrẽ repulſum, ſed per vim retentum fuit, his inferiora inteſtina, phlegmone vexari C ſolita ſunt. Pueros hic affectus crebrò male habet: vtpotè quos ſæpè cruditas infeſtat. hi tamen ſæpius etiam ſaneſcunt, cum ob conſuetudinem, tum ob humiditatem inteſtinorum: lubrica enim ſunt. Senes raro afficiuntur, ſed minimè euadunt. Æſtas magis, quàm Ver huius mali referta eſt: Autumnus, quàm Hyems: Aeſtas vtrunque ſuperat. Multi quidem vi torminum repẽte intereunt: alijs inteſtinum ſuppurat, deinde nigricans, tunc & putrefactum excidit, atque ita deficiunt. Mediocrem Voluulum hæc ſymptomata comitantur, dolor oberrans in ſtomacho, humiditas ſuperans, exolutio, mollitia, ructus inanes, nihil proficientes, aluus flatibus perſtrepens, qui ad podicẽ D vſque properant, ſed ibi exitus intercluditur. Sin autem ex toto Voluulus occupet: omnia ſurſum petunt, flatus, pituita, bilis: hæcque vomitu prodeunt. fiunt perpallidi: frigent toto corpore: acerbo dolore cruciantur: malè ſpirant: ſitiunt. Quibus verò iamiam mors inſtat, gelidus ſudor emanat: vrina difficulter exit: anus tam arctè clauſus eſt, vt neque vel tenue fruſtillum poſsis adigere: ſtercus per os redditur: vox aboletur, arteriæ raro inter initia & parum micant: inſtante morte minimè, creberrimè: tandem micare deſinunt. Hæc ſunt, quæ tenuibus inteſtinis incidunt. Verùm & in pleniore inteſtino, quod Græci Colon vocant, ijdem affectus oriuntur, eademque ſymptomata eandem formam retinentia. Sed nonnulli, quibus E colon ſuppurat, huiuſce morbi diſcrimen interdum effugiunt in

cauſa.

A causa est carnosa intestini crassitudo. Dolor autem in gracilibus, quidem intestinis tenuis est & acutus: in pleniore verò intestino est redundans humiditas, & incumbens grauitas. dolorque modo ad costas vsque superiores ascendit, quãdo & speciem lateralis morbi pręse fert, siquidem & isti febricitant: modo sub spurias costas in dextrã aut in leuam partem descendit, sic, vt iecur aut lienes dolere videantur, item & ilia nonnunquam dolore torquentur. Colon nanque prægrande est, & quoquo versum se circunuoluens. Quidam sunt etiam, quibus & in sacro osse dolor inhærescit, & in femoribus, & illis in locis, quibus testes appenduntur, Græci Cremasteras appellant.

B Qui hoc genere tentantur, vomitione plerunque inani laborant, quòd si quid reiecerint, id est subtile, biliosum, olei simile. In hoc malo periculum tanto leuius est, quanto laxum intestinum tenuibus corpulentius, pinguius, & noxæ tolerantius est.

De acutis Iecoris affectibus.
Cap. VII.

C QVibus iecur male habet, hi non celerius, quàm qui corde ęgrotant, sed maiore cruciatu laboriosiusque perimuntur. maxima enim iecoris pars sanguinis concrementum est. Si in huius autẽ visceris portis aliqua incidat causa mortifera: æquè, ac si ex corde laborarent, celeriter consumuntur. Ratio in promptu est, quia videlicet hæ partes membranis, tonis gracilibus & magni ad vitam momenti, grandioribusque venis contexuntur. præterea, vt sapientum quidam prodiderunt, hoc loco appetitricis animæ domicilium est. Sanguinis vtique profluuia è iecore omnium maxima fiunt: neque ab re: venarum enim radicatio iecur est. Itaque in ipso magna vomica haud ita frequenter, neque in particulis magis præcipuis oritur.

D homo enim vita excedens præuenit. At exiguæ frequentius eueniunt. inde fit vt mortẽ quidem euadant, sed longinquo morbo impliciti crucientur. Ipsius enim functionis, qua sanguinem condit, cessatio non conceditur: neque dilatio: atque hinc ad cor & ad viscera infrà septum sanguis diffunditur. At siqua magna iniuria, vtputa verbere, longa ciborum multorum vitiosorumque corruptione, ebrietate, vehemẽti refrigeratione, phlegmone in portis iecoris excitatur, tunc ægrotus celerrimè iugulatur. Ignis enim in profundo corpore depascitur, obscurus, acer. Venarũ motus torpent. Doloris species variæ & diuersæ sunt. Nonnunquam enim dextra in parte defigi

E tur adeo, vt acutum telum adactum esse videatur, interdum torminibus similis est. rursum verò interdum dolor cum summa grauitate coniungitur: atq; inter dolendum viriũ debilitas vocisq; casus

incidit. Transuersum septum, & interna costarum tunica inferius de- A
trahũtur. quoniam inde iecur suspensum onere suo degrauat. Proinde ad iugulum è regione oppositum vehemens dolor peruenit. Tussicula quædam imperfecta, seu potius tantum ad tussim inclinatio est. si quando verò tussiunt, nihil reddunt. vitiosè spirant: neque enim pulmoni transuersum septum opitulatur, ei ad constringendum ac dilatandum morem gerens. paulum aeris adducunt, plus expirant. colore ex atro viridiq; permixto infecti sunt, plũbea scilicet specie, cibos oderunt. quod si quid sumpserint, eis inflantur præcordia. ructus biliosi, acidi, graue olentes exeunt, nauseant, vomere frustrà conantur. venter solutus multa biliosa excernit, viscida pauca: B
sed perpetuò augescunt mala. mens haud ita multum delirat: torpida, suspensa, & attonita est: magna est in corpore segnities, extrema frigent. tremor adest, horrores, singultus inanis, conuulsioni similis, morbus regius: pura bilis. totumq; corpus bilioso colore suffunditur. Quin morbus regius ante septimum diem si apparuerit, plurimos sustulit. Quibus autem vel sanguinis profusio, vel per aluum multorum biliosorum exturbatio, vel vrina syncera plurima effluens mortem depulit post tres septimanas iecur his suppurat. Quòd si multum temporis citra abscessum prætereat, in hydropem ineuitabilem terminatur. hi siticulosi sunt, parum tamen bibũt, eorum cor- C
pus squallet, pinguedine carens. appetunt acida, sed gustatus sapores non percipit. Autumnus hoc malum fert, multorum eius temporis variorumq; fructuum esum sequente cruditate. Inter ætates florens ei magis obnoxia est.

De Vena Concaua acuto morbo. Cap. VIII.

AB Iecoris portis media inter eius extrema lata vena ingreditur quæ semper in tenues pluresq; dum scinditur, deniq; in tenuissimas visumq; latentes toto iecore dispergitur. Istarum summis osculis alię venarum extremitates cõmittũtur: quæ ex gracilibus & D
pluribus maiores amplitudine, sed numero pauciores constituũtur. Demum in medio iecore in venam vnicam grandem coalescunt Inde hæc in duas partitur, quæ Iecoris extrema petunt. Harum altera superius primam fibram penetrans, in eius conuexa egreditur: mox transuersum septum, perforans, in cor inseritur. Hæc vena Concaua nominatur. Altera verò quintam fibram, quæ inferius iacet, traijciẽs vsque in iecoris gibba * ad spinam peruenit: & eo loco ad coxendices vsque porrigitur. Ea quoque eodem nomine Concaua nuncupatur: quoniam vna & eadem vena est ab initio de iecore exoriens. Si quis enim frustulum aliquod de superiore vena Caua cordi infixa in eam, E
quæ iuxta spinam protenditur, & à spina per iecur ad cor, impulerit, eundem enim descensum ascensumque inueniet. Hæc igitur vena, (vt.

* concaua.

A na, (vt arbitror) vniuersa ægritudines & acutas & validas patitur, nam tota vna est atque continua. à nonnullis autem medicis ea pars duntaxat, quæ secundum dorsum discurrit, ægrotare creditur. quoniam eius, quæ cor intrat, notæ obscuræ sunt. intra pectus enim rei nulli adhærens, sed in pectore subleuata protenditur, donec transuersum septum egressa cordi inseritur. Igitur si quod ingens malũ hanc venam corripiat, pectore ambiente delitescit. In hac itaque vena Cedmata oriuntur, (sunt autem Cedmata diuturni affectus ex defluxu materiæ prouenientes,) quando sanguis copiosius erumpens citissimè vitam delet: Per superiora quidem per pulmones & arteriam effluens si in pectore facta sit effractio: Si iuxta principium,
B in imum ventrem descendens in intestinis continetur, atque adeo intestina replentur. cùm prius, quàm deiectus sanguis in conspectũ detur, homines intereunt quippe aluus sanguine redundabat. Nascitur & circa venam phlegmone, quæ & ipsa si magna sit, celeriter hominem tollit. ignis enim acer mordaxque in ambabus cauitatibus inclusus accenditur, paucusque duntaxat foris apparet, vt tangenti caliditas tenuis esse videatur: æger verò sese cõburi existimat, pulsatus arteriarum exigui sunt, creberrimi, ac veluti oppressi atque repulsi. frigus adest extremorum, sitis aspera, oris siccitas: facies de-
C color rubet: omne corpus subrubidum est: præcordia dura sunt atque reuulsa. dolor in dextra parte maior, & eius palpitatio in longitudinem ad ilia vsque perueniens. quibusdam & arteriá secundum dorsum: quod pulsatio in alteris præcordijs manifestat, nam & ipsa venæ cauæ morborum particeps efficitur iuxta illam in sinistro latere posita, vtpotè ea, quæ in omne corpus diducitur, nihil leuaminis afferente, neque cutim emolliente. cutis autem, sic affectorum squallida, rugosa, atque aspera est: sed in partibus prominentibus atque osseis, vt in cubitis genubus, digitorumque articulis magis talis conspicitur. somni tumultuosi fiunt. aluus quibusdam nihil reddit, qui-
D busdam exiguum, acre, biliosum. lotium * acre mordaxque est. mens vtique his constat, sed quadam segnitie torpet, & corpus tabe consumitur. tum quotquot hunc habitum viderunt, eum causum, idest, ardorem appellarunt. quandoquidem quæ adsunt, sub ardoris genere collocantur. Per Autumnum hæc labes exoritur, cùm ferum quiddam & immane viros ac iuuenes occupat, quibus mala viuendi ratio, laboresque tenuem corporis habitum compararunt. Decimoquarto die hi plerunque moriuntur. quibus morbus diutius trahitur, duplo longiori tempore pereunt. Quotcunque autem aut ab initio pusillam phlegmonem habent, aut magnam paulatim remittentem, mortem quidem euadunt, sed nondum morbo liberantur.
E Hi longo sanè tempore causo laborant, verùm omnia periculosa iam desinunt, dolores, præcordiorum distentiones, & arteriarum motus prauitas & mentis ignauia. adhuc tamen fastidiosi sunt. lan-

* lauum

guentes, consilij inopes, simulque & ardor, & sitis, & linguæ orisq; A siccitas ægrum discruciant. multum diuque trahentes spirant. & subitò totum aerem vna spiratione refrigerandi causa adducunt. Verum si frigidam quamplurimam affatim bibunt, breui quidem interuallo molestia leuantur: sed postmodum ipsis sitis accenditur: rursumque vberrimè aquam ingurgitant. & hæc est mali successio & reciprocatio. At egregius medicus frigidam liberaliter citra noxam propinare potest: vt in alijs exustionibus assolet. sed longè tutius ardore à vena caua oriente laborantibus eam concesserit. Quòd si ventriculus aut vesica potam aquam infrà expellant, neque vomitione opus est: sin id facere nequeant, à multa frigida epota multũ B vomendum est: homo enim disrumperetur, si tanto bibito humore nihil aut per sudores, aut per vrinam, aut per ventrem effunderet.

De renum acutis affectibus. Cap. IX.

RENes quantum ad corporis speciem attinet, haud ita multum periculis patent, tametsi in aliquod acutum vitium incidant: glandulosa enim ipsorum natura est. ad mortem verò inferendam benè habiles sunt: ipsorum autem actio peropportuna est, vrinæ videlicet à sanguine secretio, eiusdemque expulsio. sed eam cohibet aut calculus, aut ingenita phlegmone, aut sanguineum cõcrementũ, aut id genus. quandoquidem ex consensu affectionis ob formam C corporis prouenientis nulla creatur offensio. Vrinæ autem interclusio omnia sæua & acerba facit, ignem acrem & fastidiũ inferentẽ, dolorem grauem secundum lumbos in dorso, partium distentionẽ, sed magis circa præcordia. Suppressio autem lotij non ex toto fit, sed stillatim quidem meiunt: multum verò effundere cupiunt. redundantiam enim sentiunt. Quòd si & acre mordaxque lotiũ inest, frigent, tremunt, conuelluntur, distenduntur præcordia & replentur. Hæc morbi forma perceptioque, doloris alui inflationi à ciborum multitudine corruptioneque prouenienti similis est. arteriarum motus initio rari sunt ac segnes: si malum plus vrgeat, parui fi- D unt, crebri, turbulenti, inordinati. somni tenues dolore vexati, non continui: sed repente à somno, perinde ac si quis pupugerit, prosiliunt: postea in soporem tanquam lassitudine oppressi delabuntur. mentis alienatio haud ita magna est: nugãtur, facies liuet. At si quando rursum meiendi auiditas redeat, cum neruorum distentionibus magnisque doloribus modicum quiddam, idque stillatim eijciunt. tum paulum cruciatibus leuantur, postmodum in eadem relabuntur. Inter hos illi celerrimè pereunt, qui nihil prorsus emittunt. Quicunque vtique pereunt: plures enim aut calculo in vesicam per vrinæ semitas delapso, aut phlegmone suppurante, paulatimue per dif- E flationem exhalante liberantur: quamquam enim paulatim & auarè effundatur vrina, mortem tamen facilè effugiunt: at longo temporis curriculo eorum habitus contabescit, atque iure ista ægrotan-

tes

A tes patiuntur. in peiusque labentes ad colliquationem deuoluuntur. Anni verò tempora, loca, ętates hunc morbum ferunt, quæ & in vena caua laboráte ferebant, Nonnunquam è renibus sanguis multus, subitaneus erupit, multisque diebus continenter effluxit; verùm nemo ex huiusmodi profluuio moritur: sed phlegmones ratione, quę simul cum sanguinis profluuio nascitur, si sanguis retentus sit, plerũque autem ex retentione, quam ingens phlegmone facit, moriũtur.

De Acutis in vesica ægritudinibus. *Cap. X.*

VEsica difficiles in acutis morbis dolores patitur, & si ab alijs vitium participet: difficiliores, magisque mortiferos, si per se la-B borare inceperit. quandoquidem omni corpori & neruis & menti labem comunicare valentissimè potest. Quippe vesica neruus frigidus albusque est, & ab innato calido quamlongissimè, quàmproximè verò externo frigori posita. Nam in imo vẽtre longissimè à thorace infima sita est. nobili quoque & necessario munere fungitur, vrinæ videlicet emissione. Hæc porro si tantum calculis aut sanguinis grummis, aut qua alia propria, peregrinaúe calamitate interclusa fuerit, perniciosum est. In mulieribus enim ipsis & vteri phlegmonas comprimit, in viris autem extremum rectum prælongumque intestinum. In plerisque verò ob inuoluntariam præ vere-C cundia retentionem in cœtibus hominum, aut in conuiuiis repleta distenditur, constringereque non valens nihil amplius excernit. Igitur vbi vrina supprimitur, superiores quoque partes, renes videlicet, replentur: vrinæ ductus (græci Vreteras appellant) distenduntur: ilia dolor ponderosus infestat: nerui cõuelluntur: tremunt: horrent: desipiunt. verùm si ad hæc & vlcus accedat, aut inflammatio, multa sanè damna eueniunt: Sed mors ab vlceribus sanè quam celerior inuadit. Cæterùm de vlceribus, abscessu, suppuratione & id genus alijs, quæcunque non acutissima sunt, in libro de longinquis morbis tractabitur. Quęcũq; vero peracuta sunt, & intra quatuorde-D cim dies, aut paulo citius seriusùe hominem perimũt, qualis phlegmone est, aut grummi sanguinei, aut calculus in ceruicem delapsus, de istis in præsentia sermonem faciam. Quapropter si quid horum inciderit, vrina retinetur: abdomen intumescit: dolor acutus totum ventrem occupat. vesica turget: decimo die luteus sudor exit: pituita vomitur primò, deinde bilis: vniuersum corpus friget, sed pedes vehementius, Si malum vires maiores acquirat, tum febres cum singultu hominem corripiunt: micant arteriæ inordinatis, frequẽtibus ac pusillis motibus: rubida facies est: sitiunt: animo ancipites sunt: mens non constat: nerui contrahuntur, Medicamẽtis præterea exi-E tialibus & cantharidibus, aut bupreste & pneumatibus vesica deuritur. & tota aluus maiorem vim patitur: ac prorsus in peiorem statum delabitur: neque longa mortis mora interponitur. Nonnunquã & sanguinem vesica effundit. flauus autem ac tenuis vesicæ sanguis

est. Sed nunquam hac de causa homines pereunt, quamuis haud facile sanguis supprimitur. Grumini verò & phlegmonæ minantur interitum. refrigeratio enim & extinctio caloris ingeniti, quæ Necrosis græcè dicitur, & gangræna, & quæ eam comitantur mala, facilè hominem tollũt. hæc vitia hyeme & autumno grassãtur: In ætate virili, magis etiam in senecta vigent. Reliqua anni tempora & ætates neque assiduè hos morbos ferunt, minimeque mortiferi sunt. Pueri omnium maximè his calamitatibus vacant, A

De Vuluæ strangulatu. *Cap.* *XI.*

IN medijs ilibus mulierum Vulua posita est, muliebre viscus, animalis fermè naturam adeptum. Siquidem per se huc atque illuc versus ilia mouetur: quin etiam ad superiora è regione pectoris cartilaginem subit: in latera quoque in dextram videlicet, aut leuam partem, aut ad iecur, aliave intestina mouetur: & ad inferiora natura procliuior est. vtq; paucis absoluam, penitus errabunda est, & iucundis odoribus delectatur, ad ipsosque se recipit: contra fœdè olentibus contristatur, & ab ipsis longius se proripit, ac prorsus est in homine vulua perinde, atque in animali quoddã animal. Hæc itaque si repente superiora petierit, ac diutius ibi commoretur, visceribusque violenter incumbat, interdum homo veluti comitiali morbo correpta citra neruorum distentiones strangulatur. angustijs namque iecur, transuersum septum, pulmones, cor celeriter opprimuntur. Qua de causa spiritus priuatio, imbecillitasque adesse vidẽtur. præterea & venæ somniferæ, (Carotidas græci vocant) cordis vitium participantes, affliguntur. vnde capitis grauitates & sensuum abolitio cum nouo quodam sopore adueniunt. Incidit etiam ipsis aliud vitium proximè dicto non absimile: in quo spiritus & vox auferuntur: sed à vulua non prouenit. quippe & viros infestat instar morbi, quem Catochon nominant. At mulieribus à vulua malè habentibus tetra odoramenta naribus subiecta, iucunda verò naturalibus apposita opitulantur. altero autem affectu laborantibus hæc frustra adhibentur: nihilque opis afferunt. Præterea membra in vuluæ morbo agitantur, in altero affectu quiescunt. Ampliùs tremores spontini, & non spontini, sed ex abortiui fœtus causa vuluæ refrigerationes vehementes, copiosæ, sanguinis profusionis retentio, & id genus alia in causa sunt. Itaq; si in superiora subeunte vulua vexari mulier inceperit, ad obeũda negotia pigrior redditur: exoluitur infirmatur: genua labant: vertigo infestat: extrema debilitãtur: caput dolet grauescitque. in venis ab vtroque nasi latere iacentibus dolorem mulier percipit: quòd si ceciderit, stomacho mordetur. iuxta præcordia ilia, ubi vuluæ domicilium est, inania sunt. motus arteriarum intermittunt, ordine carent, deficiunt. spiritus magnopere angitur, vox intercipitur. sentiendi facultas impeditur, spiratio ignota obscuraque est. celerrima nec opinatò mors aduenit. nibil enim adest, quod mortem instare significet. color namque viuidus est, ac multô

(Margin letters: B beside "IN medijs", C beside "bo correpta", D beside "libus apposita", E beside "præcordia ilia".)

A multo post mortem tempore magis rubent, oculi parùm admodum extantes fulgent, haud ita multùm intenti, neque tamẽ valde remissi & conniuentes. Cęterùm si prius, quàm malum ad extremũ venerit, aliquando vulua in sedem propriam migret, à strangulationẽ liberantur. quando aluus submurmurat: humiditas adest locorum muliebrium: spiritus asperior manifestiorque redditur. celerrimè ab affectu excitantur; quemadmodum & celerrimè interitus aduenit. nam facilè superiora vulua petit: facilè quoque inde recedit. Quippe vulua suapte natura superfluitat. membranæ verò eam sustinentes humidæ sunt: humidus est & locus, vbi reconditur. Amplius fuga & appetentia tristium iucũdorumque mouetur. quo circà labascit facilè, ac veluti arboris ramus huc & illuc, susque deque impellitur. Propterea & iuuenes fœminæ id vitij patiuntur, seniores immunes sunt. Quibus enim ætas, & vita, & mens vaga magis & erratica est, his vulua quoque errabunda instabilisque sit necesse est: Quibus verò firma ac stabilis ætas, & vita: & mens fuerit, his & vulua similiter afficitur. Hæc vtique à vulua proueniens ægritudo (strangulatus videlicet) mulieribus duntaxat infesta esse potest. Veruntamen communes quoque viris ægritudines in vulua oriri consueuerũt, Phlegmone videlicet, & sanguinis profusio. communes etiam sunt, quæ comitantur, notæ. vtpotè febres, arteriarum motus, abolitio, refrigeratio, vocis amissio. In sanguinis autem profusione & maturius mors ingruit, quemadmodum cùm quis animal iugulat.

B

C

De Satyriasi. *Cap. XII.*

SAtyri Dionysio sacri, qui pictura, quique statuis exprimuntur, arrecto pene figurantur. quod diuinæ rei signum est. Est verò & affectus species, qui laborantis penem excitat erigitque: atque ob Dei figurę similitudinem Satyriasis nuncupatur. Est autem inexplebilis coeundi appetitus. Verum neque si ad veneris opus accedant, quicquam iuuantur: neque multo assiduoque concubitu sedatur arrectio. Conuulsiones autem omnium neruorum fiunt, & tendonum distentio, & inguinum, partisque eius, quæ inter inguina & femen est, Plechada græci nominant, genitalium propterea inflammatio & dolor. in facie rubor inest, & vapor quidam roscidæ humiditati similis. porrò ipsi ægri sese incuruant & cõprimunt: quiescunt tristes, demissi, vtpotè calamitatem suam grauatim ferentes. Quod si hominis verecundiam id malum superet, turpiter admodum lingua intemperantes efficiuntur: Intemperãtes quoque adeo vt palàm venerem exerceant, menteque indecenter titubantes nam se continere nequeũt. siti laborant. pituitam largiùs euomunt: quoniam labris spuma, quemadmodum hircis in libidinem ruentibus, insidet: quinetiam haud absimilis odor est. lotium post longam retentionem effunditur album, crassum, genituræ simile. aluus resoluitur, costæ & axillæ sponte pruriunt ac titillantur. conuelluntur: à

D

E

cibis abhorrent: ſed cùm eos aſſumunt, rapaciter aſſumunt. contur- A
bantur. Sin ad interitum ægritudo ſpectat, inflátur, venterque in tumorem effertur. tendones & lacerti omnes contenduntur. ægrè admodum corpus mouetur. membra cõtrahuntur. arteriæ paruo motu, debili, inordinatoque agitantur. Hæc omnia quandoque diſcutiuntur, ſi aluus perturbata multas pituitoſas biliosaſque humiditates eiecerit: eaſdem quoque vomitus effunderit. Nempe medela non vacat diſcrimine, ea per ſomnum profundum longiſsimumque præſtatur. Siquidem refrigeratio & reſolutio ſtuporque neruorum multus ſomnus eſt: ſtupor verò ac refrigeratio ſatyriaſim medicatur. Id B
morbi genus vere potiſsimnm atque æſtate ſæuire conſueuit. Inter ætates autem adoleſcentia iuuentusque maximè patet: præcipueq; illi omnes, quorum natura in venerem propenſior eſt. Acutiſsimum id malum, triſte fœdumque eſt. nam plerumque in ſeptima die hominẽ conſumit. Memoriæ proditum eſt mulieres etiam in hanc labẽ incidere, & eundem in libidinem impetum, ac cætera omnia ſimilia perpeti. Verùm ego impudicum quendam libidinis ardorem mulieres inuadere mihi perſuadeo, mulieres inquam humiditate affluẽtes, vt ipſius redundantia profundatur: ſed ſatyriaſim id eſſe minimè concesserim Neque enim ipſarum natura atque temperies, cùm frigida ſit, huic vitio habilis atque expoſita eſt. præterea neque partes C
ad arrectionem idoneas, quemadmodum Satyrus, vnde affectui nomen eſt inditum, mulier obtinet. Quãdoquidem neque viri ſtrãgulatione ab vtero vexantur: quoniam viro vterus datus non eſt.

ARETAEI CAPPADOCIS
DE CAVSIS ET NOTIS DIVTVRNORVM AFFECTVVM.
Liber Tertius.

Iunio Paulo Craſſo Patauino Interprete.

De Diuturnis affectibus, proœmium. *Cap. I.*



iuturnarum ægritudinum dolor ac labor multus eſt, tempus colliquationis longum, & medicatio inſtabilis. vel enim haud ex toto deleti ſunt, vel ex qualibet leui offenſa morbi deleti reuertũtur. Nam laborantes æquo animo ferre vſque in finem non audẽt. qui n eti-
B am ſi æquo animo ferunt, in victus rati one nimis lõga delinqunt. Si verò & labor operoſæ curationis ſubeatur per ſitim, famẽ, amara medicamina, & dolorẽ excitantia, aut per ſectionẽ, aut vſtionẽ, quibus in diuturnis morbis egemus, vt miſeri ægroti mortem, quã iam pridem appetebant, effugiant. tunc me hercule in magna animi conſtãtia diu præſtanda, auxilijs variandis, iucundis citra noxam ægro concedendis, ipſoque decipiendo medici virtus atque excellentia dignoſcitur. Cæterùm & ęger fortis ſit, & cũ medico aduerſus morbum conſpiret, neceſſe eſt. qui non ſolùm corpus tenaciter arripiẽs ipſum celeriter tabefacit & exedit: verùm etiam ſenſum magnoperè
C ſubuertit, animamque inſanam reddit. Namque ab intemperie corporis id genus furorem, atque inſaniam, quam græci Melancholiam vocant, proficiſci nouimus. de quibus in ſequentibus dicam. in præſentia de Cephalæa, ideſt, de vetere capitis dolore ſermonẽ inſtituã.

De Cephalæa. *Cap. II.*

SI caput repẽte obuia quaque de cauſa, per plures etiam dies dolorẽ patitur: hic affectus Cephalalgia gręcè nominatur: ſi multo tempore dolor infeſtare aſſueuit, & per longos frequentesque circuitus, ac indies maior violentiorque inſultat, difficulter ſanationẽ
D admittens: id genus Cephalæam græco vocabulo appellamus. Eius formæ infinitę ſũt. quibuſdam enim perpetuus dolor inhæret, exiguus quidem, ſed non intermittens. nonnullis per circuitus reuertitur, vt his, qui quotidiana intermittente febricitant. nonnullis ab occaſu ſolis vſque in meridiem; & tunc ex toto remittitur. vel à meridie in veſperam, aut etiam vlteriùs vſque in noctem permanet: ſed non multùm hæc durat circuitio. Prętereа dolor modò eſt in toto capite, modò in dextra magis, modò in ſiniſtra, modò in fronte, aut ſyncipite, hæcq; eodem die incertè & erraticè fieri ſolent. Quidam dextra tantùm parte dolent, quidam leua: qua tempus, vel au-
E ris, vel ſupercilium vnum, vel oculus ad medium vſque terminatur. vel qua naſus in æquas tantum partes diuidit. vltra quem terminum dolor non progreditur, dimidium tantùm capitis occupans. Id vitium ſolum Eterocrania dicitur, haud leue malum: quamuis intermit-

tit, quamuis exiguum esse prima specie videtur. nam si acutè interdum impetum faciat, fœda atque atrocia detrimenta affert. nerui distenduntur, facies obtorquetur. oculi vel contenti instar cornu rigidi sunt: vel huc atque illuc interius conuelluntur, ac vertiginosè agitantur: in ipsisq; dolor profundus vsque ad intimas tunicas descēdit. sudor ex tendonibus immodicus effluit repente: neque cohiberi potest: neque vlla causa præcessit, perinde ac si quis ligno plagam inflixerit, nausea & vomitus biliosus comitantur: homo consistere nequit, sed in terram delabitur. Quòd si vitium quandoque increscit, de hominis vita actum est. At si debilius est, & citrà vitæ periculum: diutiùs permanet: pigritia multa adest, & capitis grauitas: animi pēdent. vitam ægrè ferunt. fugiunt enim quodam modo lucem, tenebræque his ægritudinem solantur: neque quicquam iucundi, aut intueri, aut audire facilè sustinent. olfactorius in ijs sensus deprauatus est, neque quicquā eos bene olens oblectat. pariter quoq; graueolentia auersantur. vita ipsis inuisa est, mortēq; discupiunt. Harum calamitatum fons & origo est cum ariditate frigiditas. Si diu teneat, magisque inualescat ægritudo: post id genus dolores vertigo subsequitur. A B

De Vertigine. Cap. III.

SI tenebræ oculis prætenduntur, & caput in turbinis modum circumduci videtur, & auribus murmur veluti delabentis cū strepitu fluminis insonat, aut tanquam ventus flatu vela percutiens, aut tibiarum aut & fistularum cantus, aut veluti stridoris plaustri vox obstrepit: vertigo huic vitio vocabulum est. malum quidem, si capitis symptoma est: malum quoque, si cephalææ succesſit. aut per seipsam in vetusta ægritudine exoritur. Nam si priora vitia non recesserunt, sed remanet Scotodine, idest, tenebræ oculorum, & apparens motus in orbem, aut longiori tempore cum proprijs symptomatib⁹ nulla adhibita curatione ad summum peruenit: vitium, quod à græcis Scotoma dicitur, à latinis vertigo, procreatur. Causam habet frigidam & humidam: aliorumque sæpe morborum, cum insanabilis euasit initium est, vt furoris, melancholię, morbi comitialis cuique suis symptomatibus accedētibus. Vertiginis autem forma ita se habet. grauitas adest capitis. splendida quędam oculis inter multas tenebras sese offerunt. sui met æger propinquorumque ignarus est. Cumque morbus augescit, tunc tibiæ soluuntur, atque humi repūt. Nausea fit atque vomitus pituitæ, bilisue tam atrę, quàm flauæ. quā do flaua per vomitum reiecta furor enascitur: atra vero, melancholia ac pituita exeunte, morbus comitialis efficitur. Omniū quippe morborum talis conuersio est. C D

De morbo Comitiali. Cap. IIII. E

VAriū ac portentosū morbi genus est Epilepsia quę dicitur à gręcis: latinè Comitialis morbus, ferus, terribilis vtiq; in accessionibus,

A bus,& per acutus, & perniciosus: quando quidem nonnunquam accessio vna hominem rapuit. At si diligenti cura vim morbi sustinet laborans: ægrè tamen vitam ducit inter fœditates, ignominas atq; dolores. Morbus autem non facilè recedit, sed ætatibus melioribus, & pulchriori tempore viget. vexat etiam familiarius pueros & adolescentes. interdum secunda fortuna euenit, vt per succedentem prouectiorem ætatem abigatur quando simul cum ætatis flore euanescit: Sed & tum quosdam abiens deformes efficit, pueros quoque pulchritudinis inuidia perdit, aut manum inutilem reddens, aut faciem torquens, aut sensum aliquem prorsus auferens. Quòd si malum hoc penitus insederit, atque radices altius egerit: neque ipsum
B medicus, neque ætatis mutatio submouent, sed cum ægrotante viuit atque commoritur. Interdum morbus iste membra oculosq; conuellens ac distorquens, dolores ciet: interdum & mentem in furorem adegit. Triste medius fidius est ipsius inuasionis spectaculum: turpis & eius desinentia cum stercore, & lotio, & spontina ventris solutione. Ipsius quoque morbi origo infamis & præter hominum opinionem est: Quippe nonnulli flagitiosis hominibus à luna immitti existimant: cuius rei causa & sacrum morbum hunc nominãt. Verum & alijs rationibus id nomen ei fuit impositum: aut ob magni
C tudinẽ, omne enim magnum, sacrum dici consueuit: aut quòd non humana ope tolli queat, sed diuina: aut quoniam dęmone correptus esse homo videatur: aut ob hæc simul omnia sacer morbus appellatus est. Quæcunque sane huic tanquam acuto morbo symptomata eueniunt, superius memorauimus. At si diu permanet: neque per intermissiones citra noxam degunt torpentes, abiecti animo, mœsti, hominum aspectum consuetudinemq; vitantes: neque ætate procedente mitiores fiunt. vigilant. per quietem multis formidolosis imaginibus terrentur. cibum sumere fastidiunt, sumptum malè conficiunt. decolores, facieq; plũbea sunt. ob ingenij sensusq; tarditatem
D ægrè discunt, auditus hebet. aures tinniunt. capiti bombi veluti quidam insonant. Lingua in sermone perplexa est ac titubat, aut ex vi morbi, aut ob vulnera, quæ tempore exacerbationis accepit. tunc enim ob conuulsionis neruorum motum lingua in ore varijs modis torquetur. Rationem quoque vsq; eò morbus conturbat ac deijcit, vt prorsus deniq; infatuentur. Atq; horum omnium causa est cum humiditate frigiditas.

De Melancholia. *Cap. V.*

E ATra bilis in acutis ægritudinibus si in superioribus apparet, oppidò quàm mortifera est: si ad inferiora descendens exijt, non valde vacat discrimine. In tardis autẽ longisq; morbis, si ad aluũ bilis atra decurrit, in tormina iecorisq; dolorem finitur: Mulieribus verò purgatio vice mensiũ aduenit, si in cęteris abest mortis periculũ. At si

superius, vt puta stomachum, septum ue transuersum petit: insaniam parit, quam græci Melancholiam nominant. flatum nanq; gignit, & ructus fœtidos piscium odorem exhalantes. infrà vero & flatus cum crepitu transmittit: nec non & mentem simul alienat. Proinde melancholicos iuxta & flatuosos medici veteres sic affectos appellarũt. Porro quidá reperiuntur, in quibus neq; flatus, neq; bilis atra colligitur: sed ira immoderata, & mœror, & ingens animi cõsternatio. hos quoq; nihilominus Meláchölicos nuncupamus. Bile quidem iracundiá significáte, atra verò vehementẽ ac feram. testis autẽ Homerus est, vbi inquit, *Inter hos autem surrexit heros Atrides latè imperans Agamemnon tristis, furore autem valde præcordia atra circum oppleta erant. eiusq; oculi igni fulgenti similes erant.* Tales euadunt Melancholici, cùm ab hoc malo interimuntur. Est autem animi angor in vna cogitatione defixus atque inhęrens absque febre. Mihi profectò Melancholia Manię, (quæ latine Furor dicitur) initium atq; pars esse videtur. Siquidem furentibus animus modo ad excádescentiam, modo ad voluptatem conuertitur: At melancholici in tristitia & animi angore duntaxat versantur. Furentes etiam plurimum vitæ sic transeunt desipientes, & fœda atrociaque committentes. Melancholici verò non vna tantum insanie specie laborant: sed aut venenum ne sibi detur, suspicátur: aut hominum consuetudinem perosi, in solitudinem aufugiunt: aut ad superstitiosam religionem conuertuntur: aut lucem hanc vitamque odio prosequuntur. Verum si quid interdum ex animi angore laxamenti habeant, exhilaratio voluptasque plurimis aduenit, Hi vero in furorem præcipitant. Sed quomodo quibusque sedibus affectis id vitium plerunque contrahitur, subijciá. Porro si in pręcordijs residet, causa circa septum transuersum immoratur, bilisq; supra infràve melancholicis prorumpit. Si caput etiam per consensum afficitur: & excandescentiæ * delirium in risum hilaritatemq; per longum vitæ spatium commutatur: hi verò morbi potius incremento quàm affectus dolore in furorem prolabuntur: In vtrisque nimirum ariditas accusanda. Viri sanè & furore & melancholia corripiuntur, vel etiam minores quàm viri, sed deterius mulieres quàm uiri furijs agitantur. Aetas, quæ prope statum est, & ipse status huic malo subijciuntur. Aestatis tempus & autumni hunc morbum procreant, ver autem iudicat. Inter notas euidentiores hę sunt, quòd videlicet, quieti aut tristes, abiecti, torpentesq; sunt absq; ratione: nullaq; de causa melancholia initium sumit. præterea in irã facilè incidũt, male sunt animati, vigilant, ex somnis tumultuosè excitantur. ingenti quoq; pauore trepidant cùm morbus crementũ suscipit. quando & insomnia fera sunt, terribilia atque euidentia. quotquot enim valde auersantur ea non protinus huic malo insunt, sed per quietem vidẽtibus sese offerunt: cùm in aliquid impetu rapti sunt, postea facilè eos pœnitet. mutabiles enim sunt, turpes, de minimis quibusque

* tristitię

rationem.

A rationẽ quærentes nihil largientes, ſed non ità multo poſt ſimplices,
prodigi, multa largientes, non virtute animi, ſed morbi varietate.
Quòd ſi malum exaſperatur, homines oderunt, ab eisq; fugiunt. de
inanibus conqueruntur. vitæ maledicentes, mortem expetunt Atq;
iſtorum multis ſenſus ac mens vſque eo ſtupore fatuitateq; capiun-
tur, vt omnium ignari vel et, ſuimet immemores in morem beſtia-
rum vitam degant. corporis quoque habitus in peius labitur: colo-
re fœdo, ex atro viridiq; commixto tinguntur: niſi inferius bilis de-
ſcendat atq; exeat, ſed quoquo verſum per corpus cum ſanguine dif
fundatur. multi cibi capaces, nihilominus tamen extenuati ſũt, quo-
niam ſomnus in eis neq; potu, neq; cibo mẽbra confirmat, ſed vigilia
B ad exterius mouet, ac diſsipat. proinde & aluus arida eſt, nihil deij
ciens. nonnunquã vero deijcit ſicca, rotunda, atro quodã bilioſoq;
circunfuſa, vrina pauca redditur, acris, bilioſa. multũ flatuoſi ſpiritus
in præcordijs eſt. ructus putidi ferũtur, graue olentes perinde, ac ſi
ex maris lacuna exhalarent. nõnunquã & humidũ quoddã acre cum
bile reijciunt, arteriarũ motus ferè parui ſunt, pigri, inualidi, crebri,
frigori * ſimiles. Fama eſt, ex his quempiã inſanabiliter ſe haben tem *affectui
cum puellã deperiret, medicis nihil proficientibus ab amore fuiſſe
ſanatũ. Ego vero ſuſpicor, eũ ab initio in puellã exarſiſſe, inde triſtẽ,
C & lãguenti animo, quòd ea nõ potiretur, euaſiſſe, ſuisq; popularibus
melancholicũ viſũ eſſe, neq; iſte amorẽ eſſe in cauſa noſcebat. at vbi
puellę amatę ſe cõiũxit, mœſtitia receſsit: ira, & animi lãgor diſcuſſus
eſt: gaudiũ triſtitiã deleuit: & mens amore medico prorſũ ſanata eſt,

De Furore. Cap. VI.

FVroris modi ſpecie permulti ſũt, genere tantùm vnus. eſt enim
ex toto mẽtis alienatio diuturna, vacãs febri. Etenim ſi febris
quandoque coniungitur, id non ratione furoris propriè, ſed alio ca-
ſu incidit. Quippe & vinũ inflammat, & per ebrietatẽ delirare cogit.
D præterea quædam eſculenta amentiã pariunt, vt mandragora & al-
tercus. ſed neutiquã hi inter furẽtes numerandi ſunt: nã repente hęc
adueniunt, & celerius conquieſcunt: furor autem ſtabilis ac perma-
nens eſt. Furori autem nihil ſimile delirium habet, quod ſenectæ ca-
lamitas eſt. Eſt enim ſenſus, mentis, rationisq; marcor & ignauia ex
refrigeratione proueniens. At furor ex calida ſiccaque cauſa exori-
tur, functionesque tumultuoſas præſtat. Deliramentum autem à
ſenectute incipiens, nunquam per interualla deſinit, ſimulq; com-
moritur: Furor vero & intermittit, & diligenti curatione radici-
tus vellitur. Sed intermiſsio non ſincera eſt, quando per ſe furor de-
ſinit. cùm nõ congruenter aut medela, aut temporis anni clementia
E curatur. Nõnullos nanq;, qui penitus ſoluti morbo videbantur, aut
veris tẽpus, aut error in victu. aut ira caſu aliquo proritata denuo
ad furorẽ reuocauit, Porrò illi huic vitio facilè patẽt, qui natura ſun t

iracundi, acriter excandescẽtes, negotiosi, faciles, hilares: qui iocosis, A
puerilibusque delectantur. Illi etiam, qui contrario his sunt ingenio,
quicunque videlicet stupidi sunt, tristes, tardi in discendo, in laborib.
perseuerantes, & qui cũ demum quid didicerunt, facile obliuioni tradunt, hi & melancholia promptius capiuntur, qui & antea in furorẽ
procidunt. Verum & in ætatibus, quibus calor & sanguis multus est
hi furore exagitantur, vt puberes iuuenes & qui in omnibus vigent.
In quib. aũt calor ex atra bile accenditur, corporisq; habitus ad ariditatẽ vergit: his in melãcholiã cadere facillimũ est. Itẽ victus ratio, mul
cibi assũptio saturitas immodica, ebrietas, luxuria, veneris appetentia
hãc ægritudinẽ concitant. Nonnunquã & mulieres, nisi mundetur B
corpus, furor infestat: cum ipsarum vteri ad virilem congressum apti
euaserunt, aliæ verò haud ita facilè, sed admodum acerbè in furorem
aguntur. Causæ tales sunt, vir nimirum furiosus fit, si consuetus sanguinis exitus, aut bilis, aut sudoris, aliqua de causa repressus est. Et
quibus furor voluptati est, rident, ludunt, saltant noctu, atq; interdiu
irascuntur palam: nonnunquam coronati incedunt, ac si ex aliquo
certamine victores redeant: quib. obuiam fiunt, sunt aspectu iucũdi
Alij verò ab ira furentes nonnunquam sibi vestes prosci derunt, &
seruos interfecerunt, & sibi ipsis manus intulerunt. & obuius quisque
calamitatis non vacat periculo. Species vtique infinitæ sunt. Ingeni C
osi nanq; ac dociles Astronomiã callent sine doctore: Philosophiãq;
possident à nemine traditam: Poeticam quoque veluti à musis infusam norunt. Aliquid enim & in morbis emolumenti præbet docilitas. Rudes autem atque indocti homines hoc malo circumuenti grauia pondera ferunt: figulinam exercent, aut fabrilem: aut lapides cælant. Præterea & monstrosa quædam cogitant. Timebat enim quispiam ne vasa olearia procid erent: Alius non bibebat, se laterem esse
existimans, ne humore dissolueretur, pertimescens. Id etiam fama
diuulgat, carpentarius quidam olim fuit, cùm domi esset, prudens operator: ligna benè metiebatur, scindebat, complanabat, clauis iunge D
bat, aptabatque. in domo extruenda sobrius cum exactorib. operum
versabatur, paciscebatur, pro laboribus iustam mercedem posceba t,
porrò iste in loco, vbi arte sua fungebatur, mente constabat: at si in forum quandoque discederet, ad balneum, aut ad aliud quippiam necessarium: instrumẽta deponens primo suspirabat, deinde egrediens
humeros constringebat: posteà cùm è seruorum, fabricæ, locique illius conspectu abijsset, tum penitus insaniebat, & furore rapiebatur.
quòd si ad eundem locum celeriter recurrisset, iterum ad se redibat.
*Hæc erat inter locum illum & viri mentem cognatio. Causa morbi huius in capite præcordijsque continetur: modo vtroque membro pariter laborare incipiente, modo alterum altero inuicem simul E
lædente. Verùm præcipua furoris & melancholiæ sedes viscera sunt.

*& hæc erat loci & mentis prolatio.

quemadmo-

A quemadmodum caput & ſenſus in phreniticis plerunque primariò laborant. in quibus vis ſenſoria oblæſa eſt, & quæ non adſunt, tanquam iam præſentia conſpiciunt: & alijs non conſpicua, ipſorum ſeſe oculis repræſentant. At furentes tantummodo vident, quæ videre oportet, ſed de illis non ſentiunt, vt ſentiendum eſt. Itaque ſi magnum eſt malum, promptiore ingenio ſunt. ſenſibus acutiores fiunt, ſuſpicioſi ſunt, iracundi nulla de cauſa, mœrentes præter rationem, cum in ſeuerum & tetricum furor vertitur, cum verò ad animi hilaritatem inclinat, læti & alacres fiunt, prius dicti ſine lædente cauſa vigilant, vtriſque viſio deprauata eſt. capitis dolor, aut ſaltem grauitas co-
B mitatur. auditu prompti ſunt, mente tardiſsimi. in quibuſdam ſanè peculiariter ſonant aures, & bombis adeò perſtrepunt: vt tubarum fiſtularumque voces audire ſeſe exiſtiment idque fit, cùm morbus crementum accepit. multo vento inflantur, inquietè ſe habent. in ſumendo cibo voraces atque auidi. vigilant enim & vigilia famem ſuſcitat. verùm neque, vt ægri ſolent, emaciantur: ſed magis peculiaris melancholicis corpulentia eſt: item pallore quodam ſuffunduntur. Quòd ſi autem viſcerum inflammatio inuaſerit, tunc appetentia nutricatioue hebetatur. oculi caui fiunt, non conniuentes: ob quos cœruleæ atræque imagines ſeſe obijciunt, ſi ad melancholiam affectus ver-
C git: ſed rubicundiora & punicea viſa ſunt, ſi ad furorem inclinat. pleriſque etiam tanquam fulgurans ignis apparet, pauorque eos veluti inſtantis fulminis occupat. nonnullis verò & rubent oculi, & ſanguine ſuffuſi ſunt. In ſummo ægritudinis impetu varijs ſecundum quietem viſis perturbantur, immoderateque venerem concupiſcunt. verũ neque eos palàm concumbere pudor aut timor impedit. commonefacti & increpiti ad iram excitati, furore penitus inſaniunt. Exinde alius alio modo furit, quidam immenſum ſpatiũ decurrunt: & quid agant, neſcientes, eodem, vnde diſceſſerant, curſu feruntur. Alij pòſt longum iter ad ſuos propinquos redeunt. Item nonnulli uociferan-
D tur, latrocinium, aut vim illatam querentes. Alij ab hominum conſpectu in ſolitudines fugiunt: ſecumque tantummodo verſantur. Cùm verò iam inclinatus eſt morbus: ſtupidi, quieti, mœſtique ſunt: in notitiam enim morbi venientes, ſua calamitate miſeriaque triſtantur. Alia reperitur furoris ſpecies, qua laborantes propria membra dilacerant, pia cogitatione Dijs ſuis tanquam id poſtulantibus gratificantes. Id furoris genus à perſuaſione quadam duntaxat proficiſcitur. in cæteris hi temperantes modeſtique ſunt. excitantur autem tibiæ cantu, alioue animi oblectamento, aut temulentia, aut præſentium hortatu. Deorum afflatu hic furor prouenit: qui cum ſedatus eſt
E hilares ſunt & curis vacui tanquam dijs initiati. præterea decolores & macie affecti ſunt, diuque ex vulnerum doloribus infirmum eorũ corpus eſt.

De Neruorum resolutione. *Cap. VII.* A

APoplexia, Paraplegia, Paresis, Paralysis, omnia genere eadẽ sũt, aut enim motionis, aut tactus, aut vtriusque defectus est: interdum & mẽtis, interdum & reliquorum sensuum. Sed Apoplexia quidẽ totius corporis & sensus, & mentis, & motionis resolutio est. proinde Apoplexiam fortem soluere nulla facultas potest: debilem verò tollere non facilè est. Paraplegia est tactus motusque remissio, sed in membro vno, vt puta manu crureve. Paralysis autem motus tantum ferè est actionisq; defectio. Quòd si nonnunquam solus tactus deficiat, (raro autem id euenit) potius Anæsthesia, idest, sensus abolitio quã Paresis, idest defectio nominatur. At si Hippocrates apoplectõ, idest, attonitum crus secundum rectum dicat: illud tãquam mortuo simile, inutile, & insanabile vult significare. quod enim in toto corpore est vehemens Apoplexia, illud in crure Paraplegiam vocat. Vrinæ autem in vesica aut suppressio, aut retinendi impotentia, Paresis propriè est. Palpebrarũ verò & malarum, musculorũq; in maxillis, & genæ in alterutram partem diductio, si per conuulsionem torqueãtur, Canina cõuulsio nominatur. Genuum resolutionẽ, sensusq; per aliquantum temporis stuporem, & exanimationem, & casum Lipothymiam, idest animæ deliquium vocitamus. Verum nõnunquam membra singulatim resoluuntur: supercilium, exẽpli gratia, solum, aut digitus, aut maiora etiam, vt manus crusve: nonnunquam simul plura: & aliàs dextra tantùm, aliàs sinistra: aut vnum post aliud omnia resoluuntur exquisitè, aut debiliter. neq; tantum quæ distãtia sunt, & quæ eodem censentur nomine, coniugataq; sunt: vt oculi, manus, crura: verum etiam coniuncta, cognataq; vt nares vsq; ad medium, & lingua vsque ad fines, qui in ipsa media positi sunt. vna tonsilla, & isthmus. ipsaque gula dimidia resoluitur. Ego sanè stomachum etiam, & intestina, & vesicam, oblongumq; intestinum vsque ad principium, idest anum, idem vitium pati existimo. Sed interiora membra resoluta latent, obscuraq; sunt. imperfectæ verò sunt ac dimidiatæ eorũ functiones, proinde mihi & membra dimidia pati videntur in duas partes à morbo diducta. Hæc res nimirum documento est, quo dextræ partis facultas & natura à sinistræ partis natura & facultate differat. Quippe asidens causa æqualis est, & vtriq; cõmunes morbi occasiones: siue frigiditas sit, siue cruditas. Sed vtraque haud æque pati idonea est. Natura verò æquè valens est, vbi subiecta sunt æquè valentia: idem autẽ inæqualib. inesse nullo modo potest. Igitur si infra caput aliquod principiũ affectum sit, qualis Medullæ dorsi membrana est, quæ nominis eiusdem sunt & contigua, dextra in dextris, & in sinistris leua resoluuntur. Verùm si caput primo in dextra patiatur, sinistra: si in leua, dextra neruorũ resolutione laborant. Hoc ideò euenit,

A mit, quòd Neruorũ initia permutata sunt. Neq; enim dextri nerui in dextras partes secundum rectũ vsq; ad extremũ progrediuntur: sed ab initio enati protinus ad oppositos transeunt, se inuicẽ in figuram huius literæ, X, quam Græci Chiasmon vocant, permutantes. Vtque semel dicã, siue omne simul corpus resolutionem neruorũ patiatur, siue aliqua membra, siue ab alterutra, siue ab vtraq; parte: nerui de capite fluentes alia ratione patiuntur. Nã sensu quidẽ, vt paucis dicã, hi priuantur, non admodum autẽ facilè ex se motũ amittunt. Quòd si p communionẽ cũ his, qui mouentur, aliquid vitij contraxerint: paulũ & ipsi motus perdiderint. Nam & per se ipsi motũ tametsi minorẽ B naturaliter possident. Nerui enim à musculis ad musculos transeuntes motionis principatũ obtinent: & his, qui à capite manant, impertiunt. Nerui enim capitis ab illis plurimũ motus participant: tamen ex se quoq;, licet minorem, vim mouendi habent. Atq; hi nimirũ in motu noxam magis patiuntur. Raro autem vsu venit, vt per se iacturam sensus faciant: neq; tunc ex toto eam facere videntur. At si qua copula neruorũ ab osse quopiam enatorũ, & ad ossa pertinentiũ, soluta, aut rupta sit: tũ membra proprio situ non continentur, luxantur, locoq; dimouentur: non tamen sensu priuantur. Hæ sunt aũt Paraplegiæ species. quandoq; enim membra resoluta in longum porrigũ- C tur: neq;, quando extrema longissima apparent, iterũ possunt recuruari. nonnunquã in orbem flectuntur, neq; in longum extenduntur Si quis autem ea, ceu ligna adaptans & poliens, violenter protrahere nititur, breuiora ea seipsis inueniet. Vtrunq; id vitiũ & in oculis pupilla sustinet, aut enim in amplitudinẽ magnam diffunditur: idque Platycorien, idest, pupillæ amplificationẽ appellamus. aut hæc eadẽ in angustum contrahitur, idque Phthisis, aut etiã Mydriasis à nobis dicitur. Vesica etiam in suis obeundis munerib. deprauatur, & Paresim, quam vocant, patitur. aut enim per extentionẽ resoluitur, cùm retinendi impotens lotiũ effundit: aut in se ipsam conuoluitur, cùm D vrinæ plena reddere nihil potest. Morbi huius, Paresis videlicet, causæ prægredientes sex numerantur vulnus: percussio, refrigeratio, cruditas, venus, vinolẽtia. Cæterùm & animi immodicæ perturbationes vt repẽte incussi pauores, timores, animi cõsternatio, & mœror: præterea & in pueris terrores: interdũ inopinatũ atq; ingens gaudiũ: itẽ risus vsq; ad mortẽ implacabilis neruos resoluere consueuerunt. Hæc vtiq; morbi initia sunt: Sed vltima atq; potissima causa est ingenitæ caliditatis refrigeratio, quando ab humiditate aut siccitate iniuriam patitur. ab hac verò magis, quàm ab illa sanatu difficilis læsio est nec nõ & à vulnere, neruiq; intercisione malum insanabile prouenit. Quã E tũ ad ætates attinet, senes & ipsi curationẽ vix recipiũt: pueri facilè ad sanitatẽ redeũt. Inter anni tẽpora hyems hanc ægritudinẽ gignit præcipuè, 2. ver, 3. autũnus, æstas omniũ minimè. Habit⁹ corporis pingues

natura, humidi, desides, belluini, hoc vitio facilè corripiuntur Affe- A
ctus hi jam perfecti talibus signis deprehenduntur, immobilitate, sensu sopito. qui neque calidum, neque frigidum, neque vellicantes aut scalpentes, aut aliter contingentes percipiat. Rarò euenit, vt istis extremitates doleant: verum sanitati recuperandæ indolentia non leuiter prodest. Porrò morbus hic repente inuadere solet. nonnunquam tamen etiam prælonga habet initia, grauitatem, motum difficilem, torporem, frigoris sensum, aliàs caloris excessum, somnos breues, cogitationes, siue apparitiones vehementiores, atque tunc subitò resoluti sunt. Nempe in Canino vocato spasmo, idest, neruorum conuulsione, omnes faciei partes conuelli, non magnopere vsitatum est. B
Sed ad dextras partes leuæ, ad leuas dextræ feruntur: quando buccæ atque os huc atq; illuc, tanquam ex sede propria discedente maxilla longius detorquentur. Etenim quibusdam nonnunquam articulus luxatus est, cùm valde hiantibus maxilla ad inferiora delapsa fuit. in lęsa mala oculi inuersio & strabositas, (vt ita dicam) fit: in palpebra inferiore palpitatio. palpitat & superior aliàs quidem cum oculo, aliàs vero sola. Contenduntur & labia seorsum alterutrum: nonnunquam vero & ambo collapsa balbutiunt. quibusdam & exactè occluduntur, postea repente ac latè dehiscunt, & solitum sputum cum strepitu eijciunt. conuellitur & lingua: siquidem & ipsa musculus est & nerui: quando ad palatum secundum latitudinem tota cohærens subitò sese remouit, & concussionis sonum reddidit. conuellitur & columella: ac si os, quæ interius sunt, in vnum cogat, inopinatus sonus redditur: si vero dehiscat, columellam intueberis nonnunquam palato secundum latitudinem adhærentem: nonnunquam violentia quadam in longum productam, ac descendentem: fistulæ persimilem: quandoquidem & ipsa sonum edit. Porrò caninæ conuulsiones decipiunt. quippe integræ ac sanæ partes ægrotare spectantibus videntur. Nam in omnem partem tentione, colore, oculi maiore amplitudine, lesę partes rectè valere existimantur. D
Deprehenduntur verò & ridendo, & loquendo, & conniuendo. Siquidem læsæ partes omnes cum violentia & strepitu quodam trahuntur: labium risu caret: inter loquendum non mouetur: palpebra non volubilis, oculis intentus ac rigens est: sensus tangendi nihil percipit. At sana membra loquuntur, conniuent, sentiunt, rident.

De Phthisi, Cap. VIII.

*interna

SI ab externa causa abscessu in pulmonibus facto, aut à longinqua tussi aut à sanguinis reiectione & pus extussiant: Pye & Phthisis E
nominatur. Si pectus autem, costaúe suppurauerit, materiaq; per pulmones traducatur, id genus Empye græcè vocatur, Purulentia à latinis

A à latinis dici posset. Quod si & ab his pulmo exulceretur à præterlapso pure corrosus, hoc vitium non vlterius empyem, idest, purulentiã sed Phthoem.i. corruptionem appellato. Simul autem adest & ignis assiduus, qui nunquam intermittere videatur, interdiu latens sudore atque corporis frigore. Hæc enim propria Phthoem sequuntur, quòd videlicet caliditas excitatur, & in noctem emicat, interdiu rursum in visceribus delitescit. patet autem istorum inquies, & imbecillitas, & colliquatio. Nam si per diem corpus ignem euaderet, cur non fieret tunc homo carnosior, & robustior, & morbi tolerantior? vt enim recessit, grauia magis intenduntur: arteriarum motio

B nes paruæ & imbecillæ fiunt: vigilant, color languet, & al a omnia patiuntur, quotquot febricitantes comitari solent. At species humorum propè infinitæ sunt, liuidorum, atrorum, purorum ac syncerorum, aut pallido alboque, aut albo & viridi mixtorum, latorum, rotundorum, durorum, glutinosorum, aut rarorum diffluentium, aut odore carentium, aut fœdè olentium. Omnes autem hæ puris formę ac species sunt. Quicunque verò aut igne, aut aqua humiditates explorant ac notant, hi haud ita multum plithoem mihi dignoscere videntur. Nanque visio quolibet alio sensu certior est, non modo his, quæ reijciuntur, intuendis, sed etiam ægrotantis specie consideran-

C da. Siquis enim vel plebeius hominem viderit pallentem, imbecillũ, tussientem, macie confectum, hunc vera Pthoe laborare pronuntiat. Quinetiam quibuscunque quidem vlceratus pulmo non fuerit, nihil ominus tamen diuturnis febribus consumpti sunt, sæpiusque duriter, & absq; effectu vllo tussientes nihil reijciunt: hos quoque Phthisicos haud ita multũ impropriè nominarunt. Simul verò & his adest pectoris grauitas: pulmo enim infirmus est: angor, intolerantia, cibi fastidium, vespertina extremorum frigiditas, & matutina caliditas: sudor vsque ad pectus caliditate molestior: per tussim varia, qualia memorauimus, extruduntur: vox raucescit: ceruix nonnihil tor-

D tuosa est. gracilis, non versatilis, sed veluti rigens atque intenta: digiti tenues, sed articuli crassi sunt: ossium duntaxat species remansit, si quidem & carnes extabescunt, vngues adunci fiunt digitorum ventres rugosi & lati. nam præ macie neque fasciam ambientem, neque rotunditatem obtinent. quam ob rem & vngues adunci sunt. ea est enim ipsorum requies & fulcimen, quę ipsorum extremitates replet quoniam & ipsi laborem sustinent, quemadmodum & solida membra. Item nares ijsdem acuminatæ, graciles: malæ extantes & rubidę oculi caui, lucidi, micantes: tumida pallida seu liuida facies est, buccarum tenuia dentibus inhærentia causę sunt cur ridentib. assimulētur

E in omnibus denique cadaueris speciem referunt. Hunc in modum & cætera sese habent: tenues enim & carnibus priuati sunt: brachiorum musculi non apparent: mammarum neque vestigia extant: solæ

quædam ſpumæ efflorescentia : inflante ſpiritu collum intumeſcit. A
præcordia reuulſa ſunt: arteriarum pulſatus parui, crebri, atque depreſſi: crura exilia. Quòd ſi hæc vlterius crementum acceperint, inſtar comitialis morbi nonnunquam hominem ſtrangulant. At ſi vertantur in melius, tuſsis * longior, & ratior fiet, plura excernentur ſanioſa ſputa & humidiora: : multa per ventem aquea exturbabuntur: vrina copioſa excernetur, licet nondũ quicquam in ea ſubſidat: vox ſonantior, clariorque reddetur: ſomni longiores, quantum ſatis fuerit, efficientur: præcordia remittentur: dolor interdum ad ſcapulas in remiſsione tranſiuit: anhelitus rarus, lenis, ſed cum vocis aſperitate fit. Ita ſanè mortem effugiunt: Sed in morbi ceſſationibus, licet ipſi non decumbentes obambulent, ſecum tamen morbi ſigna circunferunt. B

* minor

De Pulmonarijs. Cap. II.

AN helitus ſpecies Pulmonarium eſt, quod græci Pneumodes vocant. Et à pulmone vitium, quemadmodum & anhelitus, oritur. Quæ inſunt enim, vtrique communia ſunt, & exigua differentia eſt. Nam ſpirandi anguſtia, & tuſsis, & vigilia, & caliditas vtrunque vitium comitantur. item in cibos odium, & totius corporis extenuatio. Id enim malum cùm fœdum ſit, producitur, neque tamẽ anni ſpatium excedit. Nam ſi autumni tempore ægrotare quis inceperit, vere, aut æſtate futura vitam finiet: ſin hyeme, ſequenti autumno moriturus eſt. Interdũ & ſenes in hanc labem facilè incidunt, &* exterriti. Quibus ea correptis leui momento vt capulo efferátur, opus eſt. omnes ſimillimè ſpiratione priuátur. arteriarũ motus parui, crebri, infirmi ſunt. Sed hæc & in anhelitu reperiuntur. Priuatim verò hi tuſsiunt, tanquam aliquid expulſuri, cùm tamen irritus eorum labor ſit, nihil enim reijciunt, verum ſi quid ex pulmone vi extruditur, illud exiguum, album, rotundum, grandinoſumque eſt. Pectus in his latius vtique eſt, non obtortum, non vlceratum. Tametſi autem pulmo non ſuppuret, humorum tamen veluti concretorum plenus eſt. Temporis intercapedines inter huiuſce morbi acceſsiones longiores ſunt. Nonnulli ex his celerius ſuffocati ſunt, quàm aliquid deterius omne corpus inuaſerit. nonnullis verò in Hydropem circa ilia, aut in eum, qui Anaſarca dicitur, morbus iſte mutatur ac deſinit. C D

* refrigerati

De Iecore. Cap. XIII.

IEcur lieni in generationem ęquilibre eſt. dextram enim leuamque partem hęc viſcera occupant, naturaliter paria numero, ſed facultate tam in ſanitate, quàm in morbis inęqualia. In ſanitate quidem, quoniam principatum alimenti iecur obtinet. ſi quidẽ venarũ radicatio iecur eſt. Quinetiã in morbis i ad ſanitatẽ cõſequendã multò quàm E

A to quã mors,valentiorem causam habet. Igitur quanto ad sanitatem iecur melius est,tanto & deterius à morbis afficitur. Etenim celerius & violẽtius inflãmatur: & frequentius perniciosiusq; abscessum patitur. At duro tumore,qui Scirrhus græcè nũcupatur,affectũ velocius atq; dolẽtius,quã lienis,interficit. Quę ad inflãmationem attinent,in libro de acutis morbis proposui. Quòd si in pus conuertitur, dolor acutus ad iugulũ vsq;,aut & ad summũ humerũ pertinet. Nã præ onere intersceptũ,vnde iecur suspensum est,detrahit: intersceptum verò mẽbranã costis substratã degrauat:ipsum,n.illa consequitur: quæ planè ad iugulũ vsq; & ad summũ humerũ extẽta est,atq; hęc omnia simul ad inferiora detrahuntur. B Ignis acer cũ horrorib. in suppuratione exoritur:tussis arida nõ admodũ crebra diuexat:colore herbaceo ægri tinguntur:si largius colorentur,in auriginẽ incidunt in albidũ vergentes:somni haud ita visis imaginibusq; vacant. Prudẽtes verò cũ sint in omnib.in aliquo tamẽ ad tẽpus oblato repente deli-rant,ad seq; protinus reuertuntur. Tumor sub mãmis,aut sub costis oritur:multi aũt mẽbranæ Peritonæi tumorẽ esse falsò crediderunt. Verũ si tumor sub spurijs costis fiat,cũ premitur,dolor excitatur: iecur intumescit,humiditate nãq; refertũ est. At si nõ sub osse remaneant,inflatur mẽbranæ signũ. C Et ipsius quidẽ circũscriptio & fines patent:post n.fibrarũ circũductum in vacuum abdomen comprimens manus descendit,ac subsidet. Peritonęi verò interminata duritia est: & extremitatis processus nequaquã cernitur. Porrò si ad interiora subit abscessus,lõgè medico natura præstat: aut.n.ad intestina, aut ad vesicam pus conuertet. verùm multo innocentior est in vesicam via. At si extra feratur abscessus,ipsum non secare vtiq; malum est: nam si prętermittatur incisio,ã pure iecur eroditur,nullaq; mortis dilatio est. Si secare autem malis,profluuij sanguinis periculum instat, statimq; hominem perdi contingit. nam sanguinis è iecore profusio coerceri nullo modo potest. D Igitur si aliquando necessariò ad sectionem venire cogeris,vstorium ferramentum candens perspicuumq; ab igne accipito,& vsq; ad puris locum intrudito, idem enim tibi & secat & comburit. Quòd si homo periculum euadit,tum pus album effluet,concoctum,læue,olidũ,quoniã crassum est,istis febres & acerba remittunt, omniaq; facilè mulcebuntur. Verùm si in intestinum pus effunditur,ex aluo primum aquea feruntur, postea humori, in quo sint lotæ carnes,similia:item qualia in torminibus, vbi vlcerata intestina sunt, exire solent. interdum cruentum virus & concretus sanguis effũditur. fertur & bilis flaua,syncera,aut porracea,& postrema interitum afferens nigra bilis. Si non suppurat vlcus, & mali odoris quædam veluti putredinem venter expellit,crudũ alimentũ præterfluit ob ventriculi intestinorumq; intemperiem: neque enim be-

inæquale. Et frustra caruncularum similia in eo fluitantia rotunda, A
aut lata sunt, quæ facilè abluantur, aut tenacia. Vtque in summa de
pure dictum sit, quæcunque alba feruntur, concocta, inodora, læuia
rotunda, & celerius extussiuntur, aut per aluum deturbantur, hæc
tuta & salutaria sunt: quæcunque autem perpallida, biliosa, & inæqualia sunt, ea praua esse scito: Sed multo his peiora, liuida & atra, putredinem enim et exedentia vlcera significant. Ad hæc & habitum simul animaduertere conuenit, & quæ morbum comitantur: nam si excretionem bene tolerat, febre vacat, rectè concoquit, bene coloratus est, bene ad cibos se habet, si facilè extussit, si arteriarum motus bonus est: si vires firmæ, ęgrotus perniciem euadit. At si febris B
superueniat: omniaq; in deterius conuertantur: de salute desperatum est. Prętera & loci abcessibus occupati simul noscendi sunt: quibuscunque enim in osse pectoris, quod Sternon vocant, empyema idest purulentia fit: tardè abscedit. nudæ enim, & excarnes, & cartilagineæ partes illæ sunt: eiusmodi verò non facilè phlegmones redundantiam suscipiunt, & absque suppuratione multum temporis permanent. Siquidem res frigida cartilagines sunt, sed earum phlegmonæ minimè nocent. Ipsius verò habitus colliquationes prauæ sunt, breui enim tempore suppurant. Lienis. iecur, & pulmo, & interseptū celerius quidē pus ducunt, sed periculosa & mortifera sunt C

De Pulmonis abscessibus. Cap. X.

QVicunque pulmonia laborant, si pituita sit, nisi diffundatur, superstites erunt. hi verò morbi primum impetum euadentes purulenti fiunt. Futuri quidem, aut iam perfecti abscessus indicia in capite de purulentis exposuimus. Cùm perfectus iam abscessus est, non vi ac laboribus ad eum rumpendum reijciendumque, quemadmodum in alijs corporibus vsu venit, opus est: sed facilè per superiora excernitur: cùm magis in raritatibus, quàm in corporis habitu distentio fiat. Rarus enim ac foraminulentus pulmo est, spongiæ similis, humorem haud molestè ferens: qui aliam post aliam ina- D
nitatem eo vsque, donec ad asperam arteriam deueniat, permutare solet. Circuitus autem humori faciles sunt, quandoquidem flexile atque lubricum pus est. Respiratio etiam sursum spiritum efflat. Sæpius autem mortem effugiunt, nisi aliquando quispiá subitanea ac multi humidi attractione stranguletur: quòd arteria puris multitudine obstructa aerem non recipiat. Horum nonnulli progressu temporis moriuntur, quemadmodum phthisici aut purulenti extingui solent. Sputa verò candida sunt, spumantia, cum saliua permixta, aliàs ciner acea, aut subnigricantia. Et Bronchia, idest, asperæ arteriæ circuli nonnunquam expuuntur ob vlceris varietatem, si altè ab- E
scessus penetrat: quando & fragmenta visceris expelluntur. Raucescunt:

A scunt: breue spirant: grauem vocem edunt. ipsorum pectora latescunt, & latioribus humiditatis causa indigent. oculorum nigræ partes fulgent, albæ verò albissimæ fiunt, ac pingues: malæ rubent, venę in facie elatæ ac tumidæ sunt. Mirum est autem in his, quòd tenor, quàm pro corpulentia, maior est, animi verò alacritas & constantia tenore potentior.

De Asthmate, siue Anhelitu. Cap. XI.

SI à cursu, exercitationibus, & quolibet negocio spiritus ægrè redditur, Asthma græce, Anhelitus latinè vocatur. Morbus quoq; B ille, quem Græci orthopnœam dicunt, & ipse Asthma nominatur, in accessionibus enim & ipsi anhelant. Orthopnœam verò appellant, quoniam erecto duntaxat corpore facilè spiritum ducunt: decumbentes enim strangulantur, propter extentionem igitur, quæ in spirando adhibetur, effectui nomen Orthopnœa, idest, Recta spiratio inditum est. Erectus enim homo ad respirandum extenditur. at si supinus decubuerit, strangulationis instat periculum Afficitur autem pulmo, simul etiam quæ spirationi conducunt afficiuntur, interceptum & pectus. At si cor vitiatum sit, nunquam diutius vita produci poterit: hoc enim loco spirandi viuendíque initium situm C est. Causa est frigiditas spiritus, atque humiditas: materia verò, crassi glutinosíque humores. Huic vitio mulieres opportunæ sunt magis, quàm viri: quandoquidem & humidæ & frigidæ sunt. Pueri facilius, quàm hæ liberantur: nam ipsorum natura in incremento est, quæ valentissimè calefacere potest. Viri tametsi non facilè hoc morbo capiuntur, citius tamen capti pereunt. Differtur autem interitus quibuscunque opere conficiendo, aut lanis elaborandis pulmo incalescit, & accēditur: quemadmodū calcis opificibus, aut ærarijs fabris, aut ignis in balneis excitatoribus. Morbi verò incepturi notæ huiusmodi sunt, grauitas pectoris: tarditas ad opus solitum, & ad aliud quodli D bet gerendum: in cursu, aut in accliui itinere difficilis & ægra spiratio: raucescunt, ac tussiunt: flatus in præcordijs, atque eructationes præter rationem excitantur. vigilant: noctu parum & obscurè incalescunt: nares acutas, & ad spirationem paratas habent. Si malum in peius ruat, malæ rubent: oculi prominent, veluti in his, qui strangulantur: stertunt, dum vigilant, multo magis, cùm dormiunt: humida, obscura, sonoq; carens vox est: multum & frigidum aerem cupiunt: sub diuo ambulant: quælibet enim domus ipsis ad trahendum spiritum parua & angusta est. Erecti spirant, tanquam omni aere attracto potiri cupientes, præ aeris autem cupiditate & os aperiunt, patefa E ciuntq;, tanquam eo ampliore indigentes. Ipsorum facies præter malas, quæ rubent, pallida est: sudor circa frontem & iugula emanat: assidua & aspera tussis infestat: reijciuntur pauca, tenuia, frigida, veluti

Orthopnœa

Signa morbi

autem papillæ cernuntur. costas non solùm dinumerare perspicuè licet, verùm etiam vbi desinant, intueri facilè est. neq; enim cum vertebris factæ articulationes facilè occultantur. patent etiam in os pectorale costarum insertiones: quarũ interstitia inania & caua sunt, & hóbi figuram secundum ossium circunductum ostendentia. præcordia vacua ad superiora conuulsa sunt. abdomen & ilia spinæ dorsi cohærescunt. artus conspicui, prominentes, & macri sunt: perinde se habẽt & tibia, & coxendix, & brachium, nam spina vertebris superextat, à priore parte caua, vtrisq; musculis per tabem dissipatis. scoptula operta tota sese conspectui offerunt, atq; auiũ alas imitantur. Huiusmodi ægrotis si aluus perturbetur, actum est: sin ad sanitatẽ vergant, pernicіosis contraria signis aduениunt. Porrò senes in hoc malũ frequenter non incidunt, sed minimè euadunt. Iuuenes aũt vsq; ad florentẽ consistentemq; ætatem post sanguinis reiectionẽ in phthisim prolabũtur: inde sanescũt quidẽ, sed nõ facilè. pueri assiduè tussi vsq; ad phthoẽ nonnunquàm diuexati facilè ad sanitatẽ redeunt. Habitus verò in id vitium proni sunt graciles delicatique, sectilibus tabulis similes, alarum instar habentes, prominenti gutture, albidi, rariori pectore. Regiones autem frigidæ atq; humidæ huiusce affectus germanæ sunt.

A B

De purulentis. *Cap. IX.*

C

QVibus hominibus in cauis locis è regione pectoris, aut inferius sub transuerso septo puris abscessus fiunt, si per os id eijciunt, Empyi, hoc est: Purulenti vocitantur. Si per aluum pus deijcitur, Apostematiæ græco vocabulo dicuntur. Ac si in pectore quidem cùm est vlceratum, in pulmone verò, cùm phthoe laborat, aut in subliniente costas membrana aut in osse pectoris, quod Græci Sternon vocant: aut inferius, vbi pulmo cum spina dorsi committitur cohærescitque, aut si quo alio pectoris loco vitium fit: omnibus ad pus excernendum via per pulmonem munita est, Sub intersepto verò in visceribus iecore, liene, renibus per vesicam: in mulieribus etiam per vterum transitus datur. Nempe cuidam ego aliquando abscessum laxioris intestini dextra in parte propè iecur dissecui: multumq; inde puris effusum est. multum quoque per renes & vesicam ad plures dies emanauit. vnde & sanitatem homo adeptus est. Causæ verò communes omniũ hæ sunt, plaga, cruditas, frigus, & id genus alia. Porrò & quibusdam in pectore diuturna tussis incumbens, & lateris inflammatio, & vomica pulmonis, & fluctio longinqua, nec non & acuti morbi in aliquod istorum decubitus: purulentiæ originem præbent. At humor aliàs iners imbecillusque alij inhæret, aliàs acris & mordax, & ad mortem vsque putrefaciens. Nam & species

D E

infinitæ

A infinitæ sunt, quas suo loco posteà memorabimus. Sed magnum pro fectò miraculum est, quomodo id fiat, vt ab exili tenuique membrana nihil crassitudinis habente, membrana inquam costas interius ob tegente, tanta copia puris effundatur. multum enim colligi in multis deprehensum est. Huius rei causa est inflammatio ex sanguinis multiudine oriens, ob quam membrana crassescit: verùm ex multo sanguine multum in medio pus contrahitur. id si ad interiora subeat, costarum ossa suam propriam sedem obtinent, sed phthisis altera species superius à nobis memorata secundum naturam eueniet: sin ad exteriora procurrat, ossa disiunguntur. in aliquod enim inter co

B stas medium spatium ipsius abscessus acies exeritur: quando in hanc atque in illam partem costarum ossa pelluntur Notarum autem quędam omnium communes, quædam singulorum affectuum propriæ sunt: grauitas potius quàm dolor, commune signum est. Pulmo enim dolorem non percipit. febres obscuræ, horrores vespertini, sudores in remissione, vigilia, tumores in extremis pedib. manuumq; digitis subinde consistentes, atque insurgentes, inquies, cibi abominatio, totius corporis macies. Quòd si & in longum mutatio producitur, habitus phthisicus redditur. neque enim vltrà in officio natura perseuerat: quoniam concoctio non fit, qualis anteà. non carnis

C adest conueniens modus: color, qualis belluæ, efficitur. Spiratio cunctis quidem mala, sed illis peior, quibus ad superiorem ventrem morbus ascendit. quin etiam tussis ab initio tantisper vexat, donec inflammatio* quæ vrget, perseuerat. quando & dolores, & horrores augentur, & caliditas, & vigilia, & spiritus difficultas adhuc magis increscunt. Venarum motus parui, torpentes, imbecilli fiunt: mens delirat, pectus distenditur. Verùm enimuerò si ad suppurationem inflammatio veniat, omnia maxima fiunt: sed reiectio parua est cum maiore tussi & ex violento abscessu* in primis pituita fertur bile infecta, ad nigritiem vergens, tanquam admixta fuligine, adhuc tamen cruenta ac

** adest aut vrget.*

** violenta extentione.*

D pinguis pituita est. Quòd si proximè rumpenda inflãmatio est, quæ reijciuntur, speciẽ carnis habent, crassioraque sunt. At si iam rupta sit, strangulatus discrimen impendet, si multum subitaneumque pus emanauit: si pedetẽtim verò emittatur, exactè sanitas aduenit. Porrò si ad inferiora pus transire velit, partes quidem superiores, vbi erat abscessus, acutus dolor occupat. aluus verò humida est, primũ aquosa cũ pituitosis deijciens, deinde cruẽta quædã circumfluentia: rursũq; carnosa, cùm iam effractus abscessus est. Hæc pus sequitur aut per aluum, aut per vrinæ vias elabens. Sed materiæ ad renes & vesicam trasmutationes meliores omnibus sunt. At si pus infrà supraũe fera-

D tur, eius color varius est, pallidus, aut albus aut cinereus, aut liuidus, aut ater. pus item aut olidum est, aut odore vacans: crassissimum, aut mediocris corpulentiæ: aut læuè, æquale, aut asperum

ne se habens iecur iterum ea concoquit. posteà & ignis acer suboritur, omniaque in malum prolabuntur. carnes colliquatione tabescũt motus arteriarum parui sunt, & ægra spiratio. vbi haud ita multo post vitæ finis imponitur. Cæterùm quibusdam difficultas quidem intestinorum vlcusque sanata sunt, morbus tamen in aquam intercutem desijt. Quòd si omnia remittantur, pus album fit, læue, æquale, inodorum: venter deijciat, & cibaria concoquat: homo in bona spe est. Optimum verò est per lotium crisim fieri: hac enim securior est, minusque maleficus puris transitus. Verùm si à phlegmone iecur nõ suppurat, nemini dubium fuerit, tumorem durum subsidentem in scirrhum mutari ac stabiliri: quandò continuus dolor non infestat: cumque adest, obtusus inersq; sentitur: rara verò & caliditas: à cibis alienatio, ab amaris delectatio, à dulcibus contristatio: horrore afficiuntur: subalbicant, virent: lumbi ac pedes tument: facies corrugatur: venter squallet: deiectiones crebræ fiunt. malorum autem colophon aqua intercus. Post aquam intercutem, si multa vrina & crassa feratur, multumque in ea limosi subsidat, & cum impetu erumpat: humorem illum intercutaneum effluere posse sperandum est: si tenuis autem, subsidentia carens, paucaque vrina exeat: aquam intercutẽ auget fouetque. Quòd si pristinas vires natura recipiat, & quandoq; per ventrem cum impetu materiam deturbet, pòst multorum crassorum, aquosorumque depulsionem & ipsum hydropicum morbum tollere consueuit. Verùm id genus auxilij cum periculo est: post enim enim subitas & copiosas inanitiones, extremosque casus prostratis interdum virib. quemadmodum in sanguinis profluuio accidere solet, ægri interierunt. cum minori aũt noxa morbum sudor, si liberalius effluat, dissoluit. Hydropici nanque haud ita multũ in summa cute humectari solent. atque morborum iecoris hic finis est. Quando aũt in iecore pus nascitur Adolescentes, & qui vsque ad consistentem ætatem peruenerunt, his vexantur morbis: mulieres minus his patiendis expositæ sunt. Huiusmodi vitiorum causæ numerantur victus imtemperantia, & longa valetudo. præsertim post difficultatem intestinorum, & colliquationes. quandoquidem & eos Syntecticos, idest, colliquatus nominarunt, qui pòst vlcera iecoris tabefacti moriuntur.

A B C D (margin letters)

Syntectici (margin)

De Liene. Cap. XIIII.

Lieni familiaris longus morbus est, quem Scirrhum nominant. Purulentia verò haud ita facilè, quandoque tamen efficitur. cùm dolor non asper, tumor aũt ingens * spiratione maior exoritur. Siquidem in dextram partem ad iecur vsq; tota communione intumescere visus est. vnde multi vt fallerentur in causa fuit, tanquam non lienis,

*dolore (margin) E

enis,

enis,sed membrana affecta esset. nam peritoneon,quod Græci vocát, inflámatione occupari isti existimant, contumax autem atq; indomitus instar lapidis tumor est.talis plerunq; à Scirrho lienis efficitur: quando & ambiguitas difficultasq; maxima simul adest. Verũ si fortè suppuret,tractabilis est vtique: & in parte summa, vbi puris quoque creatio est,tactui cedit:vbi verò pus non ducit,tactui omnino resistit. Porrò nonnunquam scirrhus totus super ventrem suspensus est, in hanc,atque in illam partem,prout impellitur, delabens:donec,pusillus cũ sit,locum ad fluitandum habet.Adest nausea & anxietas: maximè cum instat eruptio.Incrementi autem notæ sunt febres, dolores,& horrores. multoties.enim horrent:nonnunquàm verò nõ horrent cum breui caliditate, & dolore vacant: hac de causa interdũ & in splene abscessus oriens latuit. rarum enim,& sensu carens in sanitate quoque viscus est.Turgent isti,atque humoris, tanquam Hydropici,pleni sunt,atro colore viridi admixto suffusi.ægrè omnia patientes,pectore veluti pondere oppresso grauiter spirantes,euidens enim malum est.vsque ad superiora spiritu venter impletur crasso,caliginoso,humido quidem ad speciem, cùm tamen non sit humidus, tussis adest,multumque irritantur,sed pauca sicca extruduntur. Venter si quæ infra depellit aquosa, primò paulum subleuat,deinde si largius deijcit,hominem quidem tabefacit, sed nihilominus iuuat. At si & abscessus ruptus fuerit:pus vtique purum & concoctum nunquam excernitur,sed subalbidum & cinereum, quandoque fæculentũ, aut liuidum,quòd si & profundior abscessus fuerit,nigra etiam fertur humiditas:quando & aliqua succi lienis, qui simul tabescit, particula exprimitur, Quibusdam præterea & integræ lienis partes exierunt: siquidem & natura dissolubilis lienis est. Cæterùm si morbus vlcero non substitit, sed in longum tempus extrahitur, cibos auersantur, malo sunt habitu,tumidi,aspectu fœdi,multis vlceribus toto corpore,sed maximè in cruribus scatent,rotunda,liuida,concaua, sordida, ægrè sanabilia vlcera sunt.sique demum tabefacti interiere.At in exiguo tumore cum duritia & renixu indolentia est.vnde fit,vt isti longiorem vitam ducant. Verùm si ab affectu superentur,aqua intercus aut pththisis necessariò sequitur: & corporis eliquatio superuenit, atque iste sanè perniciei modus ipsos è vita migrare compellit. Pueri ac iuuenes facilè calamitatem hanc patiuntur, facileque inde liberantur:senes verò non facilè vtique læduntur,sed affecti euadere interitum nequeunt. Quinetiam seniores quidam nescientes ipsi vitio lienis absumpti sunt:nam & pusillus tumor ipsis causa interitus fuit. Longa quoque ægritudo tabifica lienem lædit,& iuuenibus ocium maximè nocet,quicunque à certaminibus exercitationibusque corpus quieti desidiæque tradunt:loca palustria,aquæ exuberantes,salsæ,virosæ:inter anni tempora serinus autumnus.

De Morbo regio. Cap. XV. A

* Icteritia.

SI bile flaua, vitellina, aut crocina, aut nigra cum viridi mixta omne corpus à viscere suffusum sit: affectus hic à Grçcis Icterus. à latinis Regius morbus, siue Arquatus, siue Aurigo dicitur. Difficile vtiq; in acutis malum est: quia non solùm ante septimum apparens, sed etiam post septimum infinitos necauit. raro autem ad extremum febrem bene iudicauit: ipse verò haud facilè discutitur. Neque vitio iecoris tantummodo prouenit, vt nonnulli medicorum existimant: sed & ventriculus, & lienis, & renes, & laxum intestinum in causa sunt, & ab iecinore quidem nascitur, si phlegmone, aut scirrho B viscus illud opprimitur, à solito tamen munere nõ impeditur:* creatur enim in iecinore bilis, eamque in iecinore posita vesica secernit. Verùm si meatus ad intestinum bilem deferentes phlegmone, aut scirrho interclusi fuerint. vesica autem exundauerit: bilis retrò labitur. Cum sanguine igitur miscetur, qui per totum corpus discurrens, secumque bilem vehens in omnia membra diffundit: atque ita corporis species bile tingitur. Stercora verò albida sunt & argillam referentia. neque enim bile colorantur, quoniam humoris eius affluxu carent. iccirco & venter valde siccus est. siquidem bile nec madet, neque stimulatur. color autem ad* albedinem vergit. Si morbus regius ab liene ortum habeat, color est ater cum viridi mixtus. ipsius enim* atra bilis alimentum est: cùm sanguinis atri effigies quædam ac simulacrum sit. cuius purgamenta non suscipit, neq; elaborat lienis ægrotans. inde fit vt per omne corpus cum sanguine dilabantur. Propterea lienis arquato laborantes cum viriditate quadam nigricant. At ipsorum quoque consueta stercora nigriore colore imbuta sunt. nam quod alimenti in splene abundat, ad vias exitus tanquàm recrementum propellitur. A laxo etiam intestino & ventriculo arquatus prouenit. vbi concoquendi facultas in ventriculo & laxo intestino quod Græci Colon nominant, lęsa fuerit. nam & in colo con- D coctio efficitur, & ab ipso alimentum in iecur digeritur. Igitur si aliud alimentum crudius iecur susceperit, proprium quidem elaborat, & conficit, alienum verò dimittit. sanguis enim, qui distribuitur, coli cessationem atque inertiam retinens. in omnem partem labens eam disseminat. in colo autem cruditas ipsius bilis effectio est. Hunc sanè in modum ab omnibus visceribus arquatus oriri poterit, non modò ab ijs, quæ iecori escam suggerunt, sed etiam ab ijs, quę à iecore suscipiunt. Neq; enim per canales duntaxat sensiles, sed multo copiosius per halitus natura in omne corpus alimenta distribuit: qui à toto in totum natura ipsos per solidas ac densas partes dirigen- E te discurrere facilè queunt. gignuntur itaq; halitus bile infecti: & corpus, vbi insederint, colorant. Nempè per aluum laborante colo

non

* creat enim in iecinore bilem.

* album cum viridi mixtum.

* atrum

A non fit albida excretio: iecur enim creandis succis nullam noxam patitur, exitumque bilis ad intestina patentem habet. Habitus quoque totius corporis ad morbum regium citandũ summopere efficax est. habet enim & in toto causam, quæ huiusmodi est. In omnibus corporis partibus calor ad concoquendum insitus est: in omnibus item humorum est creatio ac separatio, sed aliorum alia, singulis autẽ propria: vt puta in carne sudor, in oculis lachryma, in articulis & naribus mucus, in auribus Cypselis græcè dicta, Latini auriũ Marmorata, seu Cerumina vocant. Itaq; si ad singula obeunda munera calidum fatigatum lassatumq; fuerit: ipsum quidem in acre atq; igneũ B vertitur, humiditates autem omnes in bilem abeunt. ignis enim opera amara & bile infecta sunt. quòd si & in sanguine cruditas incidat: sanguis biliosus efficitur, & quoquo versus nutriens dispergitur. Propterea & vbique bilis conspicitur. Planè acerbum id malum est, color verò specie horribilis: etenim colore aurũ repræsentant: sed nõ hominẽ decet, quod in lapide pulchrum fuerit. At superuacuũ mihi videtur, vnde id nomen Icterus tractum fuerit, explicare: præterquã à terrestrib. feris quadrupedibus: quas Græci Ictidas, latini Viuerras, aliqui Martes vocant. & Syluestris mustelæ species est. his .n. bestijs oculi huiuscemodi colore tincti sunt. Duæ sunt huiusce labis species. *Icteri species.* C aut enim in flauum croceũq; vergit, simulq; albicat & virescit: aut in liuidum nigrũq; declinat. atq; adeo istorum causa est, ipsius autẽ bilis species est: Aliqua enim bilis flaua est subtilis, perspicua, tenuioris generis aut ad liuidũ atrũq; declinans: aliqua magis colore saturata vt crocum, aut vitellum eiusdem speciei quis affirmet. Secunda bilis species nigrioris coloris est, porri, aut issatidis herbæ colorem referens, atra. inter hæc extrema infinitæ sunt colorum varietates, penes autem calorem atq; humiditates istarum mutatio fit. Quin etiam viscera huiusce varietatis causæ sunt: vt puta si flauum viscus sit, quale iecur est, aut liuidum: qualis lienis. Quo circa si ab aliquo viscere D arquatus oritur: à iecore quidem, iecoris notæ sunt: à liene, lienis: singulorumq; vnde oritur, membrorum singula indicia apparent. Si nullius membri signa videantur, vniuersi habitus ægritudo est. Perspicua verò sunt & ea, quę in albissimis oculis cernuntur. Frontis autẽ secundum tempora, in corporibus naturaliter albis præcipuè, & in paruo arquato color exquisitior efflorescit. Porrò quicunq; nigro arquato laborant, in his ater color viridi cõmixtus apparet, ijdem frigent: imbecilli, desides, tristes, atq; demissi animo sunt: tetrum odorẽ exhalant: gustatum amarum habent: spiritum non facile ducunt: in ventriculo morsum percipiunt: alui excrementa porracea, subnigra, E arida sunt, ęgręq; descendunt: vrina valde colorata est, ad nigrius vergens: ad hæc cruditate laborant, cibum detestantur, vigilant, mœrẽt. melancholia agitantur. At in albiore arquato color est ex albo & vi-

riditeimperatus: mente sunt hilariores: cibos accipere primò eos piget, sed vbi cœperunt, nauiter comedunt, facilius quàm priores concoquunt: alui purgamenta alba sunt, arida, cretacea. lotium reddunt flauum, pallidum, crocinum. In vtrisq; corpus omne pruriginosum est: calor in naribus exiguus quidem, sed mordax percipitur: nam biliosum distrahit laniatq;: Gustatus amarorum quidem non amarus, quod mirum est, non tamen dulcis: dulciũ verò amarus. in ore nanq; bilis in lingua residens, & prius cibis occurrens sensum ludificatur, ac decipit. Lingua enim bile suffusa eos non sentit. atque anteà quidem ieiunij tempore bilis quiescit: neque icciro lingua propter consuetudinem ægrè fert: verùm si cibis excitata bilis efferbuerit, ipsa cibis obiecta prius linguam mouet ac stimulat. Itaq; siue amara sit esca, amari sensus est, siue dulcis, biliosi perceptio. bilis enim sensio præuertit. Falluntur autem, qui amara videri dulcia existimant. res enim haud ita se habet: sed quoniam membrorum amaro aliquo delibutum duntaxat propter morbi consuetudinem amaritiem non percipit, ideò speciem dulcescentis repræsentat. verùm in dulcibus & amaris cibarijs idem status reperitur. fallacium igitur ciborum velamentũ bilis est. Vtique si nullius visceris calefactio euidens fuerit, plerunq; sine noxa arquatus est, sed diuturnior. si perseuerauerit, atq; insuper viscus inflammatione vexatum fuerit: in aquam intercutem, & malum corporis habitum vt plurimum desinit. Plerique & sine aqua intercute colliquati interiere. Id malum adolescentulis iuuenibusque familiare est: quibus & minus officit. Pueris autem non admodum insuetum, non omnino tamen innoxium est.

De Cachexia, siue malo corporis habitu. *Cap. XVI.*

OMnium simul vitiorum malus habitus conuersio est. Siquidẽ ab omnib. morbis propagatur & emanat. Verùm & ipse solus citra alios morbos materiam multam lutulentam pro fomite nactus, à principio noua ægritudo gignitur. Et habitus quidem malus simplex communis est omnium & symptomata multa comitantur: nomenque ipsum significanter inditum est. Gracilitas verò, aut pallor aut tumor, & si quid aliud insit, ad tempus durans in corpore exoritur. Malus autem habitus vnius ingentis affectus species est. eique nomen tale fuit impositum. Nam hominis ad omnia bonus habitus est: & ad concoctionẽ aut ad distributionem sanguinis creatio, atque omnis naturæ functio inde prouenit. hæc consequitur facilis spiratio validæ vires, floridus color, sed prima omnium sanitas. Quòd si ad imbecillitatem vitiosorum corporis humorum, quæ Cacochymia à græcis dicitur, natura conuersa fuerit: id iam malus habitus est, quem Græci Cachexiam nominant. Valetudo hæc vix sanabilis est, malumq;

A lumque longissimum. longo enim tempore acquiritur, neque ab vno corporis vitio, neque ab vno viscere prodiens. Sed omnium est in deterius conuersio. Quocirca ab hac enascentes morbi ineuitabiles sunt, vt puta aqua intercus, aut phthisis, aut eliquatio. Siquidem & mali habitus causę colliquationis germanæ sunt. Morbus* autem in multum tempus extrahitur: intestinorum difficultas adest continua: quibusdam morborum reuersiones eueniunt. bene vtique cibos appetunt, tametsi multos ingerant, ac repleantur: crudi verò, & non confecti digeruntur. quoniam alimenti elaboratio ad coctionem pertinens, debilis admodum atque inualida est. Labis huius causæ sunt & ab hæmorrhoidibus, quas vocant, venis effluuij suppressio, & visitatorum vomituum retentio, & ab exercitationibus quies, & sudorum exiccatio, & ab ingentibus laboribus ocium, quando enim horum singula, quæ aderant non amplius reuertuntur: tunc sequitur corporis grauitas, pallor subinde repetens, venter flatibus refertus, oculi concaui, somni graues torporem afferentes. Verùm enimuerò hæc si erraticè, & non statis temporibus fiant: morbi inconstantiam infirmitatemque significant. sin altius exactis radicibus maneant. neque desistere velint: ingentis mali nuncia sunt. Stantibus pedes tibiæque intumescunt, decumbentibus autem* partes decliues atque iacentes. Quòd si decubitum mutauerint, tumor in illas decumbentes partes deuoluitur: humidique aut frigidi in grauitatem fit circuitus. nam si calor humidum euaporet, id verò non effundatur, posteà delabitur. Multos vtique cibos appetunt, edaces admodum sunt: celerior concoctione distributio fit, crudiorum magis, quàm inconcoctorum. nutricatio non perficitur. Sed hoc inde prouenit, quoniam in toto alimentum à natura non concoquitur. in ventre enim atque in omni corpore caloris imbecillitas eadem est. quapropter neque optimus, neque boni caloris sanguis procreatur. cumque crudorum succorum omne corpus refertum fuerit, & ciborum appetentia euanescat: sic malo habitu vsque ad ventriculum grassante, & affectu iam summam potentiam obtinente, tunc sanè tumidi fiunt, imbecilli, & ad omne opus abiecto prostratoque animo. Aluus siccior est. plerunque recremenra bile priuata, alba, aspera, crudaque deijciunt: corpore squallent, sudore carentes & pruriginosi. somnus nequaquam firmus est, sed decumbentes conniuent: tardè spiritum ducunt: arteriarum motus languidi sunt, debiles, frequentes: post quælibet autem vel exiguam actionem frequentissimi fiunt. Post hęc respiratio cum anhelitu fit: venæ in temporibus elatæ apparent: partes enim, quæ circumiacent, emacruerunt: verùm & in brachialibus longè grandiores inflatione venæ redditæ sunt: sanguis atro calore viridi admixto infectus est. Ab his phthisis, aut colliquatio hydro-

(Margin letters B, C, D, E mark sections.)

* *iste parua intestinorum difficultas est.*

* *fæmora decliuia atque iacentia*

dem anasarca vocatam, aut ascitem adducit: istorumque procreatio ineuitabilis est. Aetates huius morbi feraces sunt in primis senectus, neque mortem euadunt. Pueri & celeriter pati idonei sunt, & liberantur facilius. Florentes ætate haud ita valde huic malo patent, non tamen penitus facilè sanantur. Tempus anni non vnum hanc fert ægritudinem, neq; vno tempore finitur: verùm autumnus concipit, hyems alit, ver ad vltimá vehementiá perducit, æstas verò interficit. A

ARETAEI CAPPADOCIS

DE SIGNIS ET CAVSIS DIVTVRNORVM MORBORVM. B

Liber Quartus.

IVNIO PAVLO CRASSO PATAVINO INTERPRETE.

Hæc insunt in hoc libro.

C D

De Hydrope, hoc est, Aqua inter cutem. Cap. I.



Qua inter cutem, quam Græci Hydropa vocant, iniucundum aspectu vitium est, & toleratu difficile, ab ipso enim perpauci liberantur; idque fœlicitate quadam ac Deorũ potius, quàm artis auxilio. Maiora enim omnia vitia soli Dij medicantur. Nam aut in viscere primario E morbus delitescens totum in malum habitum conuertit, aut omne corpus ingruente pestilẽtia in malũ succũ viscera permutauit, quãdo sibi

A sibi vtraque vicissim ad perniciem suffragantur:nullaque est pars noxa carens, quæ vel modicam naturæ opem afferre possit. Est autē ad humectationem fluctio frigida,crassa,qualis est nebula vniuerso:aut conuersio ab humida & frigida causa in talem habitum hominem permutante. Neque enim in inferiori ventre fluctuans humidum Hydropa nuncupamus:quandoquidem neq; ibi vitium est: sed cùm morbum consequitur tumor, inflatio,coloris fœditas: iste in aquam habitus colliquans hydrops & est,& appellatur. Nam tametsi nonnunquā foras sponte aqua prorumpit,aut aliquis præcordia rescindens effundit:adhuc in sede sua permanent hydropici.Princeps itaq;

B causa malus habitus est,species autem plures.verùm & eius nomen aliud atque aliud. nam si sit humida suffusio, quæ in ilibus fluitet, & præ inflatione,cùm verberantur,tympanum quodammodo referāt: Tympanias nominatur: at si aqua copiosa in peritoneo continetur, natantque in humore intestina: Ascitem eam cognominarunt.sin autem ilia nihil istorum habeant,sed omne corpus intumescat,si ex alba pituita crassa,& frigida: Phlegmatias ei nomen est: si in humorem sanguineum,aquosum,tenuem,carnes liquatæ fuerint,Hydrops anasarca generatur. praua quidem est harum singularum constitutio,peior autem multò ipsarum permixtio.Nam earum,quæ in ilibus fiunt *Hydropæ species*

C vna vni earum,quæ totum corpus inflant,sociari nonnunquam consueuit. Difficillimus est autem tympanias cum anasarca vocato copulatus. Ex occupantibus enim ilia separatim tympanias ascite improbior est:ex infestantibus verò totum corpus leuco phlegmatias,quam anasarca benignior. Mitis quidem vt in desperatis morbus est,si minor species cum minori pariter coniungatur:peior verò si aliqua ex minoribus cum altera ex maioribus admisceatur. Quòd si duarum maiorum mixtio exactè facta fuerit, grauius inde malum exoritur.Notæ autem maximæ sunt,& visu,& tactu,& auditu facillimæ. In ascite nanque in ilibus tumorem, in pedibus inflationem videre li

D cet, facies, brachia,& reliqua gracilia cernuntur,intumescunt testes præputium,& totus colis ob inæqualitatem tumoris tortuosus est. tangito verò, & aliquam in partem manum imprimens intrò moderatè pellito. ad alias enim partes humiditas transfluit. Verùm etiā in corporis ad alterutrum latus conuersionib.humor in locū decliuē & tumorem & fluctuationem facit, fluctuantisque liquoris sonitus exauditur,quinetiam sicubi digitum impegeris,locus cauus efficitur & multum temporis cauus perseuerat.Hæc vtique ascitem signa declarant.Tympanias autem vltra tumoris spectaculum,etiam auditu sonorus est.nam ad palmæ percussum abdomen sonum edit: neque

E ad corporis conuersionem spiritus locum mutat.Et si enim locus ambiens aliquorsum inclinat,spiritus tamen æqualis suprà & infrà vbiq; permanet. Cæterùm si in nebulam & aquam spiritus vertatur, (nam

ascites ex tympania gignitur) si non perfectè mutatus aliquãdo fuerit, ex dimidio factus in ventre fluitat. Cæterùm anasarca & leucophlegmatias ilia habent inania: tumidam faciem & brachia & quæcunque in alijs vacua sunt, in huiusmodi ægrotis opplentur. Quandoquidem in leucophlegmatia alba pituita, frigida, & crassa redundat: hac omne corpus impletur: facies, collum, brachiaque tumescunt: abdomenque ex inflatione crassescit. mammæ quoq; in tumorem excitantur. illis scilicet, qui iuuenes robusti in ętatis prospera fortuna consistunt. At in hydrope anasarca vocato carnis liquamentum fit in succum speciem carnis referentem: saniesq; cruenta, qualis ab intestinorum vlceribus emanat, talis verò & à membris aliquo graui, quod superinciderit, contusis, si* paulũ superficiẽ secueris, humor effunditur. Ex duabus quidẽ speciebus permixtio ambarum indicia obtinebit. Omnibus verò simul inest pallor, spirationis difficultas, tussis: diuersis temporibus segnes sunt, pigritia multa, à cibo alienatio. quòd si aliquid assumant quamuis modicũ, & flatu carens, nihilominus valde inflantur, distentiones patiuntur, quales ex saturitate fiunt. citra madorẽ eorum corpus est: iccirco neq; in balneis sudore madescunt. præterea albidi sunt, & effœminati. Anasarca laborantes colore ex atro viridiq; permixto infecti sunt: obscurasq; & nigras venas habent: In ascite atq; tympania conspicuæ, atq; admodum euidẽtes sunt in brachialibus atq; in abdomine. In anasarca verò atq; phlegmatia tumore omnia delitescunt: somni sunt graues, torpentes, breues: animæ deliquium, circa minima quæq; solicitudo, viuendi cupiditas: tolerantia non ex animi alacritate, ac bona spe, vt in ijs est, qui prospera fortuna vtuntur: sed ex ipsa morbi natura. neq; causa dici potest, sed mirari tantũ id licet, quod me hercule magnum est. nanque in alijs haud omnino perniciosis affectibus ægrotantes abiecto sunt animo, tristes, mortis amatores, in his verò & benè sperant, & vitæ cupidi sunt. Ambo hæc contraria morbi efficiunt. Aqua inter cutem nonnunquã à copioso frigidæ potu continuò prouenit, cũ prę nimia siti ad saturitatẽ quispiam multam aquam gelidam ingurgitauerit, posteà humidum in peritoneum delatum sit, atq; inde in ventribus insitus calor refrigeratus fuerit. deinde in ilia guttę effluũt, quę prius in aerẽ versæ per transpirationẽ discutiebantur, Id igitur si incidit, facilior est huius morbi curatio, ante quàm viscus aliquod, aut totus homo affectus sit. Cæterũ & ventosus cibus, & cruditas, & buprestes aquam inter cutem pepererunt. Est hæc omnibus cõmunis calamitas viris, mulieribus, cuicũque ætati, præterquam quòd alij in aliam speciẽ sunt propensiores. In vocatã anasarcam, & leucophlegmatiam pueri: Iuuenes autem ad consistentem vsq; ætatẽ inundationi ilium obnoxij sunt. At senes omnibus quidem generibus sunt expositi, cũ inopes sint caloris: frigida enim senectus est, verũ ad humoris multitudinem

* quod mẽbrum multũ secu. &c

A B C D E

A tudinem contrahendam apti non sunt. ipsis igitur tympanias accidere cõsueuit. Omnes quidem species praue, hydrops enim morborum omnium vitiũ est: Sed inter ipsas leucophlegmatias mitior habetur: nam multę, & varię sunt eius tollendæ prosperæ occasiones, sudoris, aut lotij excretione, aut alui nonnunquam in huiusmodi ægrotantibus copioso effluuio, iam abeunte aquæ inter cutem habitu. Difficilis autem tympanias est: adhuc tympania difficilior anasarca. Oportet enim medicum hoc in morbo totum hominem permutare. Quòd profectò neque Dijs ipsis facilè fuerit. Nonnunquam & exi-
B gua in parte homo aquam inter cutem patitur: vt secundum caput in eo morbo, qui Hydrocephalus nuncupatur, aut in pulmone solo, aut iecinore, aut liene, aut in mulierum vtero. & cœteris hæc species sanabilior. Nam si eius ostiolum à priori conclusione hiare cœperit: humorem quidem si habeat, effundit: si spiritum, efflat. quòd si vterus anasarca laboret, plurimùm tota mulier aquam inter cutem patitur. Alia quædam hydropici morbi species talis agnoscitur: in ea vesiculæ quædam pusillæ, crebræ, humoris plenæ in loco, vbi Ascites fieri solet, excitantur. Cæterùm quòd humore multo refertæ sint, illud indicio est, si abdomine perforato parum admodum humoris effundes. Ab interiori sanè parte vesica occlusit: at si altius instru-
C mentum impuleris, iterum succus emanabit. Hæc vtique aquæ inter cutem species haud leuis est: vnde enim id genus vesiculæ erupe rint, via haud facilè reperitur. Alij nanque affirmant huiusmodi ampullas per intestina transijsse. Ego verò id nunquam vidi: iccirco, neque non scribendo affirmo. nam siue ex intestino colo, siue ex ventre ferantur, qualis sit ipsarum generationis modus, quid dicam nihil certi habeo. iter enim ad omnium excretionem per sedem lubricum, ac patens est. at ipsius humoris in ilibus collecti per intestinorum rupturam egressio credi non potest: neque enim innoxium,
D neque citra perniciem intestini vulnus est.

De Diabete, siue vrinæ profluuio. Cap. II.

DIabetes qui vocatur affectus, miraculũ quoddam est, haud ita sæpè hominibus vsitatus, carniũ, ac membrorum in vrinam colliquatio. Frigida atque humida, vt in aqua inter cutem, causa est. Transitus aũt consuetus, renes & vesica. Neq; n. cũ intermissione lotium reddunt: sed perinde atq; canales laxati sint, indesinẽs est profusio. Diuturna est huius morbi creatio, & longo tẽpore concipitur Breuis erit autẽ hominis vita, in quo affectus iste perfectus fuerit: ve-
E lox enim est colliquatio, & festina interdũ mors aduenit, & vita fœda est, ac vexata laboribus. Sitis intolerãda est, potus copiosus, multitudini tamẽ lotij non respondens, copiosius enim lotium redditur:

neque eos quiſquam neque à potu,neque à mictu inhibere poteſt. A
Quòd ſi vel punctum temporis inhibeantur,ſi quidem à potu, os ſic-
catur, corpus areſcit, viſcera ipſi ſua conflagrare opinantur, omnia
faſtidiunt,de omnibus dubitant, haud multo poſt mortem obeunt
ardentiſsima ſitis adeſt. Mictum verò quæ ratio ſuppreſſerit. aut
quæ verecundia dolore potentior? Sin autem vel parum temporis à
meiendo abſtinuerint, intumeſcunt lumbi, teſtes & ilia:cumque re-
miſerint, lotium quidem calefactione profundunt, tumidæ verò
partes detumeſcunt in veſicam enim confluit exundatio. Cùm mor-
bus iſte iam perfectus eſt, facilè omnes eum deprehendunt. Sed
cùm futurus eſt,os humore priuatur: ſaliua eſt albida,ſpumans, pe- B
rinde atque in ſiti: nondum tamen ſitiunt. præcordia grauia ſunt:
calorem, aut frigus à ventre in veſicam tendere ſentiunt, prout ad-
uentantis morbi proceſſus eſt,quinetiam paulò plus lotij,quàm mo-
ris erat,effunditur. ſitis adeſt,ſed nondum vehemens. Cumque am-
plius crementum accipit,calefactio parua quidem, ſed mordax viſce
ribus inhærens exoritur. abdomen habent rugoſum, venas extan-
tes, totum corporis habitum gracilem, quando & vrinæ proflu-
uium, & ſitis iam auctæ inſigniter ſunt.cumque ad extremum co-
lem vitij conſenſus peruenerit, protinus vrinam reddunt: atque in-
de mihi huic morbo Diabetes appellatio indita fuiſſe videtur,perin- C
de ac ſi pertranſeuntem dixeris, quòd in corpore humor non rema-
net:Sed vbicunque in homine collectus ſtagnauerit ad exitum labi-
tur. Durant ſanè aliquod tempus, licet non admodum diu: nam
cum dolore meiunt, atque atrox fit liquefactio. neque enim ex po-
tu aliqua inſignis portio in corpus abſumitur.& carnium magna co-
pia in vrinam eliquatur. Huiuſce languoris cauſa aliquis acutus
morbus eſſe poteſt,qui hanc in partem impetum fecerit, & in criſi
aliquod malignum virus latenter morbi reliquerunt. Haud incredi-
bile eſt etiam aliquod pernicioſum venenum ex his, quæ veſicam &
renes infeſtant, huic affectui cauſam præbuiſſe. Quinetiam ſi quis D
à Dipſade morſus ſit,talis morſum affectus ſequitur. Dipſas autem
reptilis fera ſi quem percuſſerit, ſitim non ferendam accendit, iſque
copioſè bibit:neque ſiti medetur,ſed ventrem obruit humore: adeo
inexplebilis eſt bibendi cupiditas. At ſiquis ob ventris diſtentio-
nem doleat, graueturque humoris copia,& ideo paulum temporis à
potu abſtineat, iterum ſitiens largiſsimè bibit. Atque hæc eſt ma-
lorum viciſsitudo: ſe nanque mutuò ſitis & potus adiuuant. Alij
præterea ſunt,qui lotium non reddunt: neq; vlla eſt alia eius, quod
bibunt, tranſpiratio, itaque potus inſatiabili auiditate, humoris
inundatione, ventris diſtentione, repente ac penitus diſrupti ſunt. E

De

A *De Renum affectibus.* *Cap. III.*

RENES substantia glandulas, quas Græci Adenas vocant, referunt: colore autem rubidiores sunt, quale est iecur potius, quàm mammæ, aut testes. nã & hi adenes sunt, verũ albiores. Figura testibus similes, lati magis sunt, iuxta & retorti. Sinus habẽt exiguos ad lotiũ excolandũ cribrorũ instar foraminib. peruios. Ex vtroq; neruosi canaliculi tanquã fistulæ expullulant, qui in vesicæ terga vtrinq; sese inserunt, æqualis est aũt lotij à renib. in vesicam via. Multi autẽ
B atque varij affectus renes istos meatusq; malè habent: aliqui acuti sanguinis profluuio, & febribus, & inflammationibus iugulantes, hi verò sunt, quotquot ego enumeraui: aliqui diuturni hominem colliquatione dissoluentes. haud lętales quidem, sed insanabiles, & vnà cum ægroto cõmorientes. Diuturni itaque sunt abscessus, vlcera, calculorum exortus, hęmorrhoides vocatæ. Vlcera quidem hominis ex abscessu facta omnia planè diuturnissima sunt, atq; ægrè sanationẽ recipientia. Calculorũ verò diuturna est creatio, cum dolore obstructiones: haud enim facillimus est exitus. ad hæc difficilis est & lotij suppressio. At si multi sint, & exigui calculi, sese mutuò impedientes,
C remorantur: aut si vnus magnus locorum angustijs intrusus inhærescat. Atq; vtroq; in rene hæc fieri vsu veniat, interclusa vrina, distentisque locis, paucis diebus superstites ęgri moriuntur. Rectè sanè natura renũ ventrem oblongum, & vrinæ canalibus magnitudine ęqualẽ fabricauit, exiguis quidẽ calculis ampliorem, quò superius cõcretus calculus expeditissimũ in vesicam iter inueniat, atq; ideo lapilli oblongi generantur. Plerunq; enim propè vrinę fistulas id genus lapilli cõcrescunt: & quotquot eo loco fiunt, inæqualis crassitudinis sunt. priori quidẽ in parte ob canaliũ angustiã gracilescunt. posteriori aũt crassiores fiũt: quoniã renes deorsum vergũt. in solis au-
D tem renibus oriuntur, hisq; igneo calore feruentibus. neq; .n. sedem in fistulis vrinæ calculi obtinent, sed arenulæ cum lotio per eas fistulas inferius delabũtur, quę & indicia & materia huiusce affectus sũt. Quòd si aliquando grandior effectus lapis concauo renis inhæserit. tunc dolores lumborum circa musculos, quos Psoas Græci appellãt, excitantur, & ad medias vsq; costas perueniunt. Multis sanè dolor iste, perinde ac si morbi lateralis esset, imposuit, præterea grauitas adest coxẽdicis: dorsum ægrè incuruatur: difficulter annuũt: tormina dolores inferunt grauia, perseuerantia: intestinũ enim sinuosum est, cumq; exundat vrina. & distentiones increscunt, ad meiẽdum, vt
E in parturiginibus, proritantur: flatuosi sunt, sed flatus excerni nequeũt. febres adsunt mordaces, præaridæ: squalida quidẽ lingua, sicca verò est aluus: macrescũt, à cibo abhorrent: quòd si quid assumant,

ne que concoquere, neque distribuere facilè possunt, Sin autem in lo- A
Hæc verba abundare videntur. ti j canaliculum lapis inciderit, concussio corporis fit, vt in rigore. calculi progressus sentitur † communi simul violento. Quòd si in vesicam delapsus fuerit, lotium aquosum vberius effunditur: aluus deijcit: flatus inde exhalant * extentus stomachus est: ructus eduntur, à *tranquillus* prioribus malis quies datur. interdum quoque vlcerato canali præter lotium cruor emanat. Secundus porrò cruciatus est, cùm per colem calculus transmittitur. Nam si amplior sit, quàm vrinæ iter, (Græci Vrethram vocant) capere possit, in eo multum temporis hæsitat, atque vesica multitudine vrinæ completur: tumque eius maiore cum dolore suppressio fit. nam cum vesica & canales vreteres vocati replentur. B Aegerrimè autem tortuosi calculi exeunt: quosdam enim & hamatos vidi, in meatibusque adnatas quasdam callosas duritias. Plerunque autem oblongi propter canalium rectitudinem figurantur. At colore nonnulli albicant argillam referentes talesque sæpius in pueris generantur: alij flaui sunt instar croci, hi verò in senibus reperiuntur, quibus & in renibus creari solent. crebrius enim pueris in vesica lapilli oboriuntur. Concretionis autē causæ geminæ sunt: In senib. frigidum corpus, & crassus sanguis. frigidū verò crassas materias celerius cogit, indicio sunt aquarū natura calidarū fontes. hæ nanque refrigeratę in tophaceum lapidem condensantur. C *Calculi generatio.* At in pueris multū sāguinis limū elixatū generandi calculi veluti sedē ignis habet. Igitur in calculi creatione talis est affectio. Cæterùm nō nulli sunt, qui per quosdam circuitus sanguinem meiunt, huiusmodi affectus hæmorrhoidum profluuio similis est: similis est quoq; corporis constitutio. nam valdè pallescunt, torpent, ignaui sunt, cibum fastidiunt, cruditate laborant: & cùm excretus est sanguis, languidi fiunt, membra resoluuntur, caput verò leuius habent & agilius. At si per circuitum nihil sanguinis effluxerit, capitis dolore vexantur, oculorum acies hebet, tenebræ eius obuersantur, vertiginem patiuntur. Inde alij infiniti in comitialem morbum incidunt, tumidi, D veluti caligine perfusi, aquam inter cutem patientibus similes: alij morbo atræ bilis, aut neruorum resolutione tentantur. Nam ex consueti profluuij sauguinis retentione huiusmodi mala proueniūt, Siquidem à renibus defluat sanguis mundus, lotio non permixtus, plerunque tamen cum vesicæ vrina confusus emanat. Nonnunquam & ex renum disruptione sanguis fertur multus collectim. verùm cogitur, & in grummos densatur: vtque in sanguine extra corpus effuso fieri assolet, interdum vtique sic & in vesica congelatur: quando atrociter vrina supprimitur. Ruptionem verò vlcera diuturna, atq; vix sanabilia sequuntur. indicia sunt ramentum, aut membranula araneæ instar rubida egrediens: aut pus album meiendo profusum, E modò purum & sincerum, modò cum vrina permixtum. Ab his & abscessus

A abſceſſus dignoſcendi ſunt, ſi veſperi febres acceſſerint & rigores: dolores circà lumbos & pruritus. At ſi ruptus fuerit, grummi purulenti carniſque formam repræſentantes eijciuntur: quin etiam & albida ſanies excernitur. Vlcera verò mordacia ſunt, modò repurgata, modò ſordentia: id pus manifeſtat: vrina quoque aut olida, aut nihil olens. Ver ſanguinis profluuia & abſceſſus parit: hyems autem, autumnuſque calculos. Quòd ſi à calculis vlcera facta ſint, inſanabiles inde morbi naſcuntur, cita colliquatio morſque adueniunt.

B

De Veſicæ affectibus. *Cap. IIII.*

VEſicæ morborum nullus placidus eſt. quippe acuti inflammatione, vulneribus, conuulſione, febribuſque acutis interficiunt. Vlcus verò & abſceſſus, aut reſolutio, aut lapis magnus tolli nequit: neq; enim potione, aut medicamẽto frangitur, aut circumteritur: neq; præter noxam exciditur. opus eſt enim & tenues veſicæ partes ſimul cædere. id verò aut eodem die hominem perdit, aut paucis diebus conuulſionibus, febribuſque conſumit. Niſi excidatur autẽ præter vrinæ concluſionem doloribus, febribuſque, aut liquationibus homo contabeſcit. ſin haud ita magnus ſit calculus, frequentius lotium C cohibetur: nam facilè in ceruicem delapſus lotij tranſitum obſtruit. ſecurius autem quàm grandiores exciditur, ſed veſica quoque neceſſariò ſauciatur. cumque mortis periculum euaſerint, in fiſtulam Græci Rhœada vocant, prolabuntur. quod licet periculo vacet, ingenuis tamen hominibus non eſt tolerandum, perpetuum ſcilicet vrinæ profluuium, ſiue quis ambulet, ſiue dormiat, ambulantib. verò maximè in iucundũ. Valdè parui autem plerunque citrà noxam exciduntur. Quòd ſi veſicæ inhæſerit calculus, ex contriſtationibus pa teſiet: ſed neq; dolorum, neq; grauitatis expertes ſunt, licet vrinam expeditè reddant: ſin minus, & vrinæ difficultas accedet. Omnes ve-D rò calculos ex ſabuloſis vrinæ ſubſidẽtijs deprehendes: & quòd iſtis virilia ſæpius arriguntur. quando enim meiunt, ſubeſtque calculus dolent, tractant, attrahuntque pudenda, tanquam calculum cum ve ſica exempturi. Anus quoque vitij particeps redditur pruritu laborans. Prominet verò & rectum inteſtinum vi, contentionibus, imaginatione perinde, ac ſi iam lapis excernatur. Ambo enim inter ſe copulantur anus & veſica: quorum vno affecto, & alterum afficiatur neceſſe eſt. propterea inflammato podice vrinæ exitus clauditur: & veſica exacerbata ſedes nõ deijcit, licet aluus admodũ ſicca non ſit.
E Tales vtique ſunt ex calculis* labores. At ſanguinis effluuium, tametſi non admodum citò enecet, tempore tamen procedente infinitos iugulauit. Ab eo verò grummi creantur, lotij ſuppreſsio, & matura mors non ſecus, atque à calculis fieri compertũ eſt. quamuis enim

* dolores

ſanguis tenuis flauusq; eſt,neq; valdè concretioni aptus.veſica tamē A
longo tempore congregat, ac eadem calefaciens & elixans cogit conſpiſſatq;, atq; ita grummus efficitur,& vrinæ interclusio,quam Græci Iſchuriam vocant, inferendæ morti potentiſsima. His accedit dolor acutus,ignis acer, lingua arida. & ab his delirantes moriuntur, Sin autem à vulnere dolor excitetur: vulnus vtiq; mortiferum eſt: vlcus verò & ſi non protinus interficit, febribus tamen, aut inflammatione inſanabile redditur. Tenuis quidem eſt craſsitudine veſica, neruus autem ſubſtantia. quocirca neque carnem contrahit, neque facilè ad cicatricem ducitur. Accedit & vrina biliosa,acris, mordax vlceris,cōmunis victus. Veſica enim cùm repletur,diſtenditur: cùm B
inanis eſt,ſubſidit. in extenſione igitur & contractione eundem,quē & articulus, affectum patitur. In articulo verò nullum vlcus benè ſanescit: ſuppurationē autem ex abſceſſu contrahit. Veſicæ ſigna eadē ſunt, quæ & in alijs membris inflammatis. Nam etſi febribus rigoribusque ſuccedat abſceſſus.eadem pericula impendent. Verùm ſi pus craſſum,albū,non tetri odoris eijciat:ab his orta vlcera benigna ſunt. At ſi depaſcantur,fęculentam,mucidam,graueolentē vrinā reddunt. Huiuſmodi ægrotantib.non tarda mors aduenit.Mordax quidem vrina eſt,& cū dolore eſt eius emiſsio.Ad ſummū vſq; colē dolor peruenit.Ipſos vtiq; omnia etiā cōtraria lædūt,& ſaturitas,& inanitio,& o- C
tiū,& motio,& lauatio,& illuuies,&cibi aſſūptio,& ieiunitas,dulcia, et acida:cū alia alios lędāt,alios iuuēt.in vnū aūt cōuenire nō poſsint.

De Seminis profluuio. Cap. V.

MOrtis quidem periculo vacat Genituræ profluuium, iniucundum tamen eſt,& vel auditu inſuaue. Nam ſi intemperies & reſolutio humida occupat, genitaliaque membra, (vt à frigidis cōtingere ſolet)profluit ſemen:neq; ipſum vel inſomnis cohibere poſſumus. verùm ſi quis dormiat,ſeu vigilet,cohiberi non poteſt profuſio. neq; D
genituræ lapſus, ſenſu percipitur, Ægrotant quoque & tali morbo mulieres,ſed partibus illis prurientibus,& cum voluptate ijs genitura profunditur:quinetiam virilem coitum impudenter appetunt. Viri autem nequaquam pruriunt: nam quod effluit, humidum, tenue, frigidumque eſt, ſine colore,infœcundū. Qui enim genitale ſemen refrigerata natura emiſerit? Quòd ſi iuuenes hoc vitio laborent,omnes ſenilem corporis habitum induant neceſſe eſt: quippe qui ſegnes fiant,reſoluti,exanimes,torpentes,hebetes,imbecilli,recurui,rugoſi,ignaui, pallentes,albidi,effœminati, à cibis abhorrentes,frigidi,membris graues & ſtupidi, cruribus impotentes, & ad omnia remiſsi & E
languidi.Multis ſanè id genus ægrotatio ad neruorum reſolutionē (Paralyſim græci vocant) viam ſtrauit. Quomodo enim neruorum

facultas

A facultas nõ afficiatur, cùm natura ad vitę generationẽ faciẽs refrigerata sit? Atqui & genitura vitalitatẽ impartiens nos viros efficit, calidos, articulatos, hirsutos, vocales, animosos, intelligere facereq; valentes: id viri testantur. Contrà verò quib. non inest vitalis genitura, rugosi sunt, debiles, acutæ vocis, glabri, imberbes, effœminati: eunuchi id manifestant. Siquis autem vir & seminis profundendi abstinens fuerit, robustus est, audax, neq; vel feras expauescens: testimonio sunt ex athletis temperantes. Nam & illi, qui natura quibusdam præstant, ob intemperantiam deterioribus multò peiores fiunt: contrà natura deteriores ex temperantia præstantiorib. longè meliores euadunt.

B Neq; sanè ab alio quopiã, quàm à genitura robustum animal generatur. Vitalis itaque genitura ad sanitatem, ad robur, ad animi fortitudinem, & ad generandum mirificè confert. A Satyriasi in seminis profluuium corporis status deuoluitur.

De Stomachi affectibus. *Cap. VI.*

STomachus delectationis, tristitięque princeps est, cordis haud spernenda vicinia, ad tenorẽ, animiq; alacritẽ, siue abiectionẽ ob animæ consensũ hæc est potissima stomachi facultas. Hæc mihi alio loco dicta sunt. Delectationis quidẽ hi partus sunt, bona concoctio, carnis conueniens incrementũ, floridus corporis color. Tristitię verò

C istorum contraria, nonnunquam & animi abiectionem, cum alimento caret, inducit, atra bile vexatur, cibum refugit. Cum itaq; stomachus ægrotat: escas odit, & abominatur, non modò cùm offeruntur, verùm etiã si non in conspectum dentur, sed eas memoria repetant, nausea aut anxietate, aut madore stomachi, aut eius ostioli dolore perciti. & saliuã effundunt quidam, & vomitib. lancinantur. Quòd si corpus simul ab his vexatur, si ventriculus istorum vacuus est: dolorẽ tamen, quàm cibi sumptionẽ, facilius tolerat. Sin autẽ interdum ad alimentũ capiendum accedere cogitur, id multò peius est. dolor aũt famis est, ore conterere tristitia, in deuorãdo maior conflictatio. Cæte

D rùm non erga vsitata quidẽ ita se habet, erga aliena verò optimè: sed quæ naturaliter habẽt, in contrariũ mutata sunt: & omnia grauatim fert: fugaq; adest, & odium alimentorum. In interscapulis præterea dolor inhæret: sed longè maior si edant, deuorentq;: fastidiunt: animi pendent: visus hebetatur: aures sonant: caput grauatur: membra torpent: crura, brachiaq; resoluuntur: palpitant præcordia, dorsum imaginãtur vers⁹ crura moueri: aliàs alio, huc atq; illuc sese ferri existimãt, seu stent, seu iaceant: quemadmodum à ventorũ flatu harundines, aut arbores agitantur: pituitam frigidam, aqueã reijciunt. Quando verò & in biliosis redundat bilis: istorum oculi tenebris caligant: siticulosi

E non sunt, etsi à cibis sitire videntur: vigilant: tardi sunt: dormitant: nõ vero tamen somno: ijs, qui sopore graui (Coma Græci appellãt) occupantur, similia patiuntur, macie confecti, valdè pallẽtes, debiles, reso- *Coma*

luti,animæ deliquium patientes,animo consternati,meticulosi,quie A
ti,repentè tamen irascentes,valde melancholici:nonnunquam enim
in atram bilem,quam Melancholiam Græci nuncupant,id genus æ-
grotantes inciderunt. Talem vtique stomacho impartiente animæ
affectum esse oportet. Verũ homines compatibilium mẽbrorũ igna-
ri,in quibus hæc grauissima vitia fiunt,stomachum esse causam opi-
nantur.magnum autẽ ad ea,quæ dico, probanda testimoniũ cordis
cõtiguitas est,vbi omniũ principatus collocatur. In medio.n.pulmo
ne cor sedet:horũ autem medium stomachum * coniungit: ambo ve
* Contingit rò dorso inserta sunt.propter hanc itaque cordis viciniam & dolor il
le excitatur,quem Cardialgiam Græci nominãt,& resolutio,& mor-
bi melancholici. Nẽpè morbi causæ & aliæ sunt plurimæ: præcipua B
verò pus multũ à ventre per stomachum effusum. Familiare est etiã
id vitium illis,qui tenui victu,& duriore coacti sunt vti:quinetiã illis
qui,vt erudiantur,laborant,& eius causa multa perferunt,quib.inest
diuinæ scientiæ cupiditas: qui cibi parsimonia,& vigilijs macerãtur:
qui doctos sermones,& res graues meditantur: qui victũ pleniorem
& varium contemnunt:sed famem pro alimentis habent,pro potu a-
quam,& in somnis vigilant:quibus molle cubile est,nuda humus sine
stragula,vestis ignobilis,tunica lacera:ipsorum verò tectum est com-
munis aer:diuitię autẽ ex abundanti vsus diuinæ cõtẽplationis.Hęc C
vtique ipsis eruditionis amore bona comparantur. Cumque cibum,
& illum quidem ignobilem accipiunt:id vitæ tantũ, non saturandæ
famis causa faciunt. neque potum vini largè assumunt, non eos ab-
strahit voluptas,non vagatio & peregrinatio,non corporum exerci-
tatio,nec carnis copia grauãtur à quo enim disciplinę amor nõ auo-
cet? à patria, à parentibus, à fratribus, à se ipsis vsque ad mortem.
His igitur corporis macies adest, decolor facies, & in iuuenta sene-
scunt: & ob contemplationem stupidi habentur animo autem seue-
ri, non ridẽtes,immites sunt. Atqui ob stomachum erga cibos male
affectum citò satiantur cibo vsitato, vili & ad manum, varijs autem D
dapibus non sunt assueti, & erga omnes cibos pigri sunt.quòd si ali-
quem inusitatum cibum acceperint, læduntur, omnes alios proti-
nus auersantes. Iste est stomachi longus morbus. Inflammationes
verò,destillationes, oris ventriculi morsus,(Cardiogmon Græci vo-
cant)aut dolor, stomachalis affectus non dicitur, Hunc morbum æ-
stas affert: qnando & concoctionis, & appetitus & omnium est im-
potentia: Inter ætates verò senecta, quibus & absq; morbo ob vitæ
finem & appetentia ad extremum peruenit.

De Affectu ventriculi. Cap. VII. E

VEntriculus concoctioni destinatum viscus in concoquendo
laborat, cùm alui profluuium,quẽ Gręci Diarrhœã vocãt,ho-
minem

A minem premit,& est liquidi alimenti inconcocti profluuium: nisi à recenti & proxima causa vnum aut alterum tantùm diem permanente oriatur,præterea & totus homo debilis redditur, quia corpus non alitur, vnde longus morbus, Cœliacum quem vocant, efficitur, latinè,ventricularis dici potest,ob concoquentis caloris imbecillitatem, frigusque ventriculi: cùm liquescit quidem à calore alimentum,sed non concoquit calor,neque in succum proprium vertit, semicoctum imperfectumque relinquens, cùm perfectionem assequi non possit. id verò concoctione destitutum ad prauum commutatur & colore & odore & consistentia. albus est enim bile priuatus color: *Cœliacus morbus*
B olida excernuntur, & lutulenta: liquida & inconsistens ob profligatam actionem substantia est, virtutem modò atque principium coctionis præseferens. Hac de causa venter flatuosus est,ructus assidui,tetri odoris. Quòd si & deorsum penetrent: strident intestina flatus erumpunt asperi, humidi, argillosi. videtur autem ipsis tanquam humidum quoddam effluere. Dolor ventriculi grauis est, subinde punctiones referens. gracilis verò,& emaciatus homo redditur,pallidus,iners,nihil ex negocijs vsitatis valenter efficiens: sed cùm ambulat,membra labascunt, temporum venæ exertæ sunt. siquidem ob alimenti penuriam tempora habent concaua; atque in
C omni corpore venæ insignes apparent. non modò enim morbus iste non concoquit,verùm statim neque in molem corporis distribuit: Nam haud solùm concoctionis, sed etiam digestionis vitium mihi esse videtur. Porrò si in incremento morbus sit,materias ab omni corpore in ventriculum rursus adducit: tunc ea iam est corporis eliquatio,os est aridum, summa cutis squallida, nihil sudant; ventriculus nonnunquam vt ab ardenti carbone peruritur,aliàs tanquam à crystallo conglaciat. interdum verò sanguis in extremo vitæ discrimine constitutis in deiectionibus flauus defluxit, purus, non permixtus: vt venæ ostiolum patefactum esse videatur. acredo nanque venas exe
D dit. Longissimum & difficulter curabile vitium est. Etenim si absq; manifesta causa desijsse videtur: iterum inuadit, vbi & ex leui errore iam denuo suboritur. Per circuitum igitur morbus iste reuertitur. Senibus hoc malum familiare est, & mulieribus magis quàm viris. Pueris autem ventris effluuium assiduum est ob quotidianam cibi intemperantiam, sed non ventriculi tergoribus morbus aduenit. Ex anni temporibus æstas hoc malum sæpius affert, secundo autumnus deinde hyems frigidissima, si proximè ad extinctionem calor deueniat. Diuturnum quoque morbum & affectus iste, & difficultas, &
E læuitas intestinorum consequuntur. Verùm & largissimus frigidæ potus interdum hanc labem progenuit.

De Colicis, id est intestini plenioris morbo laborantibus. *Cap. VIII.* A

COlici sanè voluulo & stropho, id est, torminibus celeriter necantur. longè plurimę sunt huiusce morbi causæ. Signa verò hæc sunt, grauitas in ieiunio, vbi affectus maximè vrget: pigritia multa adest, tardi sunt, cibos refugiũt, graciles, vigiles, facie tumidi. Quòd si propè splenem ęgrotet colon, id est, laxius intestinum, colorem habent nigrum cum viridi mixtum: album verò cum viridi, si propè iecur, ab his enim proximis visceribus malum communicatur. Sin autem cibum acceperint, quantumuis paucum, & flatu vacantem, mirum in modum tum inflantur, & difflandi quidem cupiditas eos incessit, sed inferius exitus intercluditur: superius verò ructus violenter tentati neque ipsi finem assequuntur. Si qua verò parte flatus vi erumpunt, virosi planè odoris sunt sursum petentes, & acidos ructus excitantes. Renes & vesica in partem huius doloris adducũtur. & vrina cohibetur. istis alia pro alijs accedunt. Miraculum autem his maius est, quòd in testes & cremasteras, id est, suspensores inopinatus dolor inuadit. Non paucis medicorum hæc morbi communicatio in occulto est: si quidem nõnunquam & suspensores execuerunt, propriam morbi causam eos continere opinati: quocirca & his pro alijs alia fiunt. Ab hoc quoque vitio alia prodeunt, abscessus, & vlcera non mitia, aqua intercus, & phthisis, morbi insanabiles: nam à frigore & crassis humoribus, & longè glutinosa pituita propositi intestini morbus exoritur. Quinetiam & ætate & tempore, & regione frigida, & aspera hyeme prouenit. B C

De Dysenteria, id est, difficultate intestinorum. *Cap. IX.*

SVperiora intestina ad cœcum vsque tenuia & biliosa sunt atque inde græcè Cholades nominantur, post hæc inferiora vsque ad intestini recti initium crassa & carnosa sunt. In omnibus vlcera fiunt. dysenteria verò est horum vlcerum species: iccirco & varij existunt morbi. Aliqua etenim superficietenus intestina radunt, excoriationem tantùm facientia, & innoxia sunt: sed longè innocentiora, si in inferioribus intestinis consistant, alia paulò etiam profundiora vlcera. verùm neque hæc* immitia sunt. Alia profunda non vno loco manentia, sed exedentia, glandulosa, serpentia, & sphacelũ inferentia, mortifera sunt. Venulæ quoque in hisce vlcerum pastionibus cirtumrosæ apparent: & in his vlceribus stillationes sanguinis largiores cernuntur. Alia est species vlcerum, quæ oris tumentibus aspera sunt, inæqualia, callosa, vt in ligno Gemmam dicimus. id genus vlcera vix medicabilia sunt: neque enim cicatricem facilè contrahunt, D E

*benigna

trahunt,

A trahunt, & facilius aperiuntur. Dysenteriæ causæ plurimæ sunt: principes autem cruditates, refrigerationes assiduæ, acrium ciborum assumptio, obsonij, quod Græci Myttoton vocant, latini Moretum dicerent: cœpæ ipsius, allij, carnium vetustarum, acrium esus: à quib. postea cruditas superuenit. Super hæc humidum aliquod insitatũ, vt mixtura illa, quæ Cyceon græcè dicitur aut potio * Ryteon appellata: aut qualia in singulis regionibus loco vini fiunt contrà sitim remedia. plaga præterea, & refrigeratio, & frigidæ potus intestina exulcerant. Excrementa verò, & quæ cum vlceribus sunt, alia atque alia in alijs atque alijs reperiuntur. Nam si in superficie sint: ex superio- *Dysenteriæ causæ* *Bryteon*

B ribus quidem tenuia, biliosa, inodora, præter eum, qui ab intestinis fit, odorem: ieiuni autem intestini excrementa magis infecta, crocea, mali odoris: Aliqua verò & cum alimento liquato quidem, sed aspero exeunt. at modò grauis odor ab vlcerum putredine fit, modò vt à solo stercore prouenit. Ab inferiorum autem intestinorum vlceribus aquosa, tenuia, sine odore feruntur. Sin profundiora vlcera sint, saniosa effluunt, subrubida, vinosa, aut instar aquæ, in qua caro lota sit: & hæc modò sola, modò cum stercore, hocque liquidum & circunfuso humore dissolutum, non infectum bile, inodorum: aut compactum, siccumque, sed ob humorem circunfluentem lubricum deijcitur.

C Cæterùm si maiora, læuioraque vlcera sint, & in superioribus intestinis, eorum ratione, à quibus, & per quæ transeunt, biliosa, effunduntur, sedem enim velli[illegible]nt: nam bilis acris est· eoque magis si ab vlceribus effluat. bilis verò & instar vnguinis pinguis est. Ex profundioribus autem vlceribus, sed inferioribus cruenta manant, crassa, pituitosa, carnosa, non valde pinguia, ramentosa: vtpote quæ ab intestinis abstrahantur, quinetiã & integrę intestinorũ partes commixtę sunt. Excernuntur quoque & albida, crassa, mucosa, adipis concisæ similia, humore circunfusa. Hæc v[illegible]que à recto oblongo intestino feruntur. Nonnunquam sanè mucosa tantùm, vellicantia, parua, te-

D retia, mordaciaque egeruntur, crebro surgere cogentia, & deijciendi cupiditatẽ cum voluptate afferentia: sed quæ deijciũtur valde pauca sunt. Tenasmus huic vitio nomẽ est. A cęco aũt & carnes lõgè rubicũdæ, & grandes excernuntur, circunscriptionem multò maiorem habentes: in ipso enim profunda fiunt vlcera, cruor etiam crassus, fęculentusq; emanat: & hæc omnia multò quàm antedicta fœdius olent. Cæterùm postquam serpunt, & exedunt vlcera, & nullo remedio vllo in loco coerceri possunt, à superioribus quidem non solùm exquisitè biliosa, sed & crocina, spumea fęcem vini referentia, & nigra, isatidis, & porri succum repræsententia, antedictis crassiora, atque instar

E putredinis graueolentia deijciuntur. Alimentum nunc minus concoctum est, solum vt à dentibus voracius contritũ. At si inferiora intestina vlceribus erodẽtur, guttæ cruoris atræ, crassa, carnosa, rubida,

grummosa, nonnunquam nigra, multis modis variantia, olida, non A
ferenda per sedem expelluntur: humiditatumque exitus inuoluntarij
fiunt. Nonnunquam oblongum quiddam in pluribus non discretum, instar sani intestini deijcitur: & ignaris rei suspicionem præbuit intestini. At negocium ita se habet, intestinorum tunicæ perinde ac ventriculi geminæ sunt, & altera alteri obliquè superiniecta est. Igitur cùm earum connexio dissoluitur, interior tunica secundùm longitudinem absistens foràs egreditur: exterior sola intus remanet, & carnosa efficitur, & cicatrice solidatur: sanescuntque homines & sine noxa viuunt. id verò inferius intestinum solum patitur. in causa est tunicarum carnosa substantia. Quòd si ex quopiam vasculo cruor B
emanet flauus, aut niger: purus, non cum cibo aut stercore mixtus effunditur: verùm humor extenditur, concretus latis araneolis similis est. in grummum enim, cùm refrixit, obduratur: neque sanguinē excretum esse credideris. ob sonum autem multum cum spiritu maior quàm pro effectu, excretionis est apparentia. Interdum & in pleniore intestino purulentus abscessus efficitur, nulla nouitate ab alijs internis vlceribus differens: etenim signa, & pùs, & vlcerum medicatio penitus eadem sunt. Si res duræ, carnosæ * contritis asperisque corporibus similes excernantur: abscessus non benigni moris significatur. Nonnunquam ex laxo intestino aqua multa dysenteriæ modò profluit, idque plurimos ab hydropico morbo liberauit. Vlcera C
quidem intestinorum (vt paucis dixerim) huiusmodi sunt. Cæterùm & ipsorum formæ, & ab ipsis purgamenta tot sunt, quod suprà comprehendimus. Quæ singulis quoque ægrotantibus accidunt, explicabimus: seu placida, seu noxia vlcera sint. Itaque collectim dictum esto. si exulceratio superficietenus fuerit siue suprà, siue infrà: febrem non habent, nec dolorem: ac sine decubitu tenui victus ratione diuersis modis sanescunt. Sin vlcus altius descenderit, in superioribus quidem mordacia tormina & acria sunt tanquam à pauca calida bile. alijs, atque alijs temporibus suppurant intestina: plerunque verò suppurant, aut coctiones dimidiatæ sunt, cibos tamen non D
horrent. Si inferiora vlcerata sint, longè superioribus sunt salubriora. hæc enim humiliora intestina multò carnosiora sunt alijs. Sin caua & depascentia vlcera in superioribus grassentur: febres acutæ concitantur, non emicantes, in visceribus demersæ: extrema refrigerantur: cibus fastiditur: vigilia adest, ructus malè olent: nauseabundi sūt: bilis, vomitus, vertigo. cumque multa expellantur, ea verò biliosiora sint: tormina, atque alij dolores magis perseuerant. His accedit virium consumptio, genuumque resolutio: ardore æstuant, sitibundi sunt & anxij: atra per nauseam reijciunt, lingua est arida: arteriarum motus pusilli, debiles. atque his germana sunt, quotquot, de E
perniciosis vlceribus mortifera exposui. oris etiam ventriculi dolore

*contritæ

vsque

A vsque ad animæ deliquium torquentur. Quidam verò neque ex eo deliquio in pristinum restituti sunt, sed in tali affectu vitam finierunt. Huiusmodi calamitates & inferiorum intestinorum corrosionibus communes sunt, si depascantur vlcera, neque fluorem compescere valeamus, præterquàm quòd tormina doloresque sub vmbilico inferius, vbi vlcera sunt, percipiuntur. Formæ autem excrementorum tales sunt, quales suprà posuimus. Verùm si inter initia parua vlcera sint, in longumque tempus depastio producatur: alia alijs vlcera superueniunt, aliquibus mitescentibus, aliquib. in summum excrescentibus. quales enim sunt in mari fluctus, talis est in vlceribus tem-
B pestas. Cæterùm si quando & natura resistere potens fuerit, simulq; & medicus subuenerit: depascentia compescitur, mortisque timor remouetur: intestina tamen dura, tumida, cicatricosaque remanent, & non nisi longo post tempore sanescunt. Verùm enimuerò cùm ab intestinis cruor erumpit, si ex magna vena, aut arteria exeat, matura mors aduenit: neque enim aut manum intromittere, doloremque attingere, aut medicamentum ipsi vlceri adhibere possumus. Quinetiam si medicamento sanguinis profluuium coercetur. non propterea tuta est, ac vera mortis euasio: quandoquidem nonnullis magna crusta (Escharam Græci vocant) decidens, venæ ostiolum pa- *Eschara*
C tentius efficit. Vbi verò & grūmi intus cōcrescunt, intusq; remanēt, ineuitabilis morbus est. Incipientibus igitur sanguinis eruptionibus succurrere oportet. plerunque autem cùm futuræ sunt, licet non admodum claris signis, tamen sese indicant. anxietas enim adest, & animi ambiguitas: grauitas ea in parte est, quæ rumpitur: & facies rubet si nondum ruptura facta est. Sin autem vena proximè rescissa est. plurimum venter mollitur omnino: si satis temporis præterijt, difficilius atque tardius soluitur. Huiusce qualitatis sunt intestinorum vlcera. Præcipuè nascuntur æstatis tempore, secundò autumni, minus vere minimè hyeme. Pueris quidem, & adolescentibus ventris profluuia
D contingunt: difficultas autem intestinorum viris & iuuenibus. Senecta verò ægrè medicabilis est, & ad ducendam cicatricem longum tempus requirit. At vlcera exedentia senibus inusitata, sanguinis verò profusio & senectæ est conueniens.

De Leuitate intestinorum. *Cap. X.*

SI à torminibus, & ablatis, valdeque profundis superiorum intestinorum vlceribus cicatrices crebræ, crassæ, solidæq; contrahantur: stercora ex his deorsū liquida, ab alibili indiscreta prolabuntur. Intestinorū enim raritas, per quā sursū versus alimonia discurrit, à ci-
E catrice interclusa est. Homo igitur nutricationis inopia laborat: & pallor adest, & infirmitas. Affectus iste qui ab cicatrice fit, Lienteriæ cognomen accepit, ab intestinis scilicet, quæ Græci Entera vocant:

xx visceribus & nunc quidem à * cicatricibus morbus exoritur. Aliàs verò intesti A na cicatricis expertia sunt, sed consuetudo & exercitatio intestina profluuium pati edocent. In istis enim calidum, si quandoque refrigeratum neque concoctionem, neque digestionem moliatur, sed prę imbecillitate retinere non possit, omnem elaborationem alimentum subterfugit. Quòd si ex tempore, & non stabilis, sed leuis momenti purgatio fiat: simplex à cibis vomitus morbum soluit. Sin autem aliquo tempore prorogetur, & in sede firma istorum causa permaneat: nihil opis vomitus affert. Morbus quoque longus, & malus habitus qui decumbere non cogit, lienteriam peperit. Aqua intercus nonnũquam in hanc ægritudinem fœliciter commutata est, in malum scil: B ex malo. sed melior est successio.

De Vteri morbis. Cap. XI.

MVlieribus vterus ad purgationem & partum bonus est, sed morborum infinitorum, malorumque aceruum congerit. neque enim vlceribus tantùm, & inflammationi, & fluori obnoxius est verùm etiam si totius repente sursum versus moueatur, celerem interitum affert. Alibi quidem scriptũ est, qui nam ipsius morbi perniciosi acuti sint. Diuturni verò hi: fluor duplex, duritia, vlcera aliqua innoxia, aliqua maligna, exitus totius aut partis. Fluor sanè ruber, aut albus est, forma declarat. Ruber quidem, si sanguis flauus C emanet, & huius species: vel liuidus, vel niger & tenuis, vel crassus & & concretus, vt grummi. Aut albus, vt aqua, aut flauus cum pallido mixtus vt bilis: crassus verò aut subtenuis aut tenuis liquor, quam Ichor Græci Ichora vocant, & male olens. albus autem vt pus. sed exquisitè albus, vt album serum. quin etiam gutta cruenta nonnunquã cum pure simul effluit: mille aliæ sunt secundùm rationem maioris & minoris istorum species. Circuitus verò modo est menstrua purgatio, sed non ad pristinum præscriptum diem reuertitur. non multus quidem sanguis, sed per multos dies effluit. paucorum autem D dierum fit intermissio sed omnino pura. Alter est circuitus modus, sed ad certum diem, neque plurimi sanguinis est plerunque prima purgatio, bis autem ac ter purgantur per totum mensem. Tertia est quoque fluoris species, indesinens quidem effluuium est, & singulis diebus modicum: sed in totum mensem summa fit non admodum modica: neque enim vterus ostium claudit, sed hiat, ad effluxum humiditatis relaxationem patiens. Verùm si neque intermittatur, neque parum effluat, ob sanguinis effusionem moriuntur. Signa vtique hæc sunt, præter humiditatis effluentis colores, ipsius hominis color, peruigilant, cibos oderunt, molestia vexantur, dissol E uuntur in rubro profluuio magis, & dolore torquentur, & in ambob. quod effluit, mali odoris est, sed modò magis modo minus. Albũ enim proflu-

A profluuium peius est, si quando maior adest putredo. Aliàs autem rubrum, cùm sæuius debacchatur erosio. Breuibus sanè dictum esto. ater fluor omnium pessimus est, deinde liuidus, pallidus, albus & purulentus, diuturniores quidem sunt, sed minus periculosi. Ex his ipsis pallidus deterior quidem est, sed longè melior est ille qui cũ vsitato colore mixtus est: vsitatus autem est ruber eiusque species. Quin etiam & ipsis minus noxij sunt vsitati: sed re vera senioribus infestiores sunt rubri fluxus,* minimè autem puellis, quibus magis albi nocent. Item altera est alibi fluoris species menstrua purgatio, ex albida, acris, & pruriginem cũ voluptate afferens. In istis verò & hu-
B mor albus, crassus, geniture similis prouocatur: hanc speciem Gonorrhœam, idest, fluxũ seminariũ muliebrem appellauimus. Est aũt vuluæ refrigeratio: quam ob rem humorum tenax esse non potest: quin etiam sanguinem in albidum colorem transmutat: vim enim ignis rubrificam non habet. Id genus vitij & stomachus patitur, ideò & pituitam euomit. Simili affectu & intestina laborant, cùm profluuio græcè Diarrhœa vocato, ægrotant. In vtero præterea vlcera suboriuntur, aliqua lata, pruriginosa, tanquam sale inspersa: hæc sunt quædam superficiei excoriatio. pus habent crassum, inodorum, paucum. Vlcera huiusmodi mitia sunt. His cauiora sunt vlcera & de-
C teriora, quib. dolores parui accidunt, pus paulo plus, grauius olent: nihilominus tamen hęc quoq; placida sunt. Quòd si altius penetrẽt, & labia dura aut aspera fuerint, sanies quædam olida exit, & quàm in superioribus, dolor est maior: exedit autem vuluã vlcus, & nonnunq̃ caruncula quædam separata egreditur. neq; ad cicatricem vlcus id ducitur, sed longissimo tempore hominem tollit: nam maximè diuturnũ est. huiusmodi græco vocabulo Phagedæna nuncupatur. Nempè mortifera vlcera sunt, si præter ipsa dolor exacerbat, & mulier valdè contristatur: & res putrida ab vlcere neq; ipsis ægrotis tolerabilis emanat, efferaturq; manuum attrectatione & medicamentis, & quo-
D libet genere medelæ exasperatur. venæ autẽ in vtero turgent, & proximæ simul partes distenduntur. id verò perspicacib. medicis tactu deprehenditur: neq; enim aliter liquet. cæterùm ignis & molestia totius, & duritia simul, vt in feris vlcerib. insunt, quæ & ipsa mortifera sunt, nec nõ & Cancri appellationẽ obtinent. At cancer neutiquã vlcus est, sed tumor durus & indomitus, qui vnà totũ vterum distendit dolores quoq;, & reliqua omnia, quæ in vlcere insunt, cancrum comitantur. Hæc eadem verò cancerosa vtraque & diuturna, & perniciosa sunt. Vlceratus autem cancer non vlcerato longè improbior est, & odore, & doloribus, & vita, & morte. Nonnunquam integra vulua de
E sede sua egreditur, & mulieris fœminibus insidet. incredibilis calamitas: Sed neque inaspectabilis est vterus, neq; ingenerabilis causa. relaxantur enim membranæ ilib. appensæ: quæ vteri sunt ligamenta neq;

minimè verò puellis albi nocent.

Gonorrhœa.

Phagedæna.

Alter Cancer quid.

uosa: quæ in fundo sunt iuxta lumbos gracilia, quæ in ceruice hinc A atque inde iuxta ilia, maximè neruosa, lataque sunt: qualia nauigiorum vela cernuntur. Omnes igitur hæ membranæ emittuntur, cùm vulua foras procidit, plerunque sanè huiusmodi exitus mortem affert. Accidit enim ex abortu, & magnis concussionibus, & violento partu. At si non interficit, diu hæ vitam producunt, non visibilia videntes, extra alentes vterum, atque fouentes. Videtur autem nonnunquam duplicitatis vteri interius succingens tunica, quando à contiguo diuellitur, Geminæ nanque membranæ tantum sunt differentes à tunica, hæc verò abscedit & fluctione, & abortu, & violen B to partu quando ipsa secundis inhærescit. Nam cùm ipsæ vi extrahuntur, simul & vteri tunica extrahitur. verùm nisi pereat mulier, reuertens eadem tunica vtero ad amussim connectitur, aut paulùm ex tra prominet: contegit enim feminibus mulier. Nonnunquam vteri osculum solum ad ceruicem vsque procidit, sed rursum intrò se recipit, si vterus suffimenta mali odoris olfaciat. ipsum quoq; mulier attrahit, si grata odoramenta naribus subijciat. Quinetiam obstetricis manibus paulatim intrò recurrit, si placidè & sensim prematur, & prius remedia mitigatoria, quæ Greci Hysterica vocant, id est Vterina ei adhibita fuerint.

C

De Arthritide & Ischiade, id est, Articulorum & Coxendicis dolore. Cap. XII.

Podagra. Ischias. Chiragra.

COmmunis omnium articulorum dolor est Arthritis: sed pedum dolorem Podagram vocamus, coxendicum Ischiada, manuum verò Chiragram. Nempè aut ex tempore dolor est, si ex aliqua parum durante causa consurgat: aut latenter meditationibus longo tempore contractus est morbus, cùm ab exigua occasione dolor & morbus excitati sunt. Est autem omnium simul neruorum affectus si auctum malum omnibus ingruat. Initio verò nerui articulorum D vincula, & quæcunque ex ossibus exorta sunt, & in ossa inferuntur: dolere incipiunt. At istorum magnum est miraculum: non dolent quidem vel minimum, etiam si quis secet, aut collidat: at si quis ab ipsis doleat, nihil aliud est eis ad dolorem citandum potentius, non ferramenta adstringentia, non vincula, non vulnerans gladius, non exurens ignis. nam & hæc assumuntur tanquam maiorum dolorum remedia. Quòd si quis ipsa dolentia ossa preciderit: sectionis dolor, vt exiguus à maiore obscuratur. Sin autem iste prævaleat, eos voluptas capit priorum malorum obliuionem afferens, id sanè patiuntur dentes & ossa. Causam quidem veram soli Dij nouerunt, probabilem verò & apparentem etiam homines. Est autem (vt sim- E pliciter dicam) huiusmodi. Quod prædensum est, contactum, vulnerationemq; non sentit. iccirco & ex tactu vulnerationeq; non dolet.

A let. Dolor enim est res aspera sensui: densum autem nō exasperabile, ideo quoque est indolens. At rarum bono sensu præditum est, & vulnere exasperatur. Cæterùm quoniam & densa ingenito calore viuunt, per hunc eundem calorem etiam sentire possunt. Siquidem efficiens causa substantialis sit, vt gladius, aut lapis, substantialis patientis corporis pars non dolet: natura enim densa est. Sed si caliditatis insitæ intemperatura, corripiatur, sensus fit permutatio. cumque ipsorum ex se ipsa dolet caliditas, ab interna sensus pulsione excitatur. natura autem in maius excedente, vel ex abundantia dolores proueniunt. At aliàs in alios articulos morbus articularis inuadit,
B quibusdam in coxendices, (eaque parte plerunque claudus remanet:) & in alia quædam membra nonnunquam exiguus. quandoque nec in paruas particulas transit pedes et manus. nam si maiora membra occupauerit morbum ipsum capere valentia, instrumenta illa nō supergreditur. Sed si ab exiguo membro initium cœperit: mitis est, & inopinata inuasio. Ischiadis quidem à femore posterius, aut poplite, aut tibia initium est. Aliàs verò in coxæ cauo (Cotylam Græci vocant, Latini Acetabulum) dolor apparet, rursus in clunē, aut lumbos impetum facit, & omnia potius esse videtur, quàm coxendicis morbus. Verùm etiam articuli ita ferè dolere incipiunt, magnum
C pedis digitum dolor occupat: rursum calcem in priori parte, qua nitimur, deinde in concauam subit: Melleolus autem postremus intumescit. Doloris causam non legitimam afferunt, aliqui nouæ crepidæ attritum, aliqui longam obambulationem, alius plagam, aut calcationem, nullus intestinam domesticamq; causam explicabit. Quia etiam ægrotis verum audientibus incredibile esse videtur, quam ob rem in insanabilem affectum inciderunt, quoniam principijs, cum debilissimus morbus est, medicus non resistit, qui vt temporis spatio vires acquisiuit, nihil medici diligentia proficitur. Quibusdam in pedum articulis vsque ad mortem residet morbus, quibusdam in o-
D mnis corporis ambitum vagatur, plerunque à pedibus in manus prosilit. neque enim multum interest in pedibus ne an fiat in manibus: cum vtrique eiusdem naturæ sint, graciles, excarnes, externo frigori proximi, à calore interno remotissimi. Item cubiti flexura, & genu conueniunt. post hęc coxarum cauitates, quas Cotylas Græci vocant, & vocatus Peristrophus. Transitus quoque in dorsi, thoracisq; musculos fit: incredibileque est, quàm latè malum serpat. Vertebræ dorsi, ceruicisque dolent, & in summo sacri ossis dolor inhærescit. simulque omnium bos, asinus. & proprius cuiusque dolor. Verùm etiam tendones & musculi cum distentione dolorem patiuntur:
E nec non maxillarum, & temporum musculi. Item communicatur renibus & vesicæ. O rem admirabilem. Post omnia nares, & aures, & labia afficiuntur. Nam quoquo versus nerui & musculi ferun-

tur, dolent capitis futuræ, & quid doleat ægrotus ignorans indicat futurarum species: obliquam, rectā transuersam, posterius, ac prius. Tenuem autem dolorem & in ossibus defixum conqueritur. Vniuersam enim ossium compagem morbus populatur haud secus, atque pedis, aut manus articulum. In articulis quoque tofacea quędam coalescunt. ab initio quidem veluti abscessus occupant: postquàm verò magis spissantur, etiam concreto humore difficiles fiunt inflexiones: demum tofi solidi albi consistunt. in toto autem membro tubercula exigua, quales sunt Ionthi à Græcis appellati, Vari à latinis, & maiora exurgunt. Humiditas verò crassa, albicans, grandinosa est: nam & totius morbus frigidus instar grandinis est. Videtur autem caloris, aut frigoris differentiam præ se ferre. siquidem modo ex calore, modo ex frigore voluptas percipitur. At mihi placet vnicam esse morbi causam insitam frigiditatem, vnicumque esse affectum, verùm si protinus increscat, & caliditas apparuerit, refrigeratione opus est: ac talibus delectatur: & huiusmodi affectum calidum vocant. Quòd si dolor in intimis neruis demoretur, & articulus non calens collapsus sit, neque extumeat: frigidum hunc esse dixerim: in quo ad caloris reuocationem medicamenta calida requiruntur. multis autem valde acribus opus est. Caliditas enim collapsas partes in tumorem excitat, & internũ calorem ad superficiem euocat. quo tempore frigida medicamina proficient. Huic rei fidem id facit, quòd ijsdem eadem non conducunt. nam quod modo profuit, id aliàs noxium fuit. atque (vt compendio dicam,) calore in principio, frigiditate in fine opus est. Haud facilè quidem continua podagra gignitur: sed nõnunquam longo interuallo temporis intermittitur, tenuis enim est. Et in ludis olympicis podagricus, morbo sedato, cursu victoriam adeptus est. Viri quidem facilius sedquam mulieres leuius in hunc morbum incidunt, Mulieres autem, licet rarius, quàm viri, difficilius tamen hoc vitio laborant. Quod enim neque vsitatum, neq; familiare est, id si aliqua vrgente causa potentius euaserit: violentum cùm sit, maiorem calamitatẽ infert. Aetas autem huic morbo plerunq; subiecta est à quinq; annis supra triginta: celerius quoque, aut tardius, pro vt cuiusque natura, aut victus ratio postulat. Atroces sanè dolores sunt, sed dolores comitantia atrociora: defectus animæ, ad manuum contactũ immobilitas, ciborum auersatio, sitis, vigilia. Si discrimen euaserint: tanquam ab inferis elapsi laxiorem vitam degunt, incontinentes, simplices, hilares, auari, & in victu molles. ac delicati. Iccirco verò tanquam mortem rursus euasuri licentiosè pręsenti vita fruuntur. Multis in hydropicum morbum podagra concessit, quibusdam in deprauatam spirationem, Asthma Græci vocant, latini Anhelitum. Hæc verò successio immedicabilis, atque ineuitabilis est.

Asthma

De

A *De Elephantiasi.* *Cap.* XIII.

ELephanti morbo & feræ elephanti communia multa sunt & specie, & colore, & magnitudine, & victu. Verùm neque vlli alij similia sunt, neque affectus affectui, neque animal animali. Nam Elephas fera & longè ab alijs differt. primum quidem ingentissima crassissimaq; est. Magnitudo enim tanta est, vt magnum animal super aliud animal turris instar imponere queas. Crassitudo quoque tanta quàtam plura crassissima animalia inter se coniuncta vix æquare valeant. Cæterùm neque specie cuipiam admodum similem inuenias: si-
B quidem omnes exquisitè nigro colore toto corpore obscurantur. Nam equorum alius candidissimus est, quales Rhesi equi thracij: alij albis pedibus, qualis Menelai Podargus: alij flaui, quales centum & quinquaginta: alij cærulij, vt illud Homeri, factus equo similis cōcubuit, Cæruleos habens crines, ita boues se habent, ita & canes, ita quælibet reptilia, & animalia, quæ super terram depascuntur. Elephantes autem soli nigri, tenebricoso colore, nocti & morti similes. *Elephantis descriptio* Specie verò tali sunt. capita quidem & facies informes habēt, figura non euidenti, super breui ceruice, vt caput in humeris considere videatur: atque ideo non euidens est, aures enim grandes sunt, latæ,
C alarum similes, ad iugula vsque & pectoris ossa. Hæc ceruicem armosque tegunt, sicut nauigia velis conteguntur. Cornua verò mirandum in modum candida nigerrimo colori internitentia possidet Elephas. alij hæc dentes appellant. Hæc sola autem candidissima sunt, quale nihil in vllo alio quanuis candido animali reperitur. & hæc ipsa non super frontem & tempora, qualis cornigeris natura est, sed in ore superiorique maxilla sita sunt, prorsum versus spectantia, recta non admodum, sed paulum in superiora retorta, quo à recto detorqueri liceret, & in simis dentibus pondus extollere. Grandia vtique cornua sunt, lōgitudinē extēti brachij, Orgyiā Græci vocant,
D æquāt mediocria. alia his multo maiora duplo longiora sunt, prominentiam habet superior maxilla à labro enascentem, lōgam, exossem tortuosam, serpentis similē. Duo verò in summa prominentia foramina sūt: & hęc penitus in pulmones vsq; pertinētia natura terebrauit, duplicis tibiæ imaginē referentia. Hac sanè fistula tanquā nare ad respirationē, nec nō & vice manuum id animal vtitur, poculum etenim, cùm velit, hoc processu corripit, complectiturq;, & validè retinet: neq; ab eo quispiam vi eripere posset, nisi alius sit potentior Elephas. herbam etiam ad pabulum hoc quærit: neq; ore minoribusque dentibus carnes edendo vitā ducit. prælongi enim pedes longè à ter-
E ra distans animal sustinent. quinetiā breue (vt diximus) collum est. ore igitur humi pabulari nō potest, Nōnunquam & cornuum ab ore processus herbam os tangere prohibet. Itaque hac prominentia ma-

gnum pondus haurit: deinde quæcunque venatur, hac complexus A ventri futura alimentum in os detrudit. Ritè igitur primi illi Proboscida hanc vocauerunt, nā, pro, idest, ante se animal, hac boscetę, idest, pabulatur. Verùm enimuerò neque ex palude aut flumine ore bibere ei licet. Eadem enim causa est, quòd si sitiat, proboscidis extremā narem in aquam demergit: deinde tanquam respirans, vice aeris, multum aquæ attrahit: vbi verò impleuit, narem ceu poculum in os fluminis instar effundit: deinde iterum attrahit, iterumq; effundit, quoad ventrem tanquam onerariam nauem compleuerit. Corium habet asperum, crassissimumque, tumoribus inæquale, fissuras habens, ceu semitas prælongas: aliàs diuisuras concauas transuersas, aliàs B verò obliquas valdè profundas. Totum Tripodonio persimile est. Pili autem alijs quidem animalibus natura, aut setę sunt, Elephanti verò sordida lanugo est. Infinitæ sunt & aliæ differentiæ inter elephantem & cætera animalia. Etenim retrò versus quandoque secundum genu flectitur, quemadmodum & homo, & mammas propè axillas habet, vt mulieres. Cæterùm non in præsentia mihi opus est de animalis huius natura tractare, nisi quatenus ex eo & morbus Elephas vocatus patefiat: quotque ægrotantis forma huius animalis naturæ similia obtineat, agnoscatur. Morbum quoque hunc Leonem vocauerunt, ob extremarum frontis rugarum similitudinem: quam C partem Græci Episcenium nominant. De ea posterius suo loco dicetur. Satyriasis etiam appellatur ob malarum ruborem, atque inexplebilem impudentemque coeundi libidinem. Necnon & Herculeus dicitur, quoniam eo nullus maior est, neque valentior. Magnus est quidem potentia morbus. ad mortem enim inferendam est omnium longè efficacissimus, est etiam visu fœdus, & in omnibus terribilis, quemadmodum & elephas belua. Ineuitabilem quoque affert interitum: quandoquidem à mortis causa ducit originem. Ea ingeniti caloris frigiditas est non exigua, vel potius congelatio, ceu quædam sæua hyems: cùm aquam in niuem, aut etiam in grandinem, aut cry- D stallum, aut glaciem conuertit. Hæc est communis mortis ac morbi causa. Veruntamen neque vllam insignem coniecturam morbi principium obtinet: neque vlla noua, atque inusitata labes hominem incessit: neq; in corporis summis partibus repræsentatur, vt protinus videre quis possit, & incipienti malo resistere. sed in visceribus tanquam domo Plutonis delitescens ignis iam succenditur, internorumque victor rursum in superficie aliquando exardescit. Plerunque sanè à facie hæc pestis incipiens tanquam ignis de specula procul conspicuus effulget: Nonnullis verò ab extrema cubiti curuatura, à genu, à manuum, pedumq; articulis. Iccirco autem huiusmodi hominum E salus desperata est: quoniam medicus ad morbi debilissima initia artē nō adhibet negligens, & ægrotantiū calamitatis ignarus. Tardi enim sunt,

Proboscis

Satyriasis morbus

A sunt,vt ab aliqua leui & vulgari causa, somniculosi, quieti, sicca aluo. Hæc etiam sanis haud valde inusitata sunt, In morbi autem cremẽtis respiratio graue olet ob interni spiritus exhalationem. Huiusce rei aer, aut quippiam aliud * extrinsecum causam præbere videtur. Lotiũ crassum est, album, turbidum, quale iumentum reddit. venerem appetunt, *crudorum & inconcoctorum distributio fit:* neq; istorum est sensus & meditatio. neque enim concoxerint nec ne, percipiunt: & cruditas hæc concoctioni similis est. nã ipsis haud frequens est in optimum aut familiare concoctio. Digestio verò facilè fit, tanquam in suum ipsius alimentum raptim morbo attrahente: propterea valdè

* intrinsecũ

* seminis crudi & inconcocti emissio fit.

B siccitate inferioris ventris laborant. Tumores alij iuxta alios exurgunt, nondum quidem continui, sed crassi & asperi: & interstitium tumorum descissum est, vt elephantis corium. Venæ latæ sunt, non sanguinis redundantia, sed cutis crassitudine. Non multo post aũt & sedes declarat vniuerso corpore inæqualem tumorem distento. Pili in omni corpore præmoriuntur in manibus, femoribus, tibijs: Item in pube, in mento rari sunt: rara quoq; in capite cæsaries. quod verò maius est, intempestiui cani & caluitium affatim subitoque ingruunt. non multo post autẽ pubes & mentum glabrescunt. Quòd si qui pauci pili remaneant: hi magis dedecent, quàm qui defluxerũt.

C Capitis cutis altius rescissa est: rimæ autem frequentes, profundę, asperæ sunt. Tumores in facie duri, acuti: nonnunquam fastigio albido, basi viridiore. Pulsus pusilli, graues, tardi, tanquam per cœnum vix se mouentes. Venæ temporum distentæ sunt, & sub lingua ventres biliosi. Lingua grandinosis varis exasperatur. Neq; inopinabile est & omne corpus talibus scatere tuberculis: quandoquidem & in victimis prauos humores habentibus carnes grandinis plenæ sunt. Sin autem valdè ab intimis partibus erumpit morbus, & in extremitatibus apparebit: impetigines summos digitos infestabunt, genua prurient, pruritusque cum voluptate scalpetur. Ambit verò impe-

D tigo & mentum nonnunquam in orbem: rubent malæ cum tumore haud ita magno: oculi caliginosi, ænei coloris sunt: supercilia prominentia, crassa, glabra, deorsum versus pondere vergentia: contractis glabellis eminens tumor insurgit: color liuidus, aut ater est. Episcenium vehementer contrahitur, vt oculos contegat, quemadmodũ irascentib. aut leonib. accidit: vnde & Leonina hęc ægritudo vocatur. Igitur neq; leoni, neque elephanto solùm, verùm etiam nocti tenebrosæ æquales sunt. Hypopia, idest, sub oculis insurgentia ossa, & nares cũ atris tumoribus salebrosæ, extantesque sunt. labiorum prominentia crassa est, pars autem inferior liuescit, nasus tumet * dentes non

E albi sunt, sed nigricare videntur. Aures rubent admixta nigritia, obstructæ, elephanticæ vt grandiores consueto esse videantur. Vlcera in basi aurium sunt: sanies defluit: pruriunt. Totum corpus rugis as-

* atq; extant

ſperis exaratur. nec nō & altè deſcendūt ſciſſuræ veluti nigri in corio A
ſulci. propterea & Elephas huic morbo nomen eſt. Plantarū & calcaneorum vſque ad medios digitos fiſſuræ ſunt. Quòd ſi plus augeſcat malum: tumores malarum, menti, digitorum, genuumq; vlceroſi fiunt. vlcera fœtida ſunt, & inſanabilia: alia enim ſuper alia exurgunt, ſuper alia alia niteſcunt. ſiquidem nonnunquam membra hominem diu morte prę ueniūt, quoad de corpore excidāt nas⁹, digiti, pedes, genitalia, atque totæ manus. Neque enim hæc labes prius perimit, turpi vita ſæuisque cruciatibus liberans, quàm membratim dilaceratus homo ſit. At longæua eſt, quemadmodum & Elephas animal. Sin autem membrorum recens dolor ſit, longè acerbius affligit. Aliter atq; B
aliter paratorum ciborū appetentia eſt non obtuſa, ſed guſtatus qualitatis expers eſt: nullaq; edendi ac potādi delectatio. omnia verò ob doloris cruciatum oderunt: alimento priuatur corpus: rabioſa ineſt cupiditas: ſpontinæ ſunt laſsitudines, ſingulorū membrorū ſpecies hominem grauitate inuſitata premit, quantumlibet exigua membra ſint. quinetiam corpus omnia grauatim fert: non balneis delectatur, non illuuie, non cibo, non ieiunio, non motu, non quiete: ab omnib. enim morbus alienus eſt. ſomnus tenuis, vigilia peior mala ſua cogitans. ſpirandi vehemens difficultas: ſuffocationes fiunt, ac ſi laqueo ſtrangulētur. Hoc igitur pacto nonnulli vitā perdiderunt, inexcitabilē C
ſomnum in mortem dormientes. Itaq; tales, cùm ſint, quis non aufugiat? aut quis non auerſetur, licet filius, aut pater, aut etiā germanus frater ſit? cùm metus eſt, ne morbus communicetur. Propterea multi in ſolitudines & montes ſibi chariſsimos abduxerunt: aliqui eorū egeſtati, quoad viuerent, ſubuenientes, aliqui verò minimè: cùm eos vita defungi mallent. Fama eſt eorum quendam, qui in ſolitudinem expoſiti erant, ex terræ latebris reptantem viperam intuitum, aut fame coactum, aut morbi tædio inductum, vt malo malum commutaret, viuentē viperam ediſſe, neq; è vita migraſſe, quàm omnia ipſius membra computruerint, atq; exciderint. Alterum præterea ferunt, D
viperam in muſti dolium irrepſiſſe conſpicatum, cùm muſtum ad ſatietatem ingurgitaſſet, vomuiſſe, multumq; veneni ſimul cum muſto reieciſſe, vt verò in muſto fera extincta fuit: iterum hominem muſtū largiſsimè epotum, vitæ pariter ac morbi finem quærentem, vbi aūt ſatiatus, iuxtà inebriatusque fuit, primum quidem humi proſtratus inſtar morientis iacebat. poſteaquàm deinde graui ſopore experrectus eſt, ebrietatemq; diſcuſsit, in primis comæ defluxerunt, præterea digiti & vngues: deinceps omnia in ambitu corporis membra cōtabuerunt. quoniam verò adhuc in ſemine facultas erat, iterum tanq̄ ab ortu hominē natura veluti ex cera creauit. alios enim crines enu- E
triuit, vngues nouos, & nitidam carnem inſtaurauit, ac vetus corium ceu ſerpentis ſenectam exuit: & tanquam alter homo ad vitæ munia

reuocatus

A reuocatus est. Ita habet fabula non admodum quidem vera, neque valdè fidem excedens. Malum enim malo pulsum esse probabile est: naturam verò ex residua vitæ scintilla hominem redintegrasse, haud ita à ratione abhorret, vt monstro simile esse videatur.

ARETAEI CAPPADOCIS

DE MORBORVM ACVTORVM CVRATIONE

Liber Quintus.

B IVNIO PAVLO CRASSO PATAVINO INTERPRETE.

Hæc insunt in hoc libro.

Prooemium.

ACutarum ægritudinum medicamina speciebus signorum contigua sunt, quæ superioribus libris à me cõprehensa fuere. Quæcunque sanè in febrium curatione fiunt secundum ipsorũ differentiam, & secundum mor-D borum speciem, & in ipsis diuersitatem: eorum plura in tractatione de Febribus explicabuntur. Quotquot autem cum febribus acuti morbi fiunt, qualis Phrenitis est, aut sine febribus, qualis Apoplexia: eorum duntaxat medicamina commemorabo: vt ne aberrem, neque verbosior sim, alia in alijs describens locis. Idem verò principium, quòd & de morbis feci, eundem etiam finem faciam.

Curatio Phreniticorum. Cap. I.

AEgrotum cubare conuenit in conclaui mediocris amplitudinis aeris temperati, hyeme tepidi, æstate frigidioris, atq; humidio-E ris, verè aũt & autũno secundũ temporũ naturas cõiectura vti decet. Deinde quiescere iubẽdũ est & ægrotos ipsos & omnes domesticos. Acutè nanq; audiũt phrenitici, & strepitib. irritãtur; nec nõ & ab his

in furorem aguntur. Parietes lęues sint, æquales, neque supereminentes, neque festucas, aut aliquid exertum habentes, neque picturis exornentur: pictura enim parietum mentem turbat: nam præ oculis falsa quædam simulacra obuersantur, & quædam non eminentia tanquam eminentia manib. contrectant, omnisq; occasio citra causam manuum agitationem prouocat. Cubilis longitudo & latitudo moderata sit: quò neque in ampliori volutari, iactarique possit, neque ob nimis angustum delabi è lecto. Stragulæ vestes glabræ sint, vt ne floccos colligendi in mentem veniat. In molli lecto decumbant, nã durum stratum neruis ingratum est: Non minimè autem inter cæteros ægrotantes phrenitici neruis laborant: facilè enim conuelluntur. Amicissimi eos inuisant: fabulæ & sermones animum ne vellicent: cùm delectabilia omnia esse oporteat, illis præcipuè, quorum iracunda insania est. Vtrum in tenebris an in luce habendi sint, ex morbi natura conijcere debemus: nam si ad lumen efferantur, & quæ non sunt, cernunt, & quæ non adsunt, cogitant, aut pro alijs alia cognoscunt, aut quasdam nouas & vanas imagines accipiunt, atque in summa lucem, aut quę in luce sunt, extimescunt, obscuro loco eos continere præstat: Sin secus se habeant, lucido. bonum est autem ad lucem resipiscere, placariq; insaniam. Ne diu à cibis abstineant: cibi verò humidiores sunto, pauciores que, & continui: nam cibi iram demulcent. Occasio autem exhibendi cibi esto in vtriusque remissionibus, febris videlicet, atque delirij. Quòd si ab inedia furunt, & non desinat febris, cibos dare non valde febrim lędentes vtile est. Nempè bonum est febrim deliriumque in accessionibus remissionibusque concordare, quò exhibendi cibi oportunum tempus inueniatur. In primis itaque considerandum est, sanguis nec ne mittendus sit. Si mentis quidem alienatio vnà cum febre à principio inuaserit: vena in cubiti curuatura primo aut secundo die, media potissimùm secanda est. Quòd si non nisi tertio, aut quarto die delirium accedat, vsque ad primum decretoriorum dierum circuitum venæ sectio differenda est. At si vltra conueniens tempus, vt puta sexto aut septimo die superueniat, multo ante iudicationes in acutis morbis euacuandum est, aut purgandum, aut alijs irritationibus vtendum. Venæ quoque incisor ne multum sanguinis detrahat, licet à principio secet, phrenitis nanque malum est in syncopam facilè mutabile. Sin autem ægrotus valde repletus sit, & iuuenis, plurimo cibo, & largissimo vini potu saginatus: hæ ad phrenitidem rationes non pertinent: verùm istis & citra delirium multum sanguinis hauriendum est: longè autem minus auferendum, si ijdem phrenitici sint. Verùmtamen audacius vena soluenda est, si à præcordijs non à capite morbus oriatur: ibi enim vitæ principium est: caput verò sensus, neruorumque originis locus est, sanguinemque potius à corde trahit quàm alijs distribuat

Igitur.

A Igitur si membrũ hoc affectũ sit, venam cubiti scindere non cõuenit: quippe in illis vitijs manire vasa oportet, à quibus non modica noxa prouenit. Quòd si vires patiantur, vt quantum sanguinis satis est, euacuetur: semel auferendum est: ne, dum repetendo tempus conteritur, exhibendi cibi occasio elabatur: quandoquidem phreniticis continuæ febres sunt, neque remissiones longas habent, sed breues, & latentes subleuationes. Cæterùm si ante mediocritatem defecerit æger: ad secundam remissionem differendum est, nisi lõgo tempore post ventura sit. Quòd si non sit: vires instaurando odoramentis, faciei tractatione, & pedum compressione protinus
B sanguis detrahendus est: quantum verò mittendum sit, facultas ostendet. Esca humida omnibus quidem febricitantibus idonea est, sed phreniticis maximè: aridiores enim sunt, quàm si sola adesset febris. neque mulsa danda, nisi biliosi sint: nam facile à biliosis naturis concoquitur. Far lotum cum aqua, aut mulsa conuenit. Bonum quoque est ex his sorbitiones simplices præbere, quales satureia, aut apio, aut anetho incoctis fieri solent. hæ nanque bonam spirationem conciliant, & vrinam cient: conducit autem phreniticis lotij excretio. Omnia olera prosunt: sed malua potissimum. lentor enim bonus est & ad linguæ arteriæque læuorem, & ad stercorum
C descensum. optima est beta, blitum, coronopus & cucurbita, in tempore & quicquid suis tẽporibus optimũ fuerit. Ordei verò mundati cremor liquidissimus quidem in primis quò nutribilior sit: sed tanto etiam spissior crassiorq; sit, quanto plus temporis morbus progressus fuerit. Verùm in iudicationibus & paulo ante iudicationes cibus subtrahendus est. Si morbus longiori tempore producatur, cibos ne subtrahito, sed triticea exhibeto, quò sufficiat ægrotus: quando extremorum & volatilium carnibus in cremore liquefactis plerunque opus est. oportet enim hæc in elixando valde dissolui. Ex piscibus saxatiles alijs præstantiores sunt: atque omnino regionis illius optimos
D deligito. quippe aliam regionem alias piscium species procreare creditum est. Vinosæ naturæ fructus subtrahito: quoniam caput & mentem percutiunt. Verùm si necessitas vrgeat, viribus autore ventriculi labantibus: mala in mulsa elixa, aut in massa farinę subactæ tosta exhibeto, aliorum singula calida aqua dissoluito, si roborandi duntaxat oris ventriculi causa exhibeas: sin autem vires quoque instaurare opus sit, non vsque adeo vinosa facultas dissoluenda est. Cibi quidem (vt semel dicam) huiusmodi sunto. Irrigandum verò caput est refrigerandi causa oliuę acerbæ contritę vnguine: nam caput in phreniticis calefieri non amat. Quòd si vigiliæ & cogitationes æ-
E grotum agitent: rosacei parem modum in principio misceto: adhuc verò plus rosacei addendum, quò magis * extra intraque) caput roboretur ac refrigeretur. At si mens labefactetur, et locutio euariet: *vacant hæc verba

L

serpylli comam oleis incoquito: aut hederæ succum, aut sanguinalis A affundito. Si mentis verò alienatio vehementius hominem turbet: peucedanum, & spondylium oleis inferuefacito, & aceti parum instillato: hæc enim halitus & caliditatem difflant, crassasq; humiditates, quæ & ipsæ deliramenti causæ sunt, discutiunt. Cauere autem conuenit, ne in ceruicem ac tendones madefactio descendat. Tendonibus enim atque neruis inimica est. Nempe irrigandi semper occasio est, præterquàm exacerbationis initio: rarius quidem in incremento, omnium verò frequentissimè vigente morbo, cùm maximè insaniunt, tum maximè irrigandum est humore frigido: atque æstiuo tempore multo magis refrigerato, hyeme verò tepido. Vt mitescat autem delirium, posca, aut conyzæ decocto cum spongia facies B fouenda est. Deinde œnanthino, aut crocino vnguine linenda: quin etiam nares, & aures iisdem imbuendæ: Hæc enim somnum alliciũt.

Somnũ conciliantia.

Siquando isti pernoctant neque interdiu sopiuntur, sed penitus intenti sunt oculi atque instar cornu rigentes, iactantur autem, & è lecto prosiliunt: his somnus & quies conciliandi sunt primum quidem caput rosaceo mero irrigando, aut amaracino cum succo hederæ, aut serpylli, aut etiam sertulæ decocto. Magis autem soporiferũ est papauer in oleo elixum capitis sincipiti superdatum, aut in aqua faciei: per spongiam impositum, ipsę quoque integræ herbæ (si pro- C ximè lectæ fuerint,) virides ceruicalibus subijciendæ sunt. crassant enim, madefaciuntque spiritum aridum tenuemq; & caliginẽ quandam sensibus obducunt: graue autem & torpens est caligo: id verò est somni principium. At si valentioribus auxilijs egebunt: & ipsa papaueris lachryma ex aqua frons inungenda. quin etiam nares ea linendæ, & in aures infundenda est. Contrectatio pedum suauis ex oleo: capitisque attactus efficax est, sed potissimum si tempora, auresque scalpantur. nam & ferarum iram furoremque aurium & temporum mollis attrectatio coercet. Cuique verò vsitata somnum accersunt: Nautis in cymba decubitus, & maritima nauigatio, & litto- D rum sonus, & vndarum murmur, ventorumque bombus, & maris nauisque redolentia: Musico quoque tibiarum exercitatio quietem affert, aut lyræ cantus, aut citharæ, aut meditatio puerorum canentium: Ludi autem magistro puerilium fabellarum enarratio. Atque ita alijs alia animum demulcentia somnum insinuant. Cæterùm præcordijs ac ventri madefactiones & cataplasmata adhibeto, si phlegmone subsit, atque durities, flatusque, distendat: oleum quoque ex oliua bene matura nequaquam acerba inijcito: id enim crassum est, & viscidum, & calefaciens. Hæc vtique in inflammatione facienda sunt. Inijciatur verò in ipsa anethum, aut conyza: bonum E quoque est si simul omnia. Quòd si adsit etiam inflatio, cumini & apij semina adijcito, & quæcunque lotium flatusque prolectant: nec

non

A non & nitrum cribratum inspergito. Verùm si in iecore vitium dolorque fuerit: lanas ab oue sordidas accipito, oleum verò acerbum, aut rosaceum, & sapâ græcam, aut creticam admisceto: fertulamque incoquito, atque omnibus in vnum succum permixtis iecur irrigato. Ad lienem verò oleum cum aceto bene facit: aut si magis quàm prius turbet, posca: & pro lanis spongia mollis adhibeatur. nam mirum in modum his gaudet mitescitque lienis. Porrò si præcordia interius sint, sursumque trahantur, & circumtenta cutis sit: optimum hoc remedium erit loco vnguinis, aut vnà cum ipso crasso tantundem opportunum est. cunila verò & ros marinus incoquantur.

B anethum quoque non iniucundum erit. Quòd si cataplasmatis tempus erit idoneum, oleis quidem ijsdem in ijsdem affectibus vtendum est. Materia sit autem lini semen, fœnum græcum, ordei tenuis farina, Bonum est autem & faba, & eruum, si venter intumescat: pariter & milium torrefactum in sacculo positum leue molleque fomentum est: pinsitum verò & aqua intercutem laborantibus cum melle & oleo & lini semine cataplasma bonum est. Flores autem & herbæ & semina quæcunque à me in irrigationibus posita sunt, & in cataplasmatibus eadem sunto. Mel verò & cum ipsis bonum est, vt arida cogantur, misceanturque squallentia, atque vt ca-

C lor diutius permaneat: ipsum quoque solum bonum est pro cataplasmate semicoctum, & ad irrigandum, si cum aliquo humore liquetur: mollit enim, calefacit, flatus lotiumque euocat, & ardores obtundit. Nam hæc quoque mulsa epota præstat: hisque plura & meliora, si interius arteriam, pulmones, pectus, & ventrem subeat. Assiduè verò aluus irritanda est glandulis, aut illitionibus (sæpius enim siccescit,) vt à capite materiæ detrahantur, & à pectore halitus difflentur, & alui purgamenta excernantur. Quòd si multis diebus venter suppressus fuit. ipsum mulsa, oleo, & nitro subluere opus est. Verùm si non satis phlegmones exhalationes de-

D fierunt, cucurbitulam affigens incidito, qua parte phlegmone extumuit, & maior apparet: vnam autem, aut duas affigito, prout phlegmone significauerit, & vires præceperint: & sanguinis detrahendi copiam ab his coniectare oportet. Excessus enim syncopæ autor est. Primo quidem, aut altero die madefactio eadem esto, Tertio verò ceratum cum aliquo ex oleis ad irrigandum aptis imponito. Deinde epithemata in inflammatione si facultas sit, ex hyssopo, fœnogræco ex mulsa decocto, terebinthi arboris resina, & cera: olea verò in ijsdem eadem. Quòd si nihil istis delirium remittat: tondere caput necesse est: si longissimi crines sint, primum dimidij: si

E breuiores, ad cutim. Posteà prius refectis viribus cucurbitula vertici capitis affigenda est, sanguisque hauriendus: verùm prius inanis cucurbitula interscapulo adhibeatur. Ceterũ quoniam thoracem in-

omnibus acutis morbis medicari oportet: nam prorsus ipse cũ corde A
& pulmone laborat, primùm quidem ob spiritus modò calidi, modo frigidi necessitatem, præterea ab ardenti febre, & tussi, & humorum prauitate & neruorum communione, & oris ventriculi noxa, nec nõ succingentis membranæ, & septi transuersi vitio: (cor enim si maiori aliquo malo oppressum sit, nunquam sanescit) in Phreniticis vtiq; & hæc in primis mitiganda sunt. siquidem nonnullis mentis alienatio ab aliquo eorum, quæ in pectore sunt, vitio exoritur. ea verò sunt, spiritus calidus & siccus, sitis acris, ignis intolerabilis, qui vndique in thoracem confluit, & prauitas quidem à domestico calore cõmutato & maior & molestior prouenit. Ab alijs etiam membris in B
thoracem contributio fit: Extrema nanq; frigida sunt, caput, pedes, ac manus: super hæc autem thorax est. igitur humectandi refrigerandique auxilio eget. Humectatio quidem fit ex oleo, in quo chamæmalum, aut nardus incocta sit, Aestate verò & sapa græca benè faciet. At si epithematibus vti oporteat: palmulæ vino austero maceratæ, deinde contusæ in placentam cum nardo, polenta atque œnanthe suaue pectori cataplasma fuerint. Refrigerant quoq; mala pinsita cum mastiche & sertula: quæ omnia cera & nardo excipiantur. Sin autem & os ventriculi torpeat, & à cibis abhorreat: suc cum absinthij, aut comam vnà cum his terito, ipso etiam in oleo in- C
cocto præcordia irrigato: & aquam, in qua maduit, aut ipsius succũ ante cibum propinato duos scilicet aquæ illius cyathos, aut amari succi cyathum ex aquæ cyathis duobus. At si os ventriculi ardor malè habet, non ratione morbi, sed ipsum duntaxat ab acris salsisque humiditatibus, siue à bile mordetur, atque siti perarescit: lac aquæ admixtum in cibis exhibendum, heminæ videlicet dimidium vno aquæ cyatho temperatum: atque ita huiusce lactis plurimum sorbeat: nonnihil etiam cum pane assumat. Verùntamen si ardor hominem torqueat, & sitis, & anxietas, & furens insania, & frigidæ cupiditas: propinanda quidem frigida est, sed non tanta, quanta in D
ardore morbo absque phrenitide propinatur. In istis enim timendũ neruis est. itaque danda est, vt ori ventriculi subueniatur. pauca verò satis est, parum enim potant phrenitici. Cæterùm si in Syncopam prolabantur, nam & hoc incidere solet, viribus euanescentibus in sudorem liquescente homine, omnibus humoribus extrorsum impetum facientibus, tenore ac spiritu fatiscentibus: tunc cura delirij posthabetur. sed cùm metus sit, ne in vaporem humiditatemque homo dissoluatur, vnicum subsidium vinum est. celeriter enim substantiam alendo instaurat: & quoquo versus ad extremitates vsq; permeat tenori tenorem apponit: & spiritum torpentem expergefa- E
cit: frigiditatem calore temperat: laxantem madorem astringit: extrorsum erumpentia atq; diffluentia coercet: olfactu suaue delectat:

vires

A vires demũ fulcire ad vitã prorogandam poteſt: atq; in inſania ad irã demulcendam optimũ eſt. Hæc omnia epotum vinũ ſimul præſtat. iracundia nanq; molleſcente animo conquieſcit: atq; ipſimet ad recreandas vires cibos accipiunt: quinetiã ſe ipſos ad voluptatẽ replent Nẽpe ſi iã plus tẽporis morbus extrahitur, & febris ignaua eſt, & deliriũ in fatuitatẽ vertitur, & præcordia nõ vſq; adeò læſa ſunt, aut tumore, aut inflatione, aut duritia, ſed in capite poriſsima morbi cauſa eſt, audacter lauare oportet, atque ſæpius caput perfundere, habitus nãque ſanabitur: & caput difflabitur: & omne corpus exhalabit, Atque ita ſiccitas obtunditur: & ſenſus caligo diſcutitur: & mens ſtabilis,
B atque inconcuſſa firmatur. Hæc vtiq; ſunt tollendi morbi præcepta.

Curatio Veternoſorum. Cap. II.

VEternoſi in luce & ad ſolis radios collocentur: morbus enim nihil aliud eſt, quam tenebræ. & magis in loco calido habeantur: ipſius enim cauſa eſt inſita frigiditas. cubile agitabile ſit. ſtragulæ veſtes, parietum picturæ, omnia ſint varia, quæcunque viſum proritare queunt. multus habeatur ſermo: pedes premendo tractentur: vellãtur pili. membra ſcalpantur. Si altus ſopor obtineat, vociferandũ eſt. iracundè increpandus eſt æger: his, quæ timere conſueuit, deterren-
C dus: quæcunque prius optabat expectabatque, annuncianda ſunt: omnia ad ſoporem diſcutiendum contrà, atque in phreniticis moliẽnda. Quòd ad Veternoſorum euacuationem attinet: hæc nouiſſe oportet, ſi alteri morbo, vtpote phrenitidi ſuccedat veternus, venam ne ſoluito: neque alicunde multum ſanguinem educito: ſed ventrem ſubluito non ſolùm ſtercoris educendi cauſa, ſed etiam vt aliquid à ſuperioribus partibus reuellatur, & à capite deriuetur. igitur multum inſit ſalis, & nitri. Optimum verò ſit, ſi ſublutioni caſtorium inſpergas. imum enim inteſtinum veternoſis frigidum eſt, & ad excretionem emortuum. Si non per ſucceſsionem, ſed per ſe veternus
D incipiat, & æger plenus eſſe videatur: ſi ſanguinis, vena in cubiti curuatura ſecanda eſt: ſi pituitæ aquoſæ, aut aliorum ſuccorum, purgare opus eſt, cnico ex ordei cremore, aut nigro veratro ex mulſa inter initia, ſi mediocriter purgare velis. Sin autem copioſius, medicamenti, quod Hieram ideſt Sacram vocans: pondo drachmas duas ieiuno dato cum mulſæ cyathis tribus: atque tantiſper expectans, quoad purgatio confecta ſit: tunc cibos, ſi opportunum ſit, exhibeto: ſin minus in poſterum diem alimentum differto. Nonnunquam ſanè & veſperi hyeræ drachma cum aquæ aut mulſæ cyathis duobus diſſoluta in tempore datur. Nempe inedia malum eſt, malum eſt & cibi
E multitudo. Igitur exiguo cibo vti ſingulis diebus oportet: neq; ſubito ac penitus ieiunandum eſt, os enim ventriculi per totum diem refectione caloreque indiget. Quin etiam cibus eſto attenuans,

& aluũ leniens in iusculis magis quàm leguminibus, gallina cōchride A
cùm herba verò mercuriali elixato, acetumque affundito, & succis inijcito, si fortè succo ptisanæ vtendum sit. Bonum autem spiritum reddit, vrinamque citat fœniculum, apium olera, aut horum semina. Item porrum acrimonia sua proficit, & brassica cum oleo & garo. optimè facit & cuminum dulce cum brassica ad flatus digerendos & lotium euocandum. Vesica enim atque venter in quolibet morbo irritant, atque infestant. Irrigationes capitis tales fiant, quales & in phreniticis. Vtrisque enim sensus pleni halituum sunt: quos refrigerando adstringendoque rosæ atque hædere succo propulsare necesse est: aut digerere per transpirationem extenuantibus, exempli causa B
serpyllo, aut aceto cum rosaceo. Si nerui doleant, & totum corpus, sed multò magis extrema frigescant: caput ceruicemque castorio cũ anethino oleo inungito, atque irrigato. quin etiam spinam eodem, sicyonio, aut gleucino, aut vteri oleo admixto perfundito: necnon & manus ab humeris incipiendo & pedes ab inguinibus perungẽdi sunt. Nonnullis quoque vesica est humectanda: quæ tanquam neruus patitur, & tanquam vrinæ iter laborat: insuper & humorum acredine vexatur: biliosum enim lotium est. Sin autem maior tremor adsit, & conuulsionem minetur, necessariò & sicyonium oleum capiti superfundẽdũ: sed breuis eius vsus esto. Quòd si prçcordia inflāmata sint, cutis verò tumida, inflata, distentaque, aut introrsum vergentibus præcordijs concaua efficiatur, madefactiones & cataplasmata eiusmodi sint, cuiusmodi in capite de phreniticis comprehendimus. C
Cucurbitula minimè vtitor, si à phrenitide in hanc labem incidit: audacius verò cucurbitula vti poteris, si ab initio morbus iste inuaserit. Sin autem atra lingua sit, & tumor in præcordijs appareat: cucurbitulam affigere necesse est, postquàm verò interuallo temporis sensus purgati fuerint, & alia facilius feret: capitis vertici applicare. quādoquidem ea parte euacuare sine vlla virium molestia possumus. Et flatus suprà infraque eliciendi sunt. Veternus enim flatus colligit. D
& in ventriculis, & in toto corpore ignauia, marcor, animæque defectus conspicitur. Motus autem ac vigilia discutiendi facultatem habent. Rutam igitur viridem cum melle & nitro contritam illinito: magis quoque flatus digerit. si cum his & terebinthinæ resinæ pars vna misceatur. Fotus quoque flatus prouocat aut cum sordidis calentibusque lanis, aut cum asperis panniculis veteribus atque attritis: aut cum spongia ex aqua, vbi hyssopum, aut origanum, aut pulegium aut ruta incocta sit. Euocant autem flatus & quæcunq; ante cibos propinantur: quæ vtique pituitam bilemque ab intestinis & stomacho educunt. Hyssopum in mulsa elixum, dictamum creticum, origanum acria quidem sunt, sed eductoria, Adiantum gramenque flatus & lotia erumpere faciunt. Si manus & caput contre- E
miscant,

A miscant, castoreum dimidiæ drachmæ pondere ex mulsæ cyathis tribus ad plures dies bibendum est: si bibi verò non posit, ad demoliendam calamitatem cum olei cyathis tribus, in quo ruta incocta sit, duplum in imum intestinum infundatur: idque per plures dies faciendum. Vltrà verò vtilitatem, quæ ex hoc prouenit (nam suprà infraque flatus expellit, & nonnullis vrinam, stercusque detrudit) si fortè in omne corpus dilabens penetrat, firmi atque robusti nerui efficiuntur, & habitus ad calidum siccumque permutat: morborumque constitutiones conuertit. Optimè etiam proficit si in nares inspiretur: nam & ea ex parte spiritus sternutamentis educit. Et
B quemadmodum per vesicam vrinam expellit, ita & per nares mucũ. Hos autẽ effectus hoc loco suaui caliditate præstat, & melius quàm alia sternutatoria, scilicet quàm piper, veratrum, radicula, Euphorbium. Nam hæc ad primum atque vltimum attactum immitia sunt, & caput sensumque perturbant. Castoreum verò paulatim adhibitum calefacit, cùm & alioqui capiti conducat: quandoquidem nerui vndique ex capite oriantur: morbis autem neruorum castoreum medetur. Cæterùm ipsum cum aliquo aut aliquib. ex supra comprehensis admiscere non ingratum fuerit. nam si admixtum sit, non protinus quidem caput mediocriter conturbauerit, diutius
C verò caliditatem accenderit. Nares proritatione humidæ reddantur. odoramenta applicentur, acria quidem ad sensum, sed facultate calida: quale ipsum castoreum est, aut thymbra aut pulegium aut thymum, viridia aut arida aceto perfusa. Acribus medicamentis pedes genuaque illinantur. Materia esto calefaciens, & ex adiectione mordens: nam vtroque veternosis opus est ad calorem excitandum atque vigiliam. Primum igitur vrtica crura verberato. tenuissimæ nanque vrticæ partes adhærentes non diu perseuerant sed pruritum & dolorem non grauem inferunt: mediocriter verò stimulãt, & tumefaciunt, & calorem excitant. Quòd si hæc vehementiora fie-
D ri volueris: lemnisticis, atque euphorbij pares portiones cum vnguine gleucino illinito. Optimum quoque est scillæ crudæ laminis perfricare. sed à membris omne oleosum detergere oportet: quodlibet enim acre minimè mordax est admixtum cum vnguine, (nisi id medicamentosum sit,) quale est cyprinum, aut gleucinum, aut sicyonium. Si præter hęc alius adhuc sopor occupet: proderit syluaticum cucumerem ex aceto tritum, & æquę sinapis portioni admixtum imponere, acre verò est id cataplasma, celeriterq; ruborem concitat: celeriter quoque calefacere potest. verùm ne pustulas vulneraq; efficiendo periculum inferat, frequenter detrahendũ est cataplasma atq;
E nunquid horum acciderit, inspiciendum. Hæc vtiq; ad ipsius torporem, ac veluti demortui languorẽ discutiendum quolibet morbi tempore pręter exacerbationum inuasiones mollienda sunt. Quòd si iam

sensum recuperet, pondus tamen aliquod in capite insit, & sonus aut bombus obstrepat: etiam per os pituita elicienda est. Mastichen in primis mandendam exhibe, vt continenter expuat: postea rursum vuam taminiam, granum gnidium: sed omnium maximè sinapi, & quoniam vsitatum est, & quoniam inter alia magis pituitam educit: ac siquis sponte ipsum deuorauerit, quæ in ventriculi sunt, disijcere potest: potest etiam aluum madefacere, & flatus excernere. Etenim aliquando casu hæc mihi euenerunt: cùm homo quidã me cõsentiẽte ipsum deuorasset. Bonus autẽ magister est experientia, opus est verò & ipsum periculum facere: imperitia nanq; timoris & cautionis causa est. Caput quoque postquàm ad cutim detonsum fuit, nisi magnopere proficiat: vt transpiret, radendum est: quin etiam ad vsum acrium medicaminum vt eius, qui ex lemnistide constat, aut hydar, aut thapsia, aut sinapi humidum ex aqua cum dupla panis portione in linteolo veteri illitum capiti superdandum est: cumque horę spatio ibi permissum fuerit, spongijs calidis fouere opportunum fuerit. Item ex vsu erit & lauatio omnibus iam, aut saltem plurimis, & præcipuis ad morbi depulsionem adhibitis, adhuc tamen corpore torpente, vbi & gestatio proderit, & frictio, & quælibet lenis corporis agitatio. A B

De curatione Tabis. *Cap.* *III.* C

ISTOS sanè si & tabes malè habet, ocyus succurrendum est, ad balneum deducendo, & corpus dimouendo. Tabis quoque lac medela est, & nutricatio, & ventris calefactatio atq; humectatio & vesicæ lenitio. Quin etiã eadem huic vitio, quæ & catocho, expediunt: similis enim atq; eadem est horum morborum species. Castoreum vtique istis oportunius est atque lenius & potui datum, & illitum, & in intestinum infusum. Mulieribus autem qualia his similia ab vtero vitia oriantur, in libro De mulie bribus morbis à nobis disputabitur. D

De curatione Apoplexiæ. *Cap.* *IIII.*

APoplexia validus planè morbus est. nam in omnibus exanimes sunt, quorum & corpus & mens stupet. Si & ægrotus senex sit (quibus familiare id vitium est) non enim liberatur, & morbi magnitudine & ætatis miseria oppressus. Quibus autem notis morbi magnitudo coniectanda sit, anteà à nobis positum est. Si iuuenis æger sit: debilis est apoplexia, non tamen facilè remouetur. Tentanda igitur curatio est. Aequale sanè adiutorium vtpote magno affectui magnum remedium missio sanguinis est: nisi quis plus quã conueniat, mittendo delinquat. modum autem coniectare difficile est: nam si paulò plus detraxeris, hominem planè strangulasti, ad vitam enim tuendam his vel paucus sanguis efficacissimus est: cũ E

sit vitæ

A sit vitæ corporisque alimenti fomes. si minus detraxeris, quàm causa postulat: nihil magni per magnum auxilium contuleris: adhuc enim causa permanet. Sed pręstat minus detrahendo delinquere: nam si minus detractum esse visum sit, aliqui verò optimi successus apparuerint, iterum venam rescindere congruens fuerit: scindendá est autem vena in concauo cubiti, hęc enim in sinistro fluida est. Simul quoque in pusilla apoplexia & resolutæ partes considerandæ sunt, in sinistro ne, an in dextro latere resolutio sit: à salubribus enim partibus (vt dicere mos est) sanguinem haurire oportet. hac enim sanguis facilè delabitur: hac etiam à læsis partibus materia deriua-
B tur. Igitur si absque euidenti causa attoniti reddantur: sic de secanda vena ratiocinandum est. At si ab ictu, aut delapsu, aut compressione in hanc labem inciderint, in aliud tempus res differenda est: nonnullis verò ad medelam atque vitam id solum satis fuit. Cæterum si frigiditate multa & torpore, & sensuum abolitione hominem occupante vena minimè scindenda videatur: subluenda aluus est: quò multitudo ab intestinis extrahatur (plerunque enim ex voracitate & crapula in morbum talem prolabuntur) vtque humores caput occupantes reuellantur. Sublutio planè acris esto, pituitam, bilemque subducens. Igitur nitrum solum ne habeto, sed etiam euphorbium
C trium obolorum pondere, (qui eluendæ aluo modus vsitatus est:) & cucurbitæ agrestis interanea, aut centaurij comæ decoctum ex oleo, aut aqua. Optima quoque sublutio fuerit, mellis consuetæ portioni ruta adiuncta, & cum vnguine elixa, & terebinthi arboris resina, & sal pro nitro, & hyssopi decoctum. Quòd si per hęc subsidia paulùm excitatus homo fuerit, aut febre correptus, aut sensum ab illo marcore suscipiens, aut arteriæ bono motu restituto: aut facie vtcunque meliora significante: spes salutis concipienda est, audaciusque subueniendum. Interim igitur roboratis viribus, purgatorij medicaminis, quod Sacrum vocant, ieiuno maximè quidem integra potio danda
D est: si vires prohibeant, dimidium cum mulsa, & æger in lectica supinus collocatus agitandus est: sensim eum qui ferunt, gestantibus: frequenter verò, quò lassitudo arceatur: interquiescat. ac si aluus liquida sit, libens admittito: sin secus, aquæ: aut mulsę cyathos duos potui dato. Sin autem & dum purgatur, nauseabundus sit: id ne prohibeto. nam & illa distentio ad expergefaciendum vigorem quendá præstat, & pituitæ vomitus morbi causam euellit: sensum verò, & caput, & neruos repurgat sacrum quod vocatur medicamẽ. De qualibet itaque ab initio administranda purgatione satis disseruimus.

Totum verò hominem lanis inuolutum oleo sicyonio perfundere
E oportet, aut gleucino veteri, aut singulis seorsum, aut simul mixtis. Sed optimum fuerit ad conspissanda olea ceræ parum colliquare, atque ista nitri ac piperis mixtione valentior reddenda est, sin verò

tenuiter contrita & cribrata. At miram habet vim ad resolutos casto- A
reum, & illitum cum aliquo ex antedictis oleis: sed longè potentius
est, si cum mulsa potui detur, portio verò tanta sit, quantam in veter-
nosis nouimus. Coniectare autem oportet & ętatem ægrotantis, &
mentem an pluribus diebus bibere sit paratus. Nempè inunctiones
irrigationibus præstant, facilius feruntur, & magis proficiunt: neq;
enim dilabentes lectum & stragula inquinant, ægrotis verò id inuti-
le est, sed inhærentes corpori in colliquatas partes & à calore sorben
rur. quinetiam & ipsarum perpetuitas conducibilis est: nam irriga-
tio diffluit. Inunctionum autem materia est, quæcunque à me suprà
dicta sunt: cum ipsis verò castoreum. Accipitur itaque resina tere- B
binthi arboris, euphorbium lemnistis (hoc est adarce) pyrethrum
æquis portionibus: piperis, galbani dimidium, nitri Aegyptij tri-
plum, ceræ quantum ad humidam consistentiam satis sit. Cæterùm
medicamina multo magis, quam hæc, varia, & multo plura seorsum
loco suo tradita sunt. Epiplasmata quoque duris distentisque par-
tibus superdanda. Horum sylua est lini semen, fœnum græcum, fari-
na ordei, mel: oleum, vbi ruta, aut anethum incocta sint: althææ ra-
dix pinsita, & in mulsa vsque ad ceræ mollitudinem decocta. Sunto
verò & tractabilia, & temperatura suauia. Si quidem adhuc febre va
cant, aut leuiter postea febricitant, posthabita caloris cura hæc fa- C
cienda sunt: At si febres acutæ sunt, & reliquus morbus his leuior
esse videtur, febres verò in discrimen adducunt, ad has & victus ra-
tionem, & reliquam curationem concinnare oportet. Alimentis itaq;
summè tenuibus, & facilis coctionis vescendum est, atque opportu-
nitas nunc magis obseruanda. Et per totam curationem in exacer-
bationibus subtrahere, atque penitus in febres animum intendere
opus est. Cùm morbus autem diu trahitur, & caput in causa est, cu-
curbitula occipitio affigenda, & sanguis largiter hauriendus: plus
enim, quàm venæ sectio, proficit, & vires nequaquam labefactat. D
Sed prius inter scapulas inanem cucurbitulam admoueas: vt in con-
trarium eius, quæ in occipitio est, succos reuellat. Nempe interdum
& gula resoluta est: in qua sola attonitis salutis pręsidium collocatur,
deuorandis scilicet alimētis, & medicaminibus transmittendis. neq;
enim inediæ famisque tantummodo periculum instat, verùm etiam
tussis, difficilis spirationis, atque strangulatus. Nam siquis intra os
liquidum cibum infundat: in arteriam subter labitur, cùm neq; ton-
sillæ ad impulsum ciborum concidant, neq; epiglottis in proprium
locum subsidat, quæ arteriæ operculum à natura facta est. Quapro-
pter opus est mulsum, aut succum longa mystilla infundentem, supra
que arteriam attollentem in gulam demittere: id quoque enim ad E
deglutiendũ inseruit. Verùm enimuerò si ægrotus iam morti proxi-
mus sit, ipsius adeò ceruix spiritusq; congelascunt. ideo ceruicē &
mentum

A mentum calefactorijs illinito & foueto. Frustra verò laborant, atque imperiti illi sunt, quicunq; sub mento cucurbitulam, vt gula dilatetur affigunt: quandoquidem non dilatatione ad impositionem ciborum. sed ad deglutiendum compresione opus est, dilatat autem cucurbitula: & cùm deuorare velis, prohibet reuellens ac retrahens: cùm remittendum potius sit quò in deuorando constrictio fieri possit. Insuper arteriam repleri, vt strangulatio fiat periculum est, neq; etiam si hac, & illa in parte gutturis affixeris, quicquam prodest. musculi nanq; & nerui & tendones & venæ ante ipsum positi sunt. Vesica vtique, & laxum intestinum inter se proxima interdum ad

B excernendum debilitantur, resoluuntur, recrementorumq; semper plena reperiuntur: vesica verò & in maximam molem extumescit. Interdum autẽ ita resoluuntur, vt purgamenta continere nequeant: per ipsa enim tanquam inanima superuacua delabuntur. Tunc igitur instrumentum, quod Cathetera vocant, in vesicam demittere haud sanè tutum est. ne corrumpatur enim vesica, atque homo conuellatur, discrimen impendet: sed præstiterit cremore haud multo aluum subluere: cumque stercus ab intestino eiectum fuerit, iterum inijciendum est cum oleo castoreum. Spes autem vnica omnium pariter resolutorum, separatimque singularum partium eo vitio la-

C borantium in oleum incesio fuerit. quomodo verò ipsa administretur, in sermone De diuturnis morbis exponetur.

De Comitialis accessionis curatione. Cap. V.

Comitialis morbi primus casus pernitiosus est, si acutè morbus inuadit: non nunquam enim & vno die hominem perdit. Periculosæ etiã sũt per circuitus exacerbationes. vnde factum est, vt in acutorum numerũ comitialis morbus poneretur. Quòd si malo assuescat homo, & morbus tenaciter adhærens occupet: nõ solùm diuturnus, verùm etiam nonnullis perpetuus efficitur. nã si ætatis flo-

D rem vigoremq; excedit, consenescit cum ægro, commoriturq; Quot quot igitur medicamina vt diuturno morbo cõueniunt, in sermone De diuturnis comprehendentur: quotquot autem ad mortis celeritatem euitandam facienda sunt: horũ plura in sermone De attonitis tradidimus, venę sectiones, alui sublutiones, inunctiones, cucurbitulas. hęc enim vt homo expergiscatur, valentissimè efficiũt. Quotquot autem prolapsui peculiaria adiutoria inueniuntur, ea in pręsentia docebimus. Pueris itaq;, quibus ex corruptione, aut ex vehementi refrigeratione inusitata hęc labes incesit: vomitus aut cibi, aut pituitæ, aut aliorum quorundã succorũ prodesse consueuit. pennæ autem irino

E vnguento delibutæ nauseã excitant. veruntamen & irino non vsq; ad conuulsiones tonsillæ sunt illinendæ. Comprimere quoque leniter ilia opus est, puerum in ventrem suspensum conuertendo: hæc

enim figura ad vomitum habilissima est. At si vellatur, aut distorqueatur inferior maxilla, aut manus & crura iactentur, aut vnà cũ toto corpore oculi distendátur: manibus perunctis tractando demulcere conuenit: obtorti oculi dirigendi sunt: rectæ partes ne torqueantur, suauiter continendæ: frigida membra lanis antiquis sordidis, attritisque panniculis fouenda: sedem præterea melle cum rutaceo oleo inũgito, aut cum nitro, aut resina liquida cum his mixta: hæc quoq; leniter intra anum intrudito. flatus enim proliciunt. flatuum autem excretio huiusce morbi in pueris medela est. Porrò si deglutire valeant: pharmacum istud exhibendum est, cardamomi pars vna, æris combusti siliqua vna: hæc ex mulsa propinato, aut enim euomũt vnà cum humoribus ventriculum infestantibus, aut aluus subducitur. Optimum quoque est huiusmodi linctuarium, cardamomi, sinapis, hyssopi comæ par modus, iridis radicis pars cum nitri duplo, piperis tertia pars: omnia cum melle permisceto, & maxillam diducens in os infũdito: interius etiam, quàm vbi sunt tonsillæ, quò deglutire valeant, inijcito. Hæc adeò pueris expediunt. Iuuenib. aũt & hæc quidẽ prosunt, verùm etiam potentiora his medicamina ad vomitũ deligenda sunt, vt narcisci bulbi, sinapis, & Hyssopi pares partes, æris & piperis dimidio minus, quàm priora, cum melle miscens exhibe. Hæc profectò ad leuandam exacerbationem abundè fuerint: quæ verò ad propulsandum morbum facient, in sermone de diuturnis morbis persequemur.

A B C (margin letters)

De curatione Rigoris, quem Tetanum vocant. Cap. VI.

IN præsentia lectum mollem, tractabilem, læuem, suauem, calidũq; esse magnopere necesse est: neruos enim inflexiles, duros, rigentesque morbus efficit: quin etiam cutis tota squallens asperaque corpori obtenta est: palpebræ natura versatiles vix oculos conniuendo protegunt: oculi intenti sunt, in profundo conuoluti: nec non & artus sunt deligati, ob distentionem immobiles. Aegroti domicilium calidum esto etiam si æstas sit, citra sudorem, aut resolutionẽ: ad syncopam enim morbus inclinat. Neque verò ad alia magna remedia cunctanter accedendum: haud enim differendi datur occasio. Quapropter siue ob refrigerationem absque manifesta causa rigor inuaserit, siue ex vulnere, siue ex abortu mulieri incesserit: venam in cubito rescindito, curans in deligando brachio laxiorem compresionem fieri, sectionemque leniter & facilè expediri: siquidem ista neruorum conuulsiones cient. Semel etiam crura citra defectum animæ frigusque extremorum mediocriter effundatur. Neque inedia æger maceretur: res enim frigida siccaque fames est. Propinetur itaque mulsa spissa meracior, & ptisanæ cremor cũ melle.

D E (margin letters)

A Ista nanque & tonsillis comprimendo minimum dolorem inferunt, & gulæ deglutiendo lenia sunt & facilia, & ad molliendam aluum mollissima, & ad vires instaurandas valentissima. Omne corpus lanis inuoluito oleo gleucino, aut crocino madentibus, in quibus aut rosmarinus, aut conyza, aut artemisia incocta sit: atque omnia & facultate & ad tactum calida sunto. Oblinere autem corpus vnguine conuenit, quod ex limnistide (quam adarcem esse putamus, (quod in stagnis nascitur) & euphorbio, & nitro, & pyrethro conflatum est. his verò & multum castorei adijciatur. Bene quoque fuerit tendones lanis contegere, & secundum aurem & mentum loca
B perungere. nam partes hæ maximè patiuntur ac distenduntur. Præterea leuibus calefactorijs fouendi sunt tendones & vesica per sacculos milium torrefactum includentes, aut bubulas vesicas olei calidi semiplenas: quò locis, quæ fouentur, secundum latitudinem applicari valeant. Interdum coegit necessitas, vt capiti fomenta adhiberentur: quod neque sensibus vsque adeo tutum est, neque neruis salutare. sensibus enim quandā caliginē offundit multis halitib ipsos petent b. neruos aūt replet. Quo circà modo fouēdi quàm tutissimo vtendū est, atq; materia haud ita multū fœdè olens deligenda. vtique materia esto oleum in vesicis in duplici vase citra nidorem feruefa-
C ctum: aut sales tenues in sacculo. milium enim ac lini semen tactu quidem lenia sunt, sed halituosa & graueolentia. Ratio verò fouēdi huiusmodi esto. tendonibus resupinato ægro fomenta vsque ad verticem subijcienda sunt: vlterius verò ad syncipu t ne procedito. iste namque locus omnibus sensibus communis est: ab ipsoque tanquam ex fonte omnia adiumenta, omnes noxæ scaturiunt. Quòd si epiplasmata tendonibus superdanda sunt: erectum occipitium esto: nam si magis sursum versus imposueris, caput exhalationibus complebis. Materia sit autem epiplasmatum lini & fœnigræci semina. Post epiplasmata verò vtilis fuerit cucurbitula occipitio ab vtroque
D spinæ latere adhibita. Sed parcè admodum flamma accendatur; nam quæ ab labris cucurbitulæ fit circumpressio, doloris conuulsionisque autor esse solet. Igitur diutius trahere præstat, ac molliter magis, quàm plurimum breui tempore. sic enim tibi in conuexum locus sine dolore attolletur, qui concidendus est. Scopus autē modi sanguinis extrahendi tibi vires ægrotantis proponantur. Hæc vtique rigoribus, qui sine vlceribus fiunt, remedia conueniunt. At si ex vulnere conuulsio facta sit: perniciosum profectò id est, ægreque de salute sperari potest: nihilominus tamen opem ferre decet: quandoquidem nonnulli & adhibitis remedijs mortem euitarunt. Opor-
E tet igitur vltra cæteram medelam & vlceribus consulere cum calefacientibus, quæcunque à me iam dicta sunt, irrigando, & fotibus, & cataplasmatis & medicamentis, quæcunque & facilè calorem exci-

tent, & humectando pus abundè moueant. Vlcera enim in rigore A
ſicca & ſquallida ſunt. Accipito ergo thuris mannam, polij comam, terebinthi piniq́ue arborum reſinam, althęæ radicem, & rutam conyzamq́ue herbam: hæc in cataplaſmatis commiſcere opus eſt. alia liquando, alia, quæ pulucrea ſunt, inſpergendo, alia in oleo prius macerando. althæam verò in mulſa ante contuſam decoquito. Inſpergendum eſt etiam vlceri caſtoreum: neque exiguus inde in totum corpus calor emanabit. Horrores enim ab vlceribus prodeuntes malefici ſunt. Perungendæ quoque ſunt nares caſtoreo cum crocino vnguento permixto: quin etiam caſtoreum trium obolorum pondere aſsiduè bibere expediet. verùm ſi ab hac potione B
gula laboret: interijcienda eſt laſerpitij radicis exhibitio ponderis tanti, quanti & caſtoreum dandum eſſe diximus: aut myrrhæ dimidio minus, quam laſerpitium. ſed omnia cum mulſa potanda præbeantur. Quòd ſi cyrenaici laſerpitij lachrymæ copia tibi fiat: hanc opus eſt melle cocto inuolutā ad erui magnitudinem deuorandam dare. ita enim optimum factu eſt, quò palatum præteriens ægrotum lateat: acris eſt enim, ructumq́ue inſuauis ac fœdè olens excitat. ſi neque hac ratione deuorari poſsit, in mulſa eliquata propinetur. Omnib enim potionibus, quæcunque calefacere, humectare, diſtentionem laxare, & neruos remollire aptæ ſunt, hæc haud C
dubiè valentior eſt. Cæterùm ſi nihil ægroti deglutiant, in anum caſtoreum cum oleo dandum eſt: hoc etiam anus cum vnguine aut melle illinendus: hoc item veſica irriganda, & cum cera liquato, vt craſsius reddatur, perungenda. Sin autem flatum ſtercuſq́ue educendi tempus adſit: purgatorij, quod Hieram, id eſt, Sacram vocant, drachmas duas cum mulſa, & oleo in ſedem inijcito. Nā præterquam quòd illa euocat: inteſtinum etiam & inferiorem ventrem calefacit ac fouet. varium nanque & calidum medicamentum hiera eſt.

De curatione Anginæ. *Cap. VII.* D

DVæ anginæ ſpecies reperiuntur, Altera cum caliditate, & magna tonſillarum inflatione, & extrorſum verſus tumefactione: quin etiam lingua, gurgulio, & omnes adiacentes particulæ in tumorem efferuntur: Altera iſtis locis collapſis, & ſubmiſsis efficitur ſed interius compreſsio maiore ſtrangulatu diſcrutiat: vt interna inflammatio ad cor vſque pertinere videatur. Huic quàm celerrimè occurrendum eſt, nam & hac celerrimè ægroti rapiuntur. Igitur ſi crapula, & ebrietas in cauſa ſunt: eodem die inferius humorem inijcito: is q; duorum generū ſit, alter vſitatus, quò ſtercora educantur: alter eiuſmodi, vt aliquas à tonſillis pectoreq; humiditates euellere poſsit. neque tamen in cæteris meracior eſto: ſed centaurij & hyſſopi decocta infundenda ſunt. hæc enim & pituitam educere ſolent. Si te- E

nuis-

A nuis autem victus præcesserit: scindere cubiti venam expediet: & latior sectio, quò maiore cum impetu, copiosiorque sanguis emanet, facienda est. Huiusmodi nanque profusio minimè quidem ad caliditatem mitigandam satis est: sed strangulatum soluere, & reliqua omnia diminuere valet. Haud ignobile quoq; adiumentum præstat, si ad animæ vsque defectum ægrum perduxeris. vsq; eò tamen, dum ne anima deficiat. quandoquidem nonnulli secta vena ab animi deliquio vita excessere. Item vinculis suprà talos & genua constringentes opitulabimur. Optima quoq; sunt vincula supra brachialia versus cubitos, & suprà cubitos versus humeros. At si deglutiẽdi via expedi-
B tissima sit: elaterium & cum mulsa, & cum sero lactis, quantũ ad purgandum hominem satis sit, præbeatur. alijs enim purgatorijs elaterium in his ægrotis præstantius est. Conferunt etiam cneorum seu thymelæa, & sinapi: siquidem hæc ambo ventrem repurgant. ad hæc verò si inflationes subsederint, linguam ad palatũ eflectens, ipsius venas rescindito. quòd si promptè multusque sanguis defluat: inter alia remedia hoc magis proderit. Irrigationes vtique locis inflammatis primum quidem adstringentes, quò retrorsum materiæ labantur, conueniunt. quam ob rem lanæ sordidæ cum æsypo vino madentes, & oleo ex immaturis oliuis expresso accipiantur. Quin etiam cata-
C plasmata irrigationibus similia sunto, exempli causa palmulæ vino madefactæ tonsæque cum rosarum folijs, quò sit autem viscidum & molle cataplasma: etiam ordei farina admisceatur: aut lini semen, & mel, & oleum: vt omnium mixtura fiat. Quòd si ad suppurationem veniat: calida admouenda sunt: quibus & in altera anginæ specie vtendum est. adesto igitur fœnigræci farina, & manna, & resina, quæ liquari possunt: & polij coma inspergatur. nec non & fomentum calidum adhibeatur spongijs decocto lauri baccarum hyssopiq; madẽtibus. Ad mouendum pus autem efficacissimum est columbinus fimus tenuiter per criseram, id est, lineum sacculum instar pulueris
D transmissus, ac super inspersus. idem & caninus eodem modo præstat. Ex mulsa verò cum lentis, aut hyssopi, aut rosarum, aut palmularum, aut simul omnium decocto collutiones fiant. Illinendũ præterea totum os est vsq; ad intimas fauces simplicibus quidem, vt hororum. aut malorum punicorum aqua maceratorum succo, aut palmularum decocto: compositis verò medicamentis, vt Diamoro, quod vocant, aut eo, quod ex Besasa, id est, ruta syluestri, & succo rhoi componitur: aut Diachelidonio, id est, ex hirundinibus confecto medicamento. Sin vlcera crustosa sint: collutiones & gargarismi fiant ex hyssopi in mulsa, aut pinguium ficorum in aqua decocto: præter hæc
E amylum percolatum in mulsa, aut in ptisanæ tragiúe cremore. Si Angina cum concidentia, quæ erat altera species, occupet: ab interioribus extrorsum omnia euocanda sunt, & humores, & caliditas, &

omnis caro, vt totum foras extumeat. Proinde calidæ irrigationes A
sunto cum ruta, & anetho: nitro insperso: Et cum his superius me-
morata cataplasmata. Proficit etiam ceratum ex nitro & sinapi ad
calorem excitandum superdare: calor autem exterior huiusmodi
vitium tollit, sed in collo tumor extuberat. Tumor autem foras in
sublime elatus à pulmonis inflammatione liberat, intus verò abditus
anginam patientibus perniciosum malum est. At quicunque strangu
lationem ab angina verentes, quò laxius spiritus duceretur, arteriam
secuerunt: non sanè experimento rem comprobasse videntur. Quip-
pe caliditas inflammationis maior ex vulnere efficitur, strangulatum
adauget, tussimque commouet, Quin etiam, si alioqui periculum id B
euaserint: vulneris oræ in vnum coalescere nequeunt: ambæ enim
cartilagineę, atque inter se inglutinabiles sunt.

De Curatione columellæ. Cap. VIII.

Vitiorũ, quotquot columellam infestant, Aliqua per successonẽ
curare necesse est: sed de eorũ chirurgia disputare ad præsen-
tem locum non attinet: Aliqua, vtpote acuta, medicamentis sananda
sunt, nam facilè strangulant, & difficultate spiritus aliqua istorũ ho-
minem perimunt. Talis est vtique, quã Vuam & quam Columnam
dicimus: vtraque enim cum inflammatione, crassitie, longitudineq; C
suboritur ita, vt in arteriam pendulę fiat. Aequabili sane crassitudine
à basi ad summum vsque palatum columna, inæquali verò vua con-
stat. huius enim ad palatũ basis gracilis est, in extremo teres et crassa,
rubẽs aut liuida. idcirco & Vuæ appellationẽ id vitium sortitum est,
Quapropter his maturè opẽ ferre decet: celerrima nanque à strangu.
latu pernicies impendet. Proinde si ęgroti iuuenes sunt, à vena cubiti
sanguis detrahendus est: vtque largius euacuetur, maiore plaga vena
aperiatur. siquidẽ huiusmodi sanguinis detractio à strangulatu, tan-
quã à laqueo, ægrotantem liberat, Subluenda quoq; aluus est mitio-
ri lotione primùm: deinde aliàs atque aliàs acriore, vsq; eò dum ali- D
quid à superioribus partibus deriuetur. Circumdentur & vincula ad-
stringẽtia ex tr emis cruribus supra malleolos & genua, necnon & hu
meris supra br achialia atq; cubitos. Quòd si strangulatio inualescat;
cucurbitula occipitio atque pectori adglutinetur. & istarum aliqua
incidatur: omniaque administrentur, quæcunq; à me in capite De
angina pręcepta sunt: cùm eadem in vtroq; vicio sit mortis ratio iis-
dẽ præterea intra os medicamentis & adstringentib. & mollientib.
& exteriori fotu, & cataplasmatis, & oris inunctionibus vtendum est
Circum columnam verò, aut circũ vuam adstrictoriũ rhoi succum,
acaciam melle aut aqua dissolutam, hypocysthida, terrá Samiá, Lem,
niamque, aut sinopicam rubricam, atque omphaciũ ponito. Si vlcero E
[illegible] gummi, & amylum rosarum aut palmularum decocto li-
quefacta

A quefacta: item ptisanæ aut tragi cremor adhibeantur. At in columnæ curatione aliquanto plus valentiorum medicaminum adijcito, quæ ex myrrha, costo, atque cypero componantur. Nam id genus acria columna tolerat. Verùm si nõnullis locus iste purulẽtus effectus est, atque palati ossa computruerunt: hi longo temporis interuallo vitam finiunt. Sed horum auxilia nobis alio loco pręcipientur.

De Curatione pestilentium in faucibus morborum. Cap. IX.

HOrum vitiorum curatio cum alijs tonsillarũ affectibus qua cõmunis est, qua propria. In inflammatione & strangulatu purgatio per clysteres, venæ sectio, irrigationes, cataplasmata, fotus, deligationes, cucurbitulæ, omnia demũ eadem, atq; in ijs, conueniunt. Illitiones autem acriorum medicamentorũ faciendæ sunt: neque enim vlcera quiescunt, neq; crustæ in superficie fiunt. Verum si ab his sanies ad interiora destillet: celerrimę partes, etiam si integræ erant, vlcerantur: celerrimeque vlcera interius depascendo serpunt, atque hominem perimunt. Porrò igne vitium adurere, iuuat, sed imprudẽtis esse id facere propter Isthmum iudico. Sed medicamentis igni similibus, quò & depastio coerceatur, et crustę decidant, vtendũ pręcipio. Ea verò sunt alumen cum melle, galla, balaustiũ arida cum mulsa. Hæc eadem calamo, aut penna, aut crasso & oblongo caule, quò medicamina ad vlcera perueniãt, inspiranda sunt. Optima sanè est & chalcitis vsta cum trita cadmia ex aceto. esto autẽ cadmia portione dupla: & rhei radix cum aliquo humore. Præterea ne vlcerum compressio fiat, cauendum est: ab ea nanque & humescunt, & magis exedunt. Hac de causa opus est pinna medicamenta arida inspergere: liquida verò liquentissima reddẽtem in gurgulionem infundere. At si crustę iam resoluuntur, & vlcera rubida fiunt: tunc conuulsionis maximè periculum subest. resiccãtur enim plerunque vlcera, & cum his nerui distenduntur. Itaque lacte cum amylo, & succo ptisanæ, aut tragi, aut lini seminis, aut fœnigręci remollire madefacereque conuenit. Quibusdam & columella vsque ad palati os exesa est: quin etiam tonsillę ad basim vsque & epiglottida: ac propter cicatricem deuorare neque solidum quicquam, neque liquidum poterant. Sed & ipsũ, quod bibebat, interdum repercussum hominem fame necauit.

De curatione Pleuritidis, seu morbi lateralis. Cap. X.

NVlla moræ atque dilationis in pleuriticis, quin protinus valẽti remedio succurramus, datur occasio. Febris enim peracuta ad perniciem properat: dolor quoq; succingentis mẽbranæ in peius vrget, nec nõ & tussis pectus caputq; concutiens vires proterit. Quo-

circa eodem potissimum die vena cædenda est. Sin autẽ ex ingurgitatione ciborum potusque ægritudo prouenerit; inedia diem vnum ægroto imperanda. pòst, sanguinem à vena mittito, quę in cauo cubiti est, non eius, qui secundum rectum in cessum inflammatis costis opponitur: præstat enim maximè procul abducere. Sanguinem verò ne vsq; ad animæ deliquium fundito: nam si refrigeratũ corpus animi destituitur; pulmoniam inuadere periculum est. Humores enim exteriori caliditate attractioneque priuati, in penitiores partes relabuntur. Item pulmo rarus, calidus, ad trahendumque valentissimus est: costis etiam proximus, earumq; doloris est particeps. Verùm morbi pulmonis pleuritidi succedentes non vsque quaque salubres sunt Pleuritis verò à pulmonis vomica exoriẽs benignior est. Quapropter cùm mediocriter sanguis effluxerit; interiecto ad recreandũ hominẽ temporis spatio, iterum detrahere opus est: si bene quidem habeat, eodẽ die, cùm longa remissio fit, sin minus, postridie. Quòd si neq; febris remittat, (sæpe enim diem vnum febris occupat, & augetur,) tertio die in secunda remissione, in qua & cibi dandi sunt, sanguinem mitte: totum hominem vberius perungens, costisque oleum molle infundens cum calido vnguine ex rutæ anethiue decocto. Ipsum verò latus admodũ leniter irrigandũ est, sed nonnullis & dolor & inflammatio erupit, vt eorum locorum affectus esse videretur: cùm tamen ad interiorum vitiorum incrementum sit. At in præsentia de alimonia, quemadmodũ & de vniuersa curatione, quò nihil in ea delinquatur; sermonẽ habeamus. in alimentis enim medicamenta ponentur: quin imo in alimẽtis medicamẽta sũt. Itaq; genere calidus humidusq; cibus esto, lenis, æquabilis, abstersorius dissolutorius: pituitam soluendi, extenuandiq; potestatem habens. Proinde cibarijs omnibus ptisana anteponatur; initio quidem, quò ipsius crassamentum solidumque reijciatur, in cremorem percoletur, soloq; cum melle condiatur. ab ipsa verò vsitata ad voluptatẽ varietatẽque parandam medicamina remoueantur: in hac enim ægritudine solus cremor satis est. Quippe humectare, calefacere, pituitam soluere & detergere. per superiora sine molestia, quæcunque euocanda sunt, euocare, facile quoque ventrem ducere sola ptisana potest. Ipsius verò lenitas blanda est & ad deuorandum habilis. ipsius etiam lentor caliditates mitigat, membranas mundat, tusses cõcoquit, omnia emollit tales ordei virtutes sunt. Halica verò secundũ gradum occupat: quæ cùm pauca quædam cum ptisana communia possideat, ob ea probatur, optimaque cẽsetur. Lentor enim, lenitas, suauitasque in deuorando vtrique communia sunt: in cæteris omnib. halicam ptisana antecellit: sed ea quoque simplex cum melle solo conficiatur. Tragi pręterea boni sunt. Deterior ipsis oryza est: quoniam siccat & exasperat: potiusq; costarum purgationem supprimit, quàm facilem reddit. Optimus quoq; est

A

B

C

D

E

A est panis aridus, contusus, per subcerniculum transmissus, bene tẽperatus, concoctu facilis: cum mulsa, quantum satis est, alimenti prębet. Nempè si iamdiu morbus producitur, cum dictisque cibarijs homo labare cœpit: ptisana ex ordeo præbeatur bene trita, bene cocta: condiatur verò anetho, sale & oleo tenui, puro, non viscido, non exasperante. At non multum olei cum ptisana coquere præstat. nam & sorbitionem pinguem reddit, & prauitatem oleum deponit: longa enim decoctione in cremorem ordei absorptum amplius non apparet. Item porrum cum sua coma, & amygdala amara cum cremore incoquantur. Ita nanque ferculum ad spirationem expediendam cõ-
B modum medicamentosumque ab his efficitur. Porri autem cum cremore comesti vtilitatem iuxta delectationemq; summam afferunt. Iam verò et ouorum bonum succum creantiũ opportunitas adest. ac si humida copiosaque per os materia feratur: sulfur ignem non expertum nitrumq; in oua inspergito. Sed mirificè prosunt oua nuper à gallina edita ex igne, igne carentia: quippe à matre caliditas in est igne quidem humidior, sed ægrotanti familiarior, vtpote animal ab animali. Sin autem pituita glutinosa ac tenax sit, in oua oleum infundito, ac resinam siccam pineam, quò sulfur melius reddatur, inspergito: nec non & terebinthi resinam eliquato. Piper præterea in
C ouis, in ptisana, in omnibus epulis, & quæcunque piperi similia sunt benè proficiunt, Inter carnes extremi pedes in cremoribus eliquati, columbæ, gallinæ elixæ, porcorum cerebra cum omento quidem tosta, sine illo vero nidore vacantia. Si inter spirandum æger strepitum non reddit; dandi sunt etiam marini pisces aut saxatiles quicquid optimum regio ferat. Verum ut neque cupiditate delinquat, neque victus tenuitate contabescat, ex fructibus malum concedito in aqua, aut mulsa elixum, aut cum adipe assatum: sed coriũ & interiora aspera cum seminibus abijciantur, Tempore quoque illo, quod Horam græci nominant, fici, & alij id genus fructus conce
D dantur, quatenus scilicet innoxij sunt, quin potius adiumentum præstant. Hæc sanè de alimentis abundè sint. Lateri autem lanæ superdẽtur sulfure fumigatæ vnguine delibutæ, in quo anetũ rutaúe incocta sit. Iugiter his latus madefaciendum, cataplasmatisque ante cibi assumptionem tegendum est. præter vsitata cataplasmata fertulam in mulsa elixam accipito, cui papaueris carnem incoctam commisceto, mannę quoque puluisculum inspergito. At si humidius sputum copiosumque reijcitur, lolij farina, aut irionis commiscenda est: & nitrum inspergendum. Cæterum si morbus productior sit, dolor est pertinax, & humida sit expurgatio, tunc puru-
E lentum hominem fore speratur: itaque sinapi & cachrys cataplasmatis admiscenda sunt. Sed si penitiores locos ægroti frigidos esse persentiunt: acetum affundito: illud autem efficere operæ precium est,

vt cataplasmatum calor diu efficax permaneat. melior est enim id genus caliditas, quã cataplasmatum innouatio. Proinde calefactiones in sacculis ex huiusmodi, vt pote ex milio fiant, aut ex calenti oleo in vesica incluso. Omnis verò fotus machinatio, ne pondera dolori dolorem adijciant, leuis esto. his enim leuibus & assumpto cibo, cum dolor infestat, vti nihil prohibet. Iam verò post hæc etiam ad mouendæ cucurbitulæ occasio adest: Sed hoc post septimum diem facere optimum fuerit: ante ne festines. haud enim placidi morbi sunt quicunque ante septimum cucurbitam requirunt. esto autem magna, omni ex parte lata, dolentem locum ambire valens. quippè cùm haud interius descendat dolor, sed in latitudinem diffusus sit. B
At flamma sub cucurbita multa esto: quò non solum attrahat, verum etiam ante ignis extinctionem calefaciat. Extincto igne scarificandum est, tantumque sanguinis, quantum vires permittunt, detrahendũ. multò verò plus esto, quã si alia de causa de præcordijs sanguinem haurires. nam maximè perspicuum est, quod in lateris morbo vexatis à cucurbita percipitur adiumentum. Sal quidem, aut nitrum in scarificationibus mordacia sunt ac dolorifica, sed salutaria. Quapropter considerandæ sunt hominis vires & ingenium: nam si forti animo ac tolerans sit: sal inspergendus est, non ipsis vulneribus ita, vt ipsa contingat: sed super linteolum oleo madidum inspergatur. C id verò super locum scarificatum extendito: humiditates enim ex salis colliquatione manantes minus, quàm sal, mordaces sũt Sed multo oleo perfundendum linteolum est, quò huius lenitate morsionis dolor retundatur. Secundo die autem cucurbitam affigere mirificè iuuat: vt ex vulneribus tenuis quædam sanies extrahatur. id verò priore cucurbita multo est efficacius, multoque magis vires conseruat, neque enim sanguis, aut alimentum, sed sanies emanat. Atque id quidem facito, cùm prius vires exquisitè perpenderis. Die tertio ceratum cum cyprino oleo & rutaceo imponito. Quòd si vlterius purgatione sputa indigeant: in ceratis resinam eliquato aut sulfur ignem non expertum admisceto: atque iterum fotum loco adhibeto. D Porrò modus cucurbitæ talis esto fictile vas habendum est, leue, lateri congruens, latum: aut æneum. Id pronum in labra dolentibus locis circumponito: flammam verò multam cum oleo subiicito, quò viuens flamma in longum tempus sufficiat. Vasculi autem oras carni ne imprimito, sed ad difflationem transitus aliquis esto quò minus suffocata flamma extinguatur. diutius verò illam accendere licet. nam intra vas illud inclusa caliditas optimum fomentum est, & bona sudoris prouocatio. Neq; verò medelam inferioribus partibus adhibendam negligere oportet: viris quidem in anum rutaceũ E oleum, mulieribus autẽ & in vterum infundendum est. Perpetuò sanè quę bibuntur, ac deuorantur, sunto mulsa cum ruta & succo ptisanæ,

A næ, si continenter tussit: vt in alimento medicamentum sit. Verùm si nondum alimenti prębendi tempus adsit, aliquod compositũ, quod Picerium Græci dicunt, accipiatur ex varijs constans, cum melle ad consistentiam decoctum. Globulos autem fabæ magnitudinem ęquantes, turbinatosque dare oportet sub lingua continendos, huc atque illuc iactandos: vt non deuorabile, sed eliquabile sit. Suaue quoq; est id, quod ex papauere cum melle ac sertula campana medicamen conficitur lene, atque somniferum. Hæc vtique & ante cibi assumptionem, & assumpto cibo, & post somnum ipsum præbenda sunt: sed ieiuno medicamentosa exhibeantur: Quale est, quod hæc

B accipit, vrticæ, lini seminis, amyli, nucis pineæ, cuiusque contriti cyathum, amygdala amara numero vigintiquinque, totidem & piperis grana. oportet autem hæc torrere, ac trita cum melle ad eclegmatis temperaturam permiscere. horum detur mystilla vna, si liquida crudaq; excreat, myrrhę pondo drachmas duas, croci pōdo drachmam vnam, piperis grana quindecim, cum mellis pondo libra subigito. id sanè medicamentum & ante cibi acceptionem mystillæ dimidiatæ mensura dari debet. bene facit in longo lateris morbo, quando & oxymel dare conuenit, si spirandi vrgeat difficultas. Frigidam verò aquam quicunque medici pleuriticis concesserunt, neq; qua ra-

C tione id fecerint, assequi valeo, neque experimento confirmare, quippe si qui à frigida periculum euitarunt, hi profectò mihi non laborare pleuritide visi sunt. Verùm apud vetustiores etiam medicos species quædam concursus pleuritis, seu Lateralis morbus vocabatur: cùm bilis esset excretio cum dolore lateris, & exigua febre, vel etiam sine febre. Huiusmodi sanè affectus nomen quidem pleuritidis, rem verò non obtinet. Quinetiam spiritus nonnunquam in latere conclusus sitim, dolorem, prauum, mollemque caliditatem excitat: id quoque vitium ignari homines Pleuritim nuncuparunt. His nempè frigida aqua remedio esse poterit, cùm prospera vtentis fortuna ex

D tincta sitis erit, bilis ac spiritus per inferiora subducetur, & dolor & caliditas exhalabunt. Verũ in lateris inflammatione & succingentis membranę tumore nonsolum frigida aqua, sed etiã frigida respiratio noxia est, Itaq; si ex prius tradita medendi ratione incolumes euadunt pleuritici, paulum tamen adhuc tussiunt, & caliditas subinde repetit, atq; infestat, ad hæc penitus discutienda maturandum est. aut enim quæ relinquuntur, recidiuas faciunt, aut ad suppurationem conuertuntur.

ARETAEI CAPPADOCIS
DE ACVTIS MORBIS CVRANDIS,

Liber Sextus.

IVNIO PAVLO CRASSO PATAVINO INTERPRETE.

In hoc libro continentur.

Curatio Pulmonariæ. Cap. I.

PEracutum lethaleq; malum eſt inflammatio tumorque pulmonis: quas ſtrangulatus breuis conſequitur. Igitur æquis reſiſtentia viribus, matureq; ferenda ſubſidia ſũt. protinus in cubito venæ aperiantur, ſiue vtraque in dextra videlicet, ac leua manu, idque potius: ſiue vna tantum, & ea maior. quò ab vtraque pulmonis regione humiditatum reuulſio, non tamen vſq; ad animi deliquiũ fiat: ſtrangulatum enim D animi deliquium auget. Cæterùm ſi vel paulum reſpirauerit: tunc ſupprimendus ſanguis eſt, ac denuò poſtea mittendus. nam ſi à ſanguine morbi cauſæ prouenerint: eas venæ ſectio tollit. Atqui ſeu pituita, ſeu ſpuma, ſeu quæuis alia humiditas tumefaciat: venarum inanitiones ampliorem pulmonis locum ad reſpirationis tranſitum efficiunt. opus eſt autem etiam humores & flatus poſt venæ ſectionem deorſum verſus trahere, nitro, melle, ruta, reſina terebinthi liquida ſedẽ oblinẽdo. ſed miſsionis ſanguinis loco, ſi quod maius impedimẽtum ſit, acrem ſuccum per clyſterem in ſedem immitto: vt puta, ſalem cum nitro, aut terebinthi reſinam cum melle. Ruta quoque in E oleo, & hyſſopum in aqua decocta: Item cucurbitæ ſyluaticæ carnes interiores in aqua excoctæ conueniunt, Præterea inanes cucurbitulæ

A bitulę egregiè faciunt, si tergo, dorso præcordijsq; vbiq; adhibeantur. quod sicubi pectus carnulentum sit, quò minus circùm ossa cutim cucurbitula incumbens affligat, ibi eam affigito. nam si ad quancunque partem corporis humores distrahantur, & spiritus ad extima euocetur, quibus pulmo opprimitur: aliquod mali solamen inuenias. omni enim ex parte Pulmonaria obsidenda impugnandaque est. Verùm neque vllum ex his medicamentis, quæ ore sumpta conducunt, despiciendum est. quippe ea est natura pulmonis, vt siue rectè valeat, siue ægrotet: ad se humores alliciat. Quocircà eiusmodi medicamenta præbeantur, quæ humores ad transpirandum attenuent, B lubricos fluxilesque ad extrudendum efficiant. Propinetur quidem celeriter iuuandi causa nitrum cum hyssopi decocto, aut muria cum aceto & melle, aut sinapi humidum cum mulsa. singulis autem iridis radicem & piper inspergere auso benè cedit. item hæc arida cribrato, & cum melle exhibeto. Quòd si interdiu insomnes sint, & noctem quoque totam peruigilent, ne hominem furor corripiat, metus est: varijsque somnificis medicamentis, nisi ægritudo remittat, vti decet: quo medicamenta in tempore data morbi acerbitatem leniant & obtundant, multa verò soporifera sunt. At si in strangulationis impetu, iamque aduentante interitu medicamen præbeas: apud tuos C contribules mortis eius autor appellaberis. Alimenta pariter eiusmodi esse debent, acria videlicet, tenuia, crassitudinem dissipantia, extergendique facultatem habentia: Inter olera porrum, aut cornicis pes, aut vrtica, aut brassica in aceto incocta. Inter frumentacea verò ptisanæ cremor parum origani, aut hyssopi, nec non piperis sed plus nitri loco salis accipiens. Alica præterea mulsæ incocta prodest. Omniaque per elixationem flatum abijciant: flatus enim vomica pulmonis laborantibus infesti sunt. Vinum, si febre vacant, quod haud ita multũ adstringat, potui detur: quippe densat corpora adstrictio: Istis verò membra potius laxanda sunt, sputique eductioni magno- D pere studendum. Sed in totum potus modicus esto, cùm pulmoni madefactio inimica sit: quoniam à gula atque ventriculo trahit. Thorax autem lanis oleo imbutis cum nitro, aut sale contegatur. Optima inunctio est ea, quæ ex adarce fit. Sinapi etiam aridum, & cũ cerato humido prodest. Atque in sũma & humores & calor, & spiritus forâs educendi sunt. Huic rei opitulantur acrium olfactus atq; illitio, & extremorum deligatio. Hæc facienti nisi morbus cedat, de hominis salute actum est.

De sanguinis Reiectionis curatione. *Cap. II.*

E OMnes sanguinis effusiones haud mite vitium sunt, non modi solũ ratione, vt si per fracturam, aut erosionem, verum etiam si per rarefactionem effunditur. neque si ex pectore, aut pulmonibus

aut stomacho, aut iecore fertur, periculosum est, è capite verò si defluit, minorem noxam affert: sanguinis enim exitus est: sanguis autē omnium est alimentum, omnium calor, omnium color. terroremq; incutit, sanguinem ab ore vtcunq; manantem intueri. malumq; est, si à primario viscere: peius verò si ob fracturā, aut erosionem profunditur. Huius itaque vitij medicus ad opem ferendā maturet, necesse est. Inprimis quidem aerem frigidiorem ad respirationem deligito, conclaue non titubans, cubile firmum, quò nullam in partem quatiatur, inhabitet: cōcussiones enim malum exasperant, stratum solidum haud multū cedens, neque profundum, neque calidum esto. positus figuraúe corporis erecta sit. ne sermocinētur, neúe sermones audiant. animi absit perturbatio, sed contra oblectamentis leniatur: siquidem id genus ægrotos magna animi consternatio corripit. quis enim vomens sanguinem mortem instantem non perhorrescat? Igitur si sanguine referti sunt, & venas prominentes habent, in qualibet sāguinis profusione venam pertundito. nam siue ex fractura, siue ex erosione profluit, sectio venæ conducit, Sin rarefactio in causa est: ne multitudo venam effringat, metuendum. cædenda est autem caua in cubito vena. Etenim ex hac facilè sāguis effluit, & ipsa sectioni exposita est vtque per plures dies sanguis innoxiè decurrat commodè aperta seruatur, in omnibus autem omnium (vt ita dicam,) pręcipuorum viscerum hęc est sanguinis via. vena vtiq; hac superior, nec non & hęc vnius in brachio venę ambę propagines sunt. quare nihilo plus superior quā media emolumenti affert. nā propaginum ignari sunt, quotquot, stomacho & iecori superiorū venam copularunt. Sin à liene sanguis fertur: sinistræ manus venā illam, quæ inter minimum annularemque digitum sita est, rescindito: quandoquidem medicorum nonnulli eam ad lienē vsque pertinere arbritrantur. verùm & hæc ipsa inter cubiti venas inferioris propago est. cur itaque potius eā quis propè digitos, quàm in cubiti curuatura proscindat. cum hoc in loco amplior sit, & ad effluxum habilior? Prorsus quidem ante animæ defectum sanguis cohibēdus est, atq; haud ita multus auferendus: nam & ipsa cruoris per os effusio satis hominem labefactare potest. assiduè verò post paucum detractum sanguinem iterum detrahito & eodem die & postridie, nec nō & perēdie. At si ęgrotus tenuis, & inops sanguinis sit, venam ne scindito, hæc de sanguinis missione abundè sint. Succurrendum est etiam extremorum deligaturis, pedum quidem supra malleolos & genua, manuum verò supra brachiale & cubitum. fascia ipsa lata sit, quò sit validior, neq; dolorē moueat constrictio, Nēpè locis, vnde sanguis erūpit, lanas ouiū succidas imponito, & humore perfundito, vtpote austero vino, & roseo aut myrtino oleo. Si cruoris effluuium vrget: lanarum vice spongię admouendæ sunt, & pro vino acetum infundito, locumque myrtino subungito. In omnibus autem

spon-

A spongiis acaciæ, aut hypocysthidis, aut etiam aloes, succi aridi sint. optimè facit & omphacium aceto liquatum. Quòd si irrigatio sordida sit, ægreque feratur: emplastris vti conueniet: cutim enim circumtendunt, ac veluti manu corripiunt, quin etiam ipsorum facultates refrigerare, exiccareque magnopere valent. Infinitæ verò aliç aliis experimento cognitç vires insunt: sed optima emplastra ac tutiora sunt, quęcunq; acetum habent, & salicis foliorum succum, nec non & bitumē, & æruginem, & alumen, & thus, & myrrhā, & æs vstū & æris squāmā atque in summa quæcunque huiusmodi emplastra sunt, emplastris sordidæ lanæ, aut spongiæ pauco aceto perfusę superdentur. Sin em-
B plastrorum distentionem ferre nequeunt, id genus epithema facito, Palmulæ pingues nigro vino austero maceratæ ad mazæ, id est, placentæ crassitudinem conteruntor: postea acacia trita, & malicoria insperguntor, hæc omnia panniculo trito ac veteri illita pectori inducuntor. Item polentam vino aut aceto perfusam, nec non lentis farinam tenuem per incerniculum transmissam cerato ex vnguento roseo facto excipiens imponito: cum quo & symphyti radicem tusam & cribratam admisceto. Aliud epithema hæc recipit, Prunorum Damascenorum, quæ Brabyla Græci vocant, agrestium radices in aceto incoquito, ad speciem placentæ contundito, ac rhoi, commis, myr-
C ti paulum misceto. ex his vtique alia alijs, prout medicaminum efficacia, lenitate, odore opus est, miscenda sunt: siquidem & æ[illegible]ntibus gratificari decet. Hæc nimirum exterius applicanda remedia sūto. At his præsentior medela in potionibus deuorandisque consistit, vt proxima vulneratis partibus medicamina sint. Porrò triplex istorum forma est, vt vel fluctionis ductus ligent, cogendo vascula & cōprimendo: vel defluentē humorē crassum compactumque efficiant: quò licet transitus pateant, ne destillet: vel exiccent incursus in sede antiqua sanguinē retinentes: vt ne effluuio loci exhausti ita permaneant, exundatioque ibi fit, quò facta est effusio. In venarum quidem
D rarefactione astrictio satis est. Ipsi namq; ceu situla noua imbecilla in rarefactionibns perfluunt. Diuisionibus verò, vt labia committantur, adstrictio quoque medetur; sed maioribus valentioribusque medicamentis vtendum. Verùm enimverò si sit erosionis modus, neque per adstringentia vlceris oræ cogantur, sed vulnus dehiscat, neque ex compressione in vnum redire valeat: sanguinem atque calorem congelare necesse est. nam istorū immobilitate concretioneq; profluuiū coercetur. Posca igitur rarefactis ad stringēdū satis est: neq; enim sanguis effluens purus est, sed ipsius sanies p. ostiola parua dilabitur. atq; huiusmodi posca neq; adeo multa, neq; frequenter egemus.
E Nonnullis & exterius ad mota remedia abundè fuerunt. Quin etiā palmularum, aut siliquarum esculentarum decoctū potui datū solùm quosdam liberauit. esto autem acetum ex vini adstringentis genere,

O

quòd si non medicatione, tempore saltem acre adstringensque euase- A rit. Verùm in vulnerum dilatationibus præter poscam medicamenta primum simplicia adhibeantur, vt plantaginis aut sanguinalis herbæ, aut seridis succus singulorum portiones aquę, cum posca: quòd si adhuc plus effluat, hypocysthidis, aut acaciæ siccorum cuiusque pondo drachmam in tres poscę cyathos inspergito. optimè verò facit & vuæ acerbæ succus. At si calamitas hæc semper in peius irritetur: gallam tritam, & rubi radicem arefactam, & lapidem ex mari Coralliũ quod vocant, aridum tusumque conspergito. verùm rhei radix ad refrigerandum, siccandum, adstringendum, omniaque facienda his efficacior est. sed hæc quoque cum posca sola præbetur. Sin auxilia ma- B iora requiruntur: radicis huius pondo tres obolos seridis atq; plantaginis succis, qui trium aut quatuor cyathorum mensuram compleant inijcito. In erosionibus autem prorsus astringentia adhibere tenta: quò dilabentem sanguinem concretum, compactumque reddas, & suscipientia membra constringas: vt procul vulnere venæ concidant, & occludantur. quin etiam quæ bibuntur tenacia sunto, concretionem efficere valentia. Succum igitur coriandri ex aceto propinato: item & leporis, ant inuli, aut hœdi coagulum. Sed multum ne concedito: nam istorum aliquod nonnunquam plus, quàm cõuenit, datum hominem iugulauit. coriandri quidem succi ne minus semi- C cyatho cum tribus poscæ cyathis præbeatur: coaguli verò tres oboli summum quatuor. Ad hæc huiusmodi fluoris sanguinei speciebus & terra Samia efficaciter subuenit, & eretrias, & aster quæ vocatur, valde candida. & rubrica sinopica, & sigillum lemnium. Istorum pond⁹ minimum drachma, maximum drachmæ tres cum decocto aliquo præbeatur: vt palmularum, aut siliquarum edulium, aut rubi radicũ. Sin arteria exasperatur, proptereaque tussiunt: in cretica sapa id genus terræ inspergantur. egregiè ad arteriam leniendam & amylum facit. id genus humoribus profusum, nam cum læuore & glutinandi potestatem habet. Si profusio sanguinis vrget: semel in die ante cibi D assumptionem dandum est: sin minus & secundo & tertio sub vesperam. Ex medicamentis quoque siccis catapotia fieri possunt ex melle ad consistentiam decocto: qualis est galla trita. optimus est etiã rhous, quo in obsonijs vtimur, vinacea, acuti rumicis semen, per se singula & simul omnia. Hæc vtique & sub lingua ad perpetuam eliquationem habenda sunt. Gummi etiam cum planta & porrum, & spinę lachryma prosunt. Variorum sanè medicamentorum infinita est experientia, varij etiam vsus: vt pastilli ex Aegyptia spina, & pastilli ex Electro, & eius, qui Croceus appellatur, quorum apparatus proprio loco expositus est. Porrò cum febris abest: omnia in medicamentis E audẽda sunt, & multa & multoties exhibenda. Si febre accedẽte vexãtur (plerunque autem corporum inflammationibus febres superueniunt) neque affatim eruptio supprimenda est, neq; in accessionibus medicamen-

A medicamenta potui danda: quoniam multi celerius febre, quàm sanguinis effusione cõsumuntur. Alimenta varia sunto, specieque medicamentis similia, quin etiam in cibis medicamenta reperiuntur. neq; enim in vno duntaxat cibo omnia alimenti bona inuenire facilè est. Atqui si non vnus cibus ad medicationẽ sufficit, non vno propterea vti ob satietatem facilè est: sed per varia eundum. iam enim diuturna valetudo facta est. Itaque astringentia sint alimenta, & facultate refrigerantia, & ad tactum quoque frigida esse debent. calor enim sanguinem prolicit. Alica lota, oryza in posca: sin acetum tussim exasperat, palmularum decoctum: panis assus, præaridus, contusus, atq; B in farinæ speciem redactus & cribratus: atque ex his omnibus cum oleo sorbitio fiat. item thymbra sale condita, & rhous cibis aspergatur. Quòd si aliqua in re ægrotanti morẽ gerere placeat: coriandrum, si gratum sit, delectationis causa concedito: aut aliquod ex seminibus vrinam mouentibus, facilemque spirationem reddentibus. lens vtique, si profluuium sanguinis vrgeat, cum plantaginis succo præbeatur: si non vrgeat, à succo abstineto: quippe qui nec concoctu facilis, neque gustatui iucundus est. istis verò minimè omnium ægrè concoctilia danda sunt, At si ob sanguinis effusionem mortem instare vereris, tunc iniucunda concoctu difficilia, quin etiam immania sint C licet ea, quæ salutem afferunt: propterea galla arida trita lenti siccæ & frigidæ aspergatur: oua coquendo crassiora effecta cum mali punici corio, aut galla exhibeto. tale vtique necessariò in medicamine alimentum est. Potus omnino parcissimus esto: nam sicco victui humor inutilis est. Hæc nimirũ adhibenda sunt, si astringere ac refrigerare statueris: si verò sanguinem ac spiritum crassiorem efficere, lac, amylum, & alica prosunt: modo cum amylo, modo cum alica lac misceto. horum temperatura, vt ne sit liquida sorbitio, ad concretionem perueniat. Cæterùm si adhuc magis crassare adstringereque cupias: alicam cum palmulis decoquito. ad spissandum autem amy-D lum lacque optima fuerint, &* far tyrrhenum cum lacte: crassum cùm sit, viscidum & glutinosum. Hœdi verò coagulum in decocta liquida causa concretionis affundito, sicut in lac quoque, vt ad recentis casei temperaturam deueniat: his crassius est milium, vt far, in lacte decoctum. inspergantur autem galla & malicorium. Verùm exiccantium aut crassantium mediocritates coniectura assequi oportet: id genus nanq; tussim mouent. Siccitatis quoque excellentia nonnullis & venas lacerauit, Si bene cedi curatio, sanguisque compescitur: in contraria paulatim adijcien do fiat mutatio: atq; (vt dici solet) nequid nimis. huiusmodi enim vitia facilè reuerti solet, ac maligno ingenio prę E dita sunt. Iam verò hominem instaurare, carneque replere. & nouas cicatrices solidare necesse est gestationibus, mollibus frictionibus deambulationib. animi oblectamentis, cibis varijs atq; vsitatis. Hęc vtiq;

*ζεα

ficienda sunt, si à sanguinis exitu vulnus coaluit, & congruenter locus sanatus est sin vlcus relinquitur, purulentumque fit: altera deliberatione opus est. siquidem & iterum profusio sanguinis redit. verum de hoc affectu in sermone De diuturnis morbis disputabimus. A

De curatione Cardiacorum, aut Syncopæ. Cap. III.

IN syncopa medicum prouidentiæ sedulò nauare operam necesse est: futuram enim si prospexeris, & præsentia tibi festinanter opem ferent, & ipsam antè quàm inuadat, propulsabis, præsentem verò nō facilé euadunt ægrotantes. Solutionem nanque naturæ Syncopam esse diximus. Instaurabilis autem non est dissoluta natura. Hanc igitur maximè quidem futuram arcere, sin minus, saltem nuper incipiēti resistere debemus, præscienda verò ea sunt, quæ de acutis morbis disseruimus, quando & causas, & signa explicauimus, Nam febris ardens initium est: febrem ardentem signa pessima consequuntur, ariditas, vigilia, caliditas viscerum, qualis ab igne prouenit, extimæ partes frigent: manus pedesq; extremi frigidissimi sunt: respiratio in attrahendo longa est. siquidem frigidi aeris, quoniam ignem expirant, auidi sunt: arteriæ motibus exiguis, creberrimis. tremulisque agitantur. Ab his itaq; sumpta coniectura & ab alijs, quotquot à me inter signa comprehensa sunt, ipsi ab initio syncopæ occurrendum est. Quapropter nisi hæc omnia impediant, habitus, ætas, anni tempus, hominis timiditas, vena cædenda est. Quòd si multa prohibeant, quę numerum insignem, & magni faciendum constituant, vtpote lingua aspera & sicca & nigra, (omnia enim interiora signa noscuntur) in omnibus facultas perpēdenda est: nisi prius morbo, doloribus, inedia labefactata sit: siquidem non defectu tantùm verùm etiā strangulatu prosternitur. At vbi præ multitudine synopa fiet, & inflammatio aliqua insignis in pręcordijs, aut iecinore appareat: nequaquam procrastinare expedit. Secanda est igitur vena caua in cubito: per minutas sectiones, idest scarificationem, etiam sanguis detrahēdus est quò facultas haud ita insignem iacturam faciat: copiosum enim ac subitum naturam vitiat. quum etiam multo minus sāguinis quàm in alijs occasionibus, hauriendum est: nam in syncopa si vel minimum erroris committitur, ad interitum ducit. Protinus igitur ad vires instaurandas alimentum dare conuenit. Natura enim priorum repulsa, & nouorum adiectione lætatur. Vtiq; si missionem sanguinis facultas nō sustinet, inflammationesque infestant, cucurbitula tunc multo ante morbi iudicationē ei admouēda est, In iudicatorijs enim diebus syncopa incidere solet: in ijsdem verò circuitibus & naturæ iudicant, & morbi interimunt. Si vini potandi necesśitas homini incidit, diligenti consideratione opus est: neq; enim vsque adeò tuta est inflammationibus vini potio. siquidem vini potio inflammatione laborantibus dolores B C D E

A dolores auget, inflammatione vacantibus naturæ incrementum affert: sed antè quàm semel, aut iterum cucurbitulam affixisti, & ad mẽbra relaxanda, & ad sanguinis facilem exitũ vtilis est, nõnullis & post cucurbitulæ secundã affixionem benefecit. Hoc verò in casu & parsimonia vtendum est. nam & in cucurbitulæ vsu nimiæ sanguinis effusionis idem periculum adimus: euacuationibus autem per clysterem duntaxat ad inueterata stercora eijcienda opus est: sed facultatis rationem habeto. Capitis irrigationes frigidæ, quotquot mihi in sermone de phrenitide relatæ sunt, paulum mediocritatem excedentes adhibeantur. Aer mundus, ad inspirandumque frigidior deligen-
B dus: Visus plantarum, picturæ, aquarumque aspectu oblectandus: & hæc omnia iucundè suauiterque intuenda. amicorum præsentium locutiones sint ioculares atq; ridiculæ. Summa sit in ægrotantis corpore quies, in animo hilaritas. odoramenta suauia, quæ capitis sensum non grauent, adhibenda. quin etiam grati odoris alimenta naribus offerantur, qualis polenta est aqua aut aceto respersa, aut panis calidus recentissimè coctus. Nempè vino haud copiosè os colluatur, neque prorsus denegetur. Potum frequẽtiorem, quam alijs. & magis assiduè his concedito. Esca per totum diem sit leuis, concoctilis, plerunque triticia, nec non ægrotanti iucunda, licet paulo deterior: istis
C enim magis, quàm alijs gratificandum est: quãdoquidem haud minimè ad stomachi resolutionem id morbi genus aptum est. Inedia verò aut fames nequaquam prodest: satis enim morbus ipse omnia consumere, & exhaurire potest. Porrò cũm iam circuitus ad iudicationem peruenit, humiditas verò iugulum frontemque irrorat, extrema algent, arteriarum pulsatus minimus est, frequentissimus veluti repẽs, ac tenore debilis, tum paulum quid alimenti triticei sumendum, vinũq; euidenter degustandum est. Sed caput irrigationibus pręmunire oportet, pariter & vesicam. Hęc verò auxilia in tractatu De phrenitide à nobis memorata sunt. Vinum vtique non pleno ore, neque
D ad saturitatem vsque ingurgitandum est. Aliqui sanè importunè repleti, postea in appetentia, atque cibi potusque accipiendi impotentia vita excessere: multis autem satis largè vescentibus, natura iam resoluta ad mortem euitandam alimentorum copia nihil profuit: in ventriculum quidem cibis delabentibus, sed ad recreandas vires à ventre non ascendentibus. Alimenta sanè varia sint oportet, plerunque triticea, quo sorberi potius, quàm mandi apta sint. si solida sunt lubrica, saltem efficiantur. Oua neque valde concreta, neque torrefacta sint, sed omnino soliditatis expertia. Panis buccellæ vino madentes & calefactæ duæ tresue initio præbeantur. Post autem omnia
E frigida ministrentur, nisi forsan interius phlegmonæ delitescant. Vinum odoratum, haud ita multum adstringens, quàm minime crassũ deligatur, ex Græcis Chium, aut Lesbium, & quotquot alia insulana

tenuis sunt temperaturæ: ex Italicis autem Surrentinum, aut Fundanum, aut Falernum, aut Signinum, nisi vehementer adstringat. atque ex his omnibus illud vitandum est, quod peruetustum, aut valde nouum sit. Nempè detur primo calidum non minus cyathis quatuor ante iudicationem, neque plus cotyla, siue hemina, quamuis bibax homo sit. deinceps cibo exhibito, si inflammatio permiserit, iterum frigidum vinum, quod siti medeatur, propinandum. At si necessitas vrgeat: vino non solo, sed cum cibo vtendum est, verùm ne mentem vinum lædat, cibus ante sumendus est: & post hæc abstinendum. Si post aliquod temporis interuallum dormire velit, quies concedenda est. Verùm si multus sudor emanet, arteriæ iam micare desinant, vox acutior reddatur, & pectus calore destituatur: vini quantum potare possit, concedendum. in solo enim vino refrigeratis spes vitæ posita est. Vinum itaque sit vsitatum, & modo id ægrotus tantum bibat, modò cibum cum vino assumat. id autem per interualla fiat ad tollēdam lassitudinem, quæ tum ex morbo, tum ex cibo prouenit. nā qui exiguas vires habent, & assumendo cibum valdè laborant. Igitur & ipsum decet forti esse bonoque animo, & medicum suaui oratione eum ad bonam spem cohortari, varioque alimento & vino opitulari: necnō & alia efficaci medela vti opus est & ad sudores coercendos, & ad vires instaurandas, vt penè extinctæ reuiuiscant. Quapropter pectoris sinistræ mammæ palmulæ in vino maceratæ cum aloe & mastiche superdentur: ceratum verò cum nardo factum ista excipiat quòd si istud durum siccumque fiat: aliud epithema imponendum: mala cotonea extracto semine, & quicquid durum est, contusa polentæ odoratæ admisceto: postmodum absinthij & myrti comam, acaciam quoque & mannam cribratas permisceto: simulque omnia subacta œnantino cereto excipito. Si per hæc sudor non supprimatur, vuæ acerbæ succus miscellæ addendus est, succus igitur iste, quē Græci omphacion vocant, cum maximè acerbus est, & acacia, & gummi, & rhous esculentus, & alumen, & palmulæ, & rosarum succus benè olens simul omnia cùm nardo & labrúsca ex oleo pectori superponātur. huiusmodi nanque epithema iuxta refrigerat & adstringit. Decumbat verò æger in aere frigido, aut & ad vrsam domus vergat. at si & frigida boreæ aura afflabit, malè spirantem animum excitabit. Moretur autem & propè virentia prata, fontesque, & obstrepentes riuos: nam & ab his emanans bonus halitus, & mentis delectatio, animam fouet, & naturam suscitat, vitæque restituit: quin etiam cibi potionisque desiderium lacessit. Cæterùm si quis ob inopiam hæc assequi nequeat: imitari oportet & auram frigidam ramorum benè olentium voluptarijs flabellis. & tempus vernum folijs ac floribus præsentibus humum sternentes. Operimentum quoque leue sit & obsoletum: vt aerem quidem accipiat, calorem autem pectoris exhalare

A exhalare permittat. optimum verò est vetus linteum. Ceruices quidem & iugula & pectus polenta conspergito: vt odoris suauitate nutriat, siccitate coerceat. item & polline quidem corporis raras partes contegito: nec non & faciem terra Samea lineo sacculo cribrata, & raro linteolo inclusa respergito, vt minutissimus puluis in frontem & malas excutiatur. calx præterea extincta, & gypsum exustum per lineum paruum sacculum, quem Græci Criseram vocant, transmissa sudore madentibus inijciantur. Compressit sudores nonnunquam & spongia ex frigida faciei admota: dilabentes enim humore coguntur, & cutis raritas conspissatur. Prodest etiam sedem inungere: vt frigidus flatus, & ab alimento exortus effundatur. Item reuo-
B candus excitandusq; est extremorum calor illitu gleucini olei, aut sicyonij, quod ex agresti cucumere efficitur, cum pipere, castorio nitro, & cachry: modicũ ceræ in eis eliquando, vt inunctio membris inhærescat. Illitio quoque ex adarce (limnestida vocant) euphorbio & lauri bacca calorẽ exuscitat: pariter & bulbi crudi, illi inquã, qui exigui & rubri sunt, cum pipere & aceti fæce læuigata valentissimum pedibus cataplasma imponitur: sed intra horæ spatium illud frequentissimè auferendum est. instat enim periculum vlceris & vesicarum. Porrò ab his spes affulget, ita ægrotantẽ perniciem euasurum. Quòd
C si omnia secundum rationem medicus præstet, recteque omnia cedant: cum syncopa si inflammationes quoque adsint, discutiuntur: sudor nusquam effluit: calor in quamlibet corporis partem ad extremos vsque pedes, & summas nares diffusus reuiuiscit: facies vegeto calore decoratur: pulsatus arteriarum in magnitudinem efferuntur, nihil tremuli, sed vehementes: vox autem consueta reuertitur, & canora est: ipseq; prorsus viuidus efficitur. lassitudinem quidem haud exiguam percipit, verùm dormire etiam conspicitur. atqui si ipsum somnus occupauerit, cibaria planè concocta erunt, sensus mali obliterabitur: naturæque vis egerminabit, & reuirescet: cumque à so-
D mno expergiscitur, bene spirat, leuis est, expeditus & robustus: reuocat autem in memoriam morbum ceu quoddam somnium. At nonnulli sunt, quibus febres obscuræ, tanquam morbi reliquię, remanent: nonnunquam & inflammationes modicæ, & lingua arida, & sudoris priuatio: præterea rigent, torpent, dissoluuntur. hi sanè in tabem prolabuntur. Tunc verò tempus terendum non est quiete & victu tenui: sed ad motiones ęger traducendus per gestationes, frictiones & lauacra: quò vitę residuũ à morte vindicetur, augeatur. ac recreetur. Propinandum verò est etiam lac maximè mulieris, quæ proximè peperit, puerumque nutrit. hi nanque alimento, vt nuper in
E lucẽ editi pueri, egent. si lactis humani copia non datur: asinæ, quæ nõ pridem peperit, lac accipito: tenue est enim ac fluxile huiusmodi lac. Post hęc ad resumptionem & ad consueta æger ducendus est.

Curatio Choleræ. *Cap.* IIII. A

IN Cholera eorum, quę eijciuntur, suppressio mala est: cruda enim sunt. quare nos oportet ea facilè sponteque exeuntia libenter permittere: si non exeant, incitare, aquam tepidam sorbitioni dantes, assiduè quidem, sed paucam, ne tentiones inanes in stomacho fiant conuulsioni similes: si torquentur intestina, & pedes frigescunt: irriganda est aluus calido vnguine, in quo ruta, cuminumque incocta sint: vt flatus digerantur, dissipenturque. lana quoq; imponenda est, & pedes inungendo molliter fricare oportet, contrectando magis, quàm premendo, sed genibus tenus hæc fiant: vt caliditas, quæ abie rat, reuocetur. Hæc verò tantisper facienda sunt, donec stercora per inferiora deijciantur, & superius biliosa efferantur. Sin autē omnia antiqua stercora deiecta fuerint, & biliosi humores transierint, biliosusque vomitus & distentio adsit, fastidium, anxietas, virium labefactatio: tunc frigidę aquæ cyathi duo, aut tres propinandi sunt ad ventris adstrictionem: vt retrogradus humorum cursus cohibeatur: vtq; stomachus ardens refrigeretur. assiduè verò id, cùm potam aquam vomuerit, facito, facilè quidem frigida in ventre incalescit: verùm eā stomachus euomit à calida pariter ac frigida dolore affectus, semper autem frigidum potum expetit. Porro si arteriarum motus ad parui tatem lapsi fuerint, nec non assiduè & frequenter micent arterię, sudor circa frontem & iugula & qualibet corporis parte stillatim effluat, alui profluuium non sistatur, & ventriculus adhuc euomat cum distentione & animi deliquio: parum vini odorati & adstringentis aquæ frigidæ infundendum est. vt præ odore sensus excitetur: ob eiusque potentiam roboretur, & corpus ob nutricationem recreetur: vinum enim celeriter sursum petit, vt retrogradum humorum fluxum coerceat, tenue verò est, vt facilè diffusum naturæ ad sanitatem recuperandam opem ferat: validum quoque, vt vires dilabentes fulciat, atque sustineat. Inspergenda est etiam nonnunquam recens & benè olens polenta. Verum enimuerò si omnia vrgeant, sudor & tentio non stomachi modo, sed etiam neruorum, singultus inanis, & pedes contendantur, & aluus multa excernat, & homo caliget, & pulsatus arteriarum ad immobilitatē vergant: tunc huiusmodi ægroti statum præuertere opus est. Quòd si iam adsit: frigidæ ac vini multum præbendum est, & nequaquā meracius: ne fiat ebrius, ac ne lædatur nerui: sed cum cibo, & panis bucellis madefactis. Præbere quoque aliam escam conuenit, qualis à me in capite De syncopa tradita est, item fructus mollioris corticis, Oporam Græci vocāt, adstringentes, sorba, mespila, mala cydonia, vuam. Cęterùm si omnia euomit, & stomachus nihil retinet: ad calidas potiones & cibaria recurrendum: nonnullis enim hæc mutatio vomitionem compescit:

B

C

D

E

calida

A calida verò calidissima sunto. Sin horum auxiliorum nullum proficit: cucurbitula in interscapulo affigenda est, atque infra vmbilicum, verùm assiduê cucurbitulæ mutandæ sunt: nam si diutius permaneant, dolorem cient. periculumq; est, ne vesiculas excitent. Profuit interdum & auræ motus suauis: vt & spiritus reuiuiscat, & cibus in ventriculo remoretur: vtque melius ægrotus spiret, meliusque arteriæ micent. At si hæc in peius labantur; ventri, pectorique talia imponenda sunt, qualia & ad syncopam supra memorauimus: palmulæ vino madefactæ, acacia, hypocysthis, hæc roseo cerato excepta, linteoloque illita ventri imponito: pectori autem masticen, aloem, absinthij comam tritam cum cerato nardino superdato: aut
B œnanthem toti pectori inspergito. Pedes verò & musculos, si cõuellantur, sicyonio, gleucino, aut veteri oleo cum exigua cera perungito, castoreo quoque respergito. Porrò si frigidi etiam pedes sint: vnguine ex adarce & euphorbio inungito, & lanis obuoluito, & manuum palpatione foueto: quin etiam dorsi spinã, tendones & musculos; nec non & maxillas iisdem inungere expedit. Quòd si post hæc sudor & vẽter suppressi fuerint, & stomachus cibos admittat, neque euomat, motus arteriarum magni & validi sint, & conuulsio desinat, sed calor vbique increscat, & extrema infestet, somnus verò omnia concoquat: *lauandus
C secundo die aut tertio soluendus * est æger, & ad consueta mittendus. At contrà si omnia vomitu reijciat, sudor perennis effluat, frigeat laborans, & liuidus fiat, motus arteriarũ etiã propè extincti sint, & vires cadant, cùm ita inquam se habuerint, inde honestam fugam capessere bonum est.

Curatio Voluuli. *Cap. V.*

IN voluulo dolor est perimens ob intestinorum phlegmonem: distentio adest, & inflatio: celerrima ac * fidissima pernicies impendet. nonnulli enim desperata salute ægrotantes mortem euidentem *sæuissima
D tantummodo formidant: aliqui verò in voluulo ob cruciatus acerbitatem mortem expetunt. quocirca neque remedium vllum morbo inferius, neque debilius à medico adhiberi opus est. Verùm si morbi causam inflammationem esse inuenerit: venam in cubito magna sectione aperiat: quò multus subitò sanguis inflammationis alimentum, vel vsque ad animæ deliquium effundatur. Etenim hoc vel sedandi doloris, vel stuporis ac sensus priuationis initium est, In voluulo autem recreatio est ac respiratio, vel ad breue tempus (licet præ ignorantia) tormenti dilatio: quandoquidem hominibus ita viuentibus mori beatum est: Medico autem cuiquam nobili mor-
E tem inferre nefas ducitur. Sed fas est interdum, cùm præsentia mala euadi non posse manifestè prouideat, grauitate capitis torpida ægrotum sopire. Sin absque inflammatione ob corruptionem, aut ingens

frigus voluulus prouenerit: venæ sectio dimittenda est: reliqua autem omnia facienda. Consulendum est igitur, vt à potu aquæ tepidæ frequenter euomat, oleum multum bibat, deinde rursum euomat flatus inferius irritamentis educendi. irritatoria quidem sunt cyclamini succus, & nitrum, aut sal: flatus autem euocant culminum, & ruta. igitur his omnibus cum resina terebint sedem oblinere oportet, & spongijs fouere: aut hæc per clysteres. infundere cum oleo, melle, & hyssopo, & cucurbitulę syuestris carnis decocto. Quòd si stercus excretum sit, iterum oleum calidum cùm ruta inijciendum: id enim si intus moretur, fomentum intestinis propitium est. præterea dolentes locos oleo, in quo ruta & anethum abundè incocta sint, perfundere conducit. Adhibeantur & fotus ex lentibus figulorum aut fabrorum ferrariorum, aut ex millio & sale vstulatis. Cataplasmata verò præter vulgata sunto lolij farina & cuminum, & hyssopi aut origani coma. Cucurbitulæ quoque leues quidem, sed frequentes, alia iuxta alias abdomini & ilibus ad inguina vsque admoueantur: quin & à tergo coxendicibus ad renes vsque & dorsum: vbique enim quisque omnia dolorem leuantia faciens iuuat. Præbibat autem cumini, aut rutæ decoctum, & sinonis, aut vnà cum his aliqua ex anodynis appellatis medicamentis: infinita autem alia ab alijs probata experimento inuenta sunt. Bonum verò est & ex viperis medicamentum plus consueta portione potui datum. Cæterùm si neque dolor remittitur, neque flatus, neque stercus deijcitur: purgatorium pharmacum, quod hieram vocant, necessariò dandum est: aut enim simul cum pituita & bilē pharmacum vomitu expellitur: aut descendit, flatum, dura stercora, pituitam, bilem ipsius mali fomenta secum educens. Alimenta exhibeantur aluũ ducendi vim habentia, iuscula gallinarum, ostreorum paruorum, ordei cremor cum multo oleo decoctus, quod à principio ante decoctionē infusũ sit: habeat verò cuminũ, nitrũ, porrũ cũ coma: aut medela adhibeatur cum aliquo iure ventrē subducente: cochleæ valde elixæ, & ipsarũ succus aut tellinæ aqua potui detur (si febricitet) cũ assaro, aut nardo, aut cachry excocta: nã hæc flatus eliciunt, vrinã cient, & spirandi potestatem facilem reddunt. At si, * dolor absit: & vinum bene facit, vt intestina calefiant, vtque vires labantes confirmentur, prodest etiam fœniculi radicis decoctum, si bibatur, & adiantum, & cinamomum. Sin ad abscessum inflammatio conuertatur: huic opem ferre satius fuerit medicamentis abscessui conuenientibus vtentem. ea verò in libris De longis morbis descripta sunt: vbi colici affectus sanatio traditur.

A B C D

* Al. febris.

Cura-

A *Curatio acutorum Iecoris vitiorum. Cap. VI.*

IN iecore sanguinis creatio est,& in totum sanguinis à iecore emanatio: ac omnino iecur est veluti sanguis gelatus. ideo phlegmonæ hoc loco acutissimæ fiunt. hac enim in parte alimentum residet. Sin vspiam alibi phlegmone constiterit : non vsque adeo acuta est: aduena est enim sanguinis accursus. in iecur autem non opus est aliunde influere. nā si obstructio aliqua exitus occludat :iecur effusione priuatum repletur abundatq; sanguine, alimenti verò ad iecur transitus adhuc patet: aliud est enim iter alimenti à ventriculo &
B intestinis in omne corpus. Quocircà euacuare facilè oportet, venam cubiti secando: multum quidem sanguinis,sed non semel totum detrahendo. Inedia primum iubenda est, postea cibi paucitas, vt et medicamentis ingredientibus iecur inane pateat. Insuper medicamentis exterius appositis,quæ in iecore aceruata sunt, discutere oportet. Igitur illinatur aloe, aut nitro, lanæ œsypo sordentes admoueantur. Refrigeratione quoque opus est. iecur enim sanguine accenditur: nam sanguis calidus est. Huiusmodi ergo cataplasmata sunto, accipiatur farina loliacea, aut irionis, aut ordei,& seminis lini: ex humoribus autem vinum acidum, cydoniorum succus, capreolorum vitis, labruscæ maturæ, aut oleum cum ea. Item cum spongijs fomen-
C tum fiat ex decocto baccarum lauri, lentisci, pulegij, iridis : per ista mitigato morbo cucurbitula maior applicetur, vt ex omni parte hypochondrio circumdetur: atque altius concidenda cutis, vt multum sanguinis effundatur. Nonnullis autem hirudines, quàm scarificationes, magis placent. nam eius bestiolæ morsus altius penetrat : verùm erosiones quoque maiores facit: vnde & sanguinis effluuium ægrè supprimitur. cumq; sanguinis potu saturata hirudo ceciderit: cucurbitula est applicanda: ab intimis enim partibus tunc attrahit. Quòd si satis euacuatum sit: vulnera medicamentis sanguinem co-
D ercentibus morsuque carentibus obtegenda sunt, vt araneorum telis, manna, aloeq; inspergenda: panis cum ruta aut fertula aut althææ radicibus elixus superdādus. tertio verò die ceratū cū myrobalano, aut absinthij coma & iride conuenit. Quin etiam & malagmata vocata medicamenta talia esse debent, vt extenuare, aut rarefacere, aut vrinā ciere valeant. optimum sanè est medicamentum ex seminibus cōstans: quorum omnibus medicis experientia perspecta est. bonum est & illud, in quo aut sampsucus, aut fertula ponitur. Cibi tenues sunto, labiles, lotium mouentes, penetrabiles: alica cū mulsa,& sorbitio ex ea cum sale & anetho. Ordei verò cremor & detergendi fa-
E cultatem habet: at si & dauci seminum nō nihil addatur, ad vrinam lacessendam prꝏstantior est: subducit enim per alueolos, qui à iecore in renes pertinent. opportunus verò est à iecore effluentibus illuc

transitus & vasorum laxitate & itineris rectitudine. Idcircò & cucurbitulis ea nos trahere oportet eo loco, vbi renes sunt, secundũ os coxendicis applicantes. Cæterũ & hi vnguine cũ ruta, aut odorato iunco, aut calamo aromatico irrigandi sunt. per hæc vtique ægrotum posse mortem effugere sperandum est. Sin ad suppurationem conuertatur: pus mouentibus medicamentis vtitor, quotquot à me in sermone De colicis, literis prodentur. Cùm pus autem iam genitum fuerit, quo modo incidendum, quomodoq; medendum sit: alio loco scriptis mandabimus. Eadem nobis & de splene scripta sunto: si quando & inflammationis acutæ calamitas eum inuaserit. A B

Curatio acuti morbi dorsalis Venæ & Arteriæ. Cap. VII.

Venæ concauæ, crassęque arteriæ, quæ secundum dorsum extenduntur, inflammationem ardoris speciem maiores nostri appellauerunt. nam & ardoribus similes affectus in ambabus oriuntur: ignis acutus & acer, fastidium, sitis, anxietas, pulsus palpitans in præcordijs, & in auersa parte, quam Græci Metaphrenon vocant: & quotcunq; à me in volumine De signis relata sunt. Nẽpe & in syncopam tendit ignis, quemadmodum & in ardoribus: siquidem venæ radicatio (vt ita dicam) iecur est: arteriæ verò principium cor. C haud ab re igitur existimes eorum viscerum supremas partes maximè ad vitam facientes ægrotare. Etenim cor arteriæ calorem impertit, venæ autem sanguinem iecur infundit. Amborum verò magnorum viscerum magna sunt germina ipsæ videlicet phlegmonæ. Venas itaque in cubito protinus cædito, multumq; sanguinis, sed non semel totum mittito, immo & bis, & ter, et alio die, quò interim vires instaurentur, repetito. Deinceps cataplasmatis vtitor, & cucurbitulã præcordijs, vbi est arteriæ transitio, nec non et inter scapulas, D nam ibi quoq; pulsationes sunt, affigito, liberiusq; scarificato, et multum sanguinis detrahito: haud enim ita facilè ex horum vasorum inanitione in animę defectum homines cadunt. Verùm & aluus pręter consuetudinem valde suppressa ad lubricitatem per clysterũ molliores infusiones est reuocanda, acribus autẽ minimè vtitor: nam hi facilè in febrim incidunt à muria & nitri liquatione. ideo lini seminis & fœnigręci succus esto, & radicum maluæ decoctum ad prouocandum, & ad mordendũ satis est. Extremas partes, pedes videlicet & manus gleucino oleo, aut sicyonio, aut ex adarce vnguine excalfacito: nam partes istæ in ipsis valde frigescunt. Prętererea ante cibos potui dato, quæ lotiũ euocãt, meon, assarum, absinthium. nitrum quoque inspergito. sed omniũ valentissima est cucurbita, & cinnamomum, si quis eius copiam habeat, Lac istis & alimẽti & medicinę vim E

præbet:

A præbet: etenim refrigeratione indigent, cùm in eorum visceribus veluti quidam ignis exęstuet, & dulci alimento, nec non & multo in parua mole: has nimirum virtutes alimenti lac obtinet: esto autem mulieris, quæ proximè peperit: & duobus lactis cyathis vnus aquæ admisceatur. lac etiam bubulum optimum est: tertio loco caprinum ponitur. Cibaria concoctu facilia præbeantur, plerique succi, fęniculi radix, & apij semen: indatur et mel: aqua verò, quę bibitur, ista habeto. Oportet etiam sudores elicere, & vbique difflationes humidas & fluxas facere. Caput sicut in ardentibus febribus irrigetur. Epithema pectori & sinistræ mammę, quale in syncopa, superdetur. Cubile rectus decubitus: vt omnia his similia sint, quæ in ardentibus B febribus fiunt. Exercitatio * modica ad sudores euocandos, nec non & balneum, si iste interius exardescit. neque enim iudicationibus huiusmodi vitia soluuntur, & si ardoris species sunt. * Gestatio

Curatio acuti morbi in Renibus Cap. VIII.

Peracuta sanè in renibus inflammatio exoritur. simul enim inflammantur à iecore in renes discurrentes venæ: cum illis autem & iecur: cùm haud ita prælongæ sint, sed valde latæ adeo, vt re- C nes proximi iecori suspensi esse videantur. Verùm & vrinæ retentio inflammationi superuenit, vehementiam inflammationis adaugens: nam renum caua lotij non exeuntis alluuione replentur. Porrò idem & in calculis euenit, si in renibus calculus vrinę canalium laxitate maior oriatur, qui non egrediens inhærescit, atque sic & ipse vrinā intercludit. Cæterùm de calculorum creatione in libro De longis morbis, sermonem habebimus: quomodo aut ne coalescant, aut iam concreti exterantur, comminuanturque. De calore autem atque obstructione, quæcunque celeriter enecant, in præsentia differemus. Si calculi iam conflati sunt, adestque inflammatio: venam cubiti, D nisi ætas præpediat, secato: benè fluidus autem multusq; sanguis exeat: neque enim phlegmonę tantùm euacuatione mitigantur, sed etiam calculorum intrusiones vasorum inanitione laxantur: quin etiam per mictum calculi elabuntur. Postmodū irrigationibus gleucini aut cyprini olei, & fomentis et cataplasmatis particulæ remittuntur. Artemisia verò herba, & iuncus, & odoratus calamus in cataplasmatis esto. Deinde cucurbitulam renibus in regione coxendicis adhibeto: maximè nanq; ab ea parte euacuatio profuit: Aluus præterea ducatur per clysteres cum lubricis, & viscidis potius, quàm E acribus, ex maluæ, aut fœnigræci cremoribus. nonnunquā verò medicamenta ante cibos vrinam citantia dentur, qualia in vitijs iecoris narrata sunt: pariter & cibaria similia concoctu facilia. cruditas

enim istis noxam affert. Optimum sanè lac est, maximè quidem asinæ: secundo equinum: ouillum autem & caprinum confert, quatenus lac est. Si* pauperes ægroti sint, eos lauare satius est. sin minus in decocto herbarum desidant vmbilico tenus solio repleto. Verùm si ad pus vergat, quibus cataplasmatis ac medicamentis vtendum sit, multis in locis superius traditum est. At si calculus institerit: fomentis vtique, & cataplasmatis ijsdem vti oportet. calculi verò medicamentis potabilibus conterendi sunt, simplicibus quidem sio, & prionite (betonicam, trisaginemúe puto) herbis cum oleo aut aceto esculento decoctis: earum quoque succo potui dato: compositis autē ea antidoto, quæ* Bistimus appellatur, & ea, quæ ex viperis constat, & bestia, quæ * Coscinos id est Cribrum dicitur, & quodcunq; experientia optima esse comprobauit. Gestationes istis, & corporis concussiones ad mouendum propellendumque calculum bene faciunt: nam calculorum in vesicam transitus ingentes dolores concitat. quòd si inde exciderint, dolor tollitur, vt neq; per somniū dolorem sentire sibi videri soleant. quin etiam tanquam ex ineuitabilib. malis animus perterritus soluitur.

*non supppurent

*Bistini

*Scincus

Curatio acutorum Vesicæ affectuum. *Cap. IX.*

ET Vesicæ acuta vitia renalibus similia proueniunt, phlegmone, & vlcera, & lapides, & grummorum obstructiones: à quibus vrinæ suppressio, & stillicidium exoritur, sed in hoc membro acutior dolor est, interitusque celerrimus: vesica enim neruus latus est. At renes veluti concrementum sanguinis iecoris speciem habent: in quibus, & grauissimi, & maximè miserabiles morbi incidunt. vnde* mors cum maximis cruciatibus miseris mortalibus ingruit. Protinus igitur ventris ea pars laxa, quam Ceneona Græci vocant, secāda est: multoque oleo cum ruta & anetho vesica est irriganda. Si concretus sanguis doloris, impeditæque vrinæ author sit: oxymel bibere debet: aut calcis parum cum mulsa, quò grummi dissoluantur: deinde quæ vrinam mouent, & herbæ, & semina exhibenda. Sin ex sanguinis effusione periculum instet: absque vlla cunctatione ei magis, quàm cæteris subueniendum: neque enim id leue discrimen est. Nēpe medicamina sanguinem coercentia adhibenda: opem fert autem & vesicæ refrigeratio, ex rosaceo & vino irrigatio, & cum lanis succidis obuolutio. Epithema bonum est, palmulæ ex vino cum malo punico, aut succo rhois. Verùm si auersatur epithemata grauia & vehementes refrigerationes euitandæ. cauendum est enim, vesica natura frigida tenuisque, ne ita multum refrigeretur. sed eam gleucino illinito, aut acacia, aut hypocystide ex vino. A spongijs verò, nisi valde vrgeat sanguinis eruptio, abstineto. Escæ triticeæ coctu faciles, bonum succum gignentes, lotiumque educentes præbeantur

*Mars


qualos

A quales à me in capite de renibus comprehensæ sunt. Lac, vinum dulce, theræum, aut scybellite. Medicamenta potabilia sunto, vrinaria, bene olentia, fluxilia, & id genus alia. Vtilissimum vtique vesicæ remediũ cicadæ sunt tempore suo tostæ pro cibo exhibitæ. extra tẽpus aũt aridę tritæ cũ aqua: sed radicis nardi parũ cũ cicadis elixetur. in iisdẽquoq; loco balnei ad vesicæ laxamẽtũ æger desidat. Quòd si lapillorũ interpositio mictũ impediat: oriculario specillo lapis amouendus est, vrinaque educenda, nisi adsit phlegmone. in phlegmonis nanq; neq; meatus instrumẽtũ admittit: præterea oriculario specillo vulnerantur. At si expediri medicatio nequit, homoque doloribus consu-
B mitur, locum eum, qui sub glande est, ceruicemque vesicæ incidito: vt lapis excidat, atque vrina effundatur, ac deinde potissimum medendum est ad cicatricem vulnus ducendo: sin minus, puris effluuiũ quod Rœas græcè dicitur, factum esse pro futura hominis vita satius est, quàm vt tormentis miserrimè cruciatus intereat.

Curatio Vuluæ suffocationis. *Cap. X.*

VVlua in mulieribus membranis extentis hinc atq; inde secundum ilia continetur, ac perinde atque animal vitia in olfactu patitur. nam ad benè olentia delectationis causa se recipit, fœdè olentia
C contristantiaque præ molestia refugit. Igitur si aliquid superius triste offeratur: vulua ad naturalia descendit: si extra, ostio naturalium opponatur: retrò sursumque recedit. nonnunquam verò in hoc aut illud latus ad lienem, aut iecur mouetur, ad * recessum eius autem contractionemque membranulæ, vt in nauibus vela, cedunt, atque consentiunt. Hæc verò illi & propter inflammationem eueniunt. Nam si eius ceruix afficitur, atque intumescit: fit prominentior. Si in fundo exoritur, inflammatio sursum repit, Sin ad pedes foras vergat: turpis & immunda res est, dolores afferẽs & cõtristans, præterea difficulter ambulare potest, & in latus & supina decũbere, nisi pedes
D mulieris phlegmone laborẽt. At si ad superiora vulua recurrerit, quã ocyssimè hominem strangulat, vrget autem spiritum comprimens: neque enim prius conqueri, & clamare, & opem ab adstantibus petere valet, quòd nonnullis, hisque pluribus respiratio, nonnullis autem vox celerius intercipitur. par est itaque eos, qui his miserijs intersunt, prius quàm mulier intereat, medicum accersere. Verùm si fortè aliquando occurreris: cognita phlegmone venam scindito, præcipuè quidem eam, quæ in malleolo: quæ si non bene fluida sit, eam, quæ in cubito est, petito: Sed à vena malleoli sanguinis missionem repetito. Alia verò omnia administrato, quæcunque strangu-
E latui & citra inflammationem subueniunt. qualia sunt manuum ac pedum vincula ad torporem vsque adstringentia: fœdè olentium

* extensionem



olfactus, vt liquidæ picis, capillorum, lanæque exustorum, flammæ A
in lucernæ extinctæ nidoris, castorei, quod præter fœditatem odoris neruos etiam refrigeratos calefacit. lotium præterea vetus vel demortui ferè corporis sensum magnoperè suscitat, & vterum ad inferiores partes abigit. Porrò medicamenta odorata naturalibus sunt imponenda: vnguentum verò lene sit & minimè tactum vellicans, nardus, aut bacchar Aegyptiũ, aut vnguentũ ex malabathri indicæ arboris folijs compositum, aut cũ aliquo odorato vnguine tusum cinnamomum: atque his muliebres locos oblinito. Quòd si ex his fusile medicamen confletur, illud in vuluam infundito. anum quoque flatuũ eductorijs inungito. per clysteres quoque non acres, sed molles B
viscidos lubricosque humores indito, vt stercora solum eijciant, sedesque vtero ampla vacuaque remaneat. id succus althææ, fœnigrecíue præstabit: fertulam verò, aut sampsucum cum oleo decoquito. Cæterùm si maiore vi, aut depulsione vulua egeat: tunc validæ mulieris aut viri benè tenacis manibus hypochondrium comprimatur, aut fascijs adstringentibus succingatur: quò in angustum locus redigatur, neque iterum sursum versus vulua procurrat, Item naribus apprehensis sternutamenta citentur: quibusdam enim sternutamento & contentione vulua in propriam sedem redire potest: in nares autẽ puluis inspiretur ex radice lanariæ, aut piperis aut * castoris C
Item leues cucurbitulæ in fœminibus, ilibus, coxis, inguinibus attrahendæ vuluæ causa defigantur. amplius & dorso inter scapulas strangulatui subueniens admoueto. Sin à phlegmone strangulatus proueniat: vena ad pubem veniens scindenda est, multumque sanguinis fundendum. Item faciei frictiones, capillorum euulsiones vt mulier ad se redeat, simul benè facient. At si vel parum tolerare poterit, in decocto aromatũ desidat, odoratisq; suffumigetur. Ante cibos castorei paulum bibat, & hieræ paulum cum castoreo. Quòd si ferre valet: lauetur, & in tempore ad antiquos vsus reuertatur detq; operam mulier, vt quàm facillimè menses elabantur. D

*fibri

Curatio Satyriasis. Cap. XI.

NEruorum in virilibus inflammatio penis tentiginem facit cũ appetitu contristationeque in actu venereo. fiunt autem distẽtiones neruorum conuulsioni persimiles, nunq̃ mitigabiles. Quin & ipso concubitu sedari non potest ista calamitas. Mentis quoque alienatio sequitur. nam primũ quidem impudentes euadunt, dum casum suũ licentiosè narrãt: audaces enim eos coeundi insatietas efficit. Postea verò cùm affectus iste desierit: tunc ad se redeunt, & mente optimè constant. Igitur omnium horum causa venam in cubito & in talo E
aperias, & multum cruoris, ac sæpe detrahas. neq; enim id temporis intempestiuum fuerit & ad mentis stupefactionẽ, & ad inflammationis

nis remissionem,& ad caloris virilium mitigationem faciendam animæ deliquium afferre.quippe sanguis multus calorem & audaciam valde accendit, inflãmationem alit, mentis perturbationem confusionemq; veluti esca ignem procreat. Omne corpus etiam medicamẽto,quod Hieram,id est,sacram vocant, purgato:neque enim purgatione solùm egent.sed etiam leni medicatione: vtrunque autẽ præstare hiera potest.Insuper genitalia, & lumbos,& locos inter femina & inguina(Plechada græci vocant,* & locum inter anum & scrotum) Perinæos gręcê dicitur & testiculos lanis ab oue detonsis adhuc sordentibus obuoluito.sed lanas rosaceo ac vino perfundito : partesq; istas multa irrigatione madefacito,ne ab lanis caliditas oriatur:immo natiuus calor à frigida humorum potestate obtundatur. Eiusmodi quoq; cataplasmata superdanda, panis cum plantaginis herbæ succo, & solano ,et seride,& papaueris folijs, idque genus alijs,quæcunque torporem, frigoraque inijciunt. nec non & similibus virilia & locos inter inguina & femina ,& coxas illinito cicuta ex aqua, vel vino, vel aceto :item mandragora, aut acacia,& spongijs vice lanarum vtitor. Interea subluenda aluus est maluæ decocto. & oleo, & melle: omnia verò acria vitentur. Dẽfigantur in coxa cucurbitulæ, aut in abdomine Optimæ sunt autẽ & hirudines ad sanguinem deorsum attrahendũ. Et super vulnera cataplasma imponatur micæ panis cum althæa.Postea in aqua desidat.vbi artemisia,saluia conyzaq; dococtę sint. At si longiori tempore vitium extrahatur,neque multitudo secundum proportionem minuta fuerit,et neruorum conuulsionis metus adest. (nam facile in his affectibus conuelluntur) curandi rationem mutare opus est.quippe calefacientia ad mouenda sunt, gleucinum scilicet oleum,aut sicyonium pro rosaceo:lanis autem mundis & cataplasmatis tepefacientibus partes illæ contegendæ : quandoquidem neruorum inflationes nonnunquam huiusmodi curatio mitigauit.amplius & castoreum cum mulsa bibitum Cibaria parum nutrientia frigidaque sunto: pauca triticea :plurima olera, malua, bliton,lactuca, cucurbita elixa,cucumis maturus elixus , pepo suo tempore collectus. A vino,et carnibus lõgo temporis interuallo abstineto:siquidem vinum est neruorum calefactio,animę remollitio voluptatis reuocatio,geniture creatio,venerisq; excitatio. Hæc à me in acutos morbos remedia scripta sint. Oportet autem & iuuenẽ medicum ipsũ suo marte aliqua sibi comparare :neque omnia ex alienis commentariis depromere. Hoc sanè pacto acuta vitia fiũt,vt ordine singulis,quæ scripta sunt,aut omnibus vti valeas.

*vacant ea verba

B C D

Q

ARETAEI CAPPADOCIS DIVTVRNORVM MORBORVM CVRATIVVS.

Liber Septimus.

Cætera capita defiderantur numero octo. vide primum librum de fignis & caufis longorum morborum.

Procemium. *Cap. I.* C



N longinquis morbis dilatio medelæ mala eft: nam ob cunctationem in vitia infanabilia prolabuntur. Inflatio fanè ita habet, vt non facilè recedat, fi femel inuaferit: at fi & diutius trahitur, temporis fpatio vires acquirit: & nonnunquam euenit, vt commoriatur. Exiguos quoq; morbos maiores excipiunt: cumq; priores difcrimine vacarent, eorum foboles perniciofa exoritur. Itaque nullo pacto ægrotum filere conuenit, ne morbus deprehendatur, erubefcentem: neque aufugere vim curationis metuentem: neq; medicum pigrum effe, ignauumque oportet: vtrunque enim ad morbum infanabilem efficiendum D
confentit. Nonnulli autem funt ægroti, qui præfentium, nec non & futurorum ignoratione ad finem vfque cum morbo degunt. Nam plerique neq; pereunt, neque futuram mortem fufpicantur: quocirca neque fe medici fidei committunt. Horum probatio ex cephalęa colligitur: de qua prius fermonem inftituam.

Curatio Cephalææ. *Cap. II.*

CAput quanto ad vitam magis neceffarium eft, tanto difficiliori ægritudine laborat. Atq; morborum capitis inuafio quidem E
tolerabilis eft: nã parum dolent, aures fonant, grauitas adeft: at fi intendãtur, finis eft mortiferus. Igitur exiguos dolores ne fpernito: nã & exiguis

A & exiguis medicamentis in quibusdam discussi sunt. Si plus tempo ris extrahuntur: maiores cruciatus superueniunt. propterea vena cubiti incidenda est: sed duobus ante diebus vinum bibat. tantum autem sanguinis detrahito, quantum eius vires tibi coniectanti ostenderint, verùm non semel totum detrahere magnopere expedit, porrò quorum vires copiosam sanguinis detractionem patiuntur his ipsis continuo morbus * discutitur: atque id omnibus longis ægritudinibus conuenit. Tribus autē quatuorúe diebus interiectis liberalius alendi sunt: Deinceps purgatorium, hieram quod vocant cum mulsa propinandum: ea enim à capite morbi alimentum ma-
B ximè abducit, modus verò medicamenti quatuor aut quinque drachmarum pondo esto, Quòd si bene purgauerit: tunc lauandus est, & vinum exhibendum, & vires augendæ. Postea iterum vena frontis recta scindenda est: hęc enim est opportunissima sanguinis detractio modus autem esto hemina, aut paulò plus. neque vltrà sanguinem mittito, quoniam vasa inanire non expedit. Deinde capillis nouacula detractis cucurbitulam priorem vertici affigito, alteram inter scapulas citra sanguinis effusionē admoueto: et eam, quę in verticefixa est, liberius scarificato: quò sanguis vberius attrahatur, & partes pro fundiores incidantur. remedia nanque ad ossa vsque penetrantia
C cephalæam iuuant. Quòd si vulnera cicatricem ducant, arteriæ secentur: duplices autem sunt, aliquæ post aures paulò vlterius, proprijsq; motionibus produntur: aliæ verò aurium arterię prorsum versus sitæ sunt auribus proximæ: nam instrumento, quod Antitrochon Græci nominant, adducuntur. verùm hæ quoque proprijs pulsationibus innotescunt. nempè maiores ossibus vicinæ secentur: hæ nanque vtilitatem afferunt. adiacent & aliæ singulis oppidò tenues, quas incidere prorsus inutile est. modum verò incidendi in libris De manuum operationibus exposui. Cæterùm post medelam in cephalæa, morbo comitiali, & vertigine, vtque semel dicam, in
D omnibus capitis vitijs (prius ventre, aut purgatorio, quod deuoretur, aut clystere, euacuato) pituita euocanda est: modò è naribus per sternutatoria, modo ex ore per ducentia pituitam. Species autem sternutamenta citantium sunt piper, radix herbæ lanariæ, fibri testiculus. hæc quidem sunt vulgata & communia. ad læuorem autem terito, & cribrato, & calamo aut crassiore pennæ anserinę caule in spirato. His efficacius in attrahendo violentiusq; euphorbium est cū aliquo ipsorum admixtum. Quin etiam cum oleis miscetur gleucino scilicet, aut sicyonio, id est, ex cucumere syluatico, aut cum vnguento ex styrace: redditur autem magnopere liquidum, vt fusile sit.
E infunditur per nasi fistulam: hæ verò geminæ sunt, atque, ab vno canali cognatæ & cohærentes adeo, vt semel vtrisque infundendum sit. neque enim tolerabilis est alterutrius naris sigillatim dilatatio.

* labefactatur

nam protinus caput accenditur, & acerbus dolor inuadit. Quæ au- A tem per os pituitam eliciunt, hæc sunt: sinapis, granum cnidium, piper, vua taminia id præstant vel mixta, vel singula. Cæterùm quoniam & ipsa mandere, & expuere assiduum est: iccircò & cum aqua, aut mulsa, aut posca permixta danda sunt: atque os eluendum. ad tonsillas enim impulso humore extentoq; collo expirationis flatu abluatur, Postea quàm pituitam, quantam libet, eduxeris, permulta aqua calida lauandum caput, atque perfundendum: vt perspirabile atque difflabile reddatur: ingentes enim obstructiones fiunt. Cœna frugalis & simplex esto: in qua & vinum ad stomachi restitutionem sumatur, siquidē & ipse magno dolore vexatur. Interea verò vbi vi- B res ęgri stabiliueris, lotione per clysterem vsitata opus est: in qua nitri multum inspergatur, aut resinæ à terebintho arbore pondo drachmę duę eliquentur. postridie sanguis è nasi interioribus detrahatur intro enim pręlongum instrumentum immittitur, quod Cateiadion vocant, aut illud, cui Storyne nomen est. aut si quis horum copiam non habuerit: pennæ anserinæ caulem crassiorem sumere debet, eiusque neruosam partem denticulatim instar serræ incidere, atque sic in narem vsque ad ossa, quæ ob cribri seu colatorij similitudinē, Ethmoeidę vocantur, immittere: deinde vtraque manu agitare, quò locus à dentibus insculpatur, ac vulneretur. Facilis est autem ac C copiosus sanguinis cursus: nam graciles venæ hic desinunt, corporaque hac in parte mollia sunt, & sectioni habilia verùm & multos nares vulnerandi modos vulgus nouit, herbas scilicet asperas, & arida lauri folia naribus imponentes, aut digitis eas fortiter agitantes. cū verò quantū satis sit, euacuaueris, quod erit heminę dimidiū detergendum est spongijs & posca. aut aliquod aridum, quod sistendi sanguinis vim habeat, naribus inspirandum, galla, aut scissile alumen aut balaustium. Verumenimuerò post hæc remedia siue dolor capitis perseueret, siue desinat: oportet ad finem huius medicationis peruenire. quoniam id malum sæpe reuerti solet, & in suo vigore cō D sistens plerumque delitescit, Itaq; nouacula derasis capillis, (quādo quidem & hoc capiti prodest,) ferramentis candentibus vrendum est: si in supercie, ad musculos vsque peruenias: sin osse tenus penetrare velis, à musculis caueto. nam musculi exusti neruorum distentiones cient. quòd si in summa cute vsseris, vinum odoratum albū cum rosaceo infundere satis est: Pittacium verò madefactum per triduum supra crustas extendito. quòd si crustę altius descendant: porri comam cum sale tritam, linteoloque illitam super dato. Tertio die crustis summam cutim tantùm occupantibus ceratum ex rosa: profundioribus autem lentem ex melle imponito. Sed quæ medica- E menta cicatrici ducendæ sint, alio loco describemus. Nonnulli super frontem ea in parte, vbi futura est, quæ Corona dicitur, cutim osse-

te-

A tenus inciderunt: illudque aut exterentes, aut excidentes vsq; ad meditullium (quam Græci Diploen nominant) ad carnis repletionem perduxerunt. Alij & ossa ad membranam vsque perforarunt. Verùm id genus remedia temeraria sunt: nihilominus tamen adhibentur, si omnibus alijs tentatis adhuc cephalæa perseuerat, & æger est animo sus, vel corporis robur excellit. Nempè si paulatim ad sanitatem accessio fiat: exercitationes recto corpore pectori humerisque adhibeantur, manuum fiat gesticulatio, alteres iaciantur, saltu corpus moueatur, atque in his peritè corpus torqueatur. primò & postremò crura fricentur, medio tempore caput. picatio assiduè picem insper-
B gendo administretur. item caput rubrificandum: nonnunquam sinapi cum duplo pane affricando, ne intolerabilis ignis excitetur: nonnunquam medicamenta simul illinendo, quale est illud, quod ex adarce, & euphorbio, & pyrethro componitur. proficit autem & ad dolorem in tempore sedandum, & ad radicem mali extirpandam thapsiæ succus, & medicamina cum ipsa iungenda. quotcunque cutí tumefaciunt: & varis similia tubercula excitant. Victus ratio in singulis dolorum generibus tenuis esto: exiguus potus, & aquæ potio ante vllam medelam potissimum adhibeatur. ex toto verò ab acribus temperet, cepis, allijs, & succo laserpitij. à sinapi autem non penitus:
C siquidem eius acrimonia, præterquàm quod stomachi vim roborat: capiti quoque haud ingrata est: pituitam fundens ac difflans, aut ad inferiora deturbans, Leguminum pessima faba est, & eius species pisa, & quæ à Græcis ochri, & dolichi nuncupantur. illi cicerculæ folio similes, hi faseoli aut lobi à nonnullis vocitati. secundo loco ponitur lens: quæ nonnullis concoctionis excretionisq; virtutibus prædita est: sed caput replet, doloremq; concitat. nihilominus cũ pipere elixa spernenda non est, Far lotum haud ingratum est cum vino & melle, quantũ ad condimentum satis sit: & ex ipso conflata sorbitio & eius semina in simplici iusculo decocta. vtique bona sunt & in con
D dimento, quod Græci Carycam vocant, semina cari, coriandri, anisi: apij verò semen ijs anteferendum; mentha herba, & pulegiũ prẹterquam quod bene olent; quendam vim habent, & vrinam mouendi, & flatus per inferiora expellendi. Inter carnes vetustæ omnes damnãtur: nuper interfecti galli carnes laudantur, Inter aues torquatus palumbus, columbus, & aliæ quęcunque haud ita multum pingues sunt, suum extremitates, lepus assatus. Bubula ouillaque caro crassum succum creat, & caput replet. Hœdus non penitus malus. Lac & caseus caput dolore vexant. Ex piscibus saxatiles deligendi, & quotquot in ea regione optimi censentur. Olera elixa quidem ea assumã-
E tur quæ lotium & ventrem citant, malua, blitum, beta, asparagi, acris verò & brassica est. At inter cruda lactuca omnium est optima. Radices autem etiam elixæ prauæ sunt. radiculæ, rapæ, pa-

stinacæ vrinam mouent, sed caput explent. sisarum flatus edit, & vẽtriculum tumefacit. Vinum album tenue dulce admittatur, tantùm adstrictionis habens, quòd aluum non remoretur. Omnia bellaria capiti inimica.* quin & palmularũ omne genus. ficus autẽ & vua demulcent, & quicquid ea parte anni, quam Horam Græci vocant: bonitate præstat. sed quibuscunque vel etiam iuuantibus satiari malũ est. peior est cruditas: labores minus, quàm cruditas nocent. nihilominus & ipsi sunt detrimentosi. Deambulationes matutinæ aluo prius exonerata citra spiritus difficultatem benè feruntur. optimæ sũt etiã & à cœna. gestatio longa per loca nõ ventosa conueniet. atq; vbi sol caput non feriat: ei nanque Sirius officit. Vsus veneris capiti ac neruis labem accersit. Peregrè proficiscatur ægrotus in regiones calidiores ex frigidioribus. & in sicciores ab humidioribus Confert & nauigatio, & in mari vitæ traductio. & siquis sit maris accola, in salsa aqua frigida lauari, & in mari natare, & in arena volutari, victumq; ex mari quęrere proderit. Doloris verò capitis, quẽ Eterocraniã Gręci nominant, eadem medicamina sunto: nam quę toti capiti remedia cõducunt, eadem singulis eius partibus adhibere bonum est. Quibuscunque verò per hęc morbus depulsus non fuerit: ijs reliquum est, vt veratro vtantur, vtpote vltimo atq; valentissimo omnio remedio.

A B

*præter

Curatio Vertiginosorum Cap. III. C

ET succedit cephalææ vertigo. & ipsa per se proprijs de causis oritur, si profluuium ab hęmorrhoidibus coercetur, si è naribus sanguis non effluat, qui prius effluere consueuerat, si corpus non diffletur aut sudore, aut labore antea fatigatum. Igitur si ab cephalæa ducit originem; ea medendi ratione vti debemus, quæ ad cephalæam supra ex posita est. quibus autẽ violentius cum vltimis remedijs occurrendũ sit, posterius explicabo. Sin ab aliqua humorũ suppressione morbus inciderit, vsitata excretio mouenda est. naturæ nanque salutare est materiæ recursus. At si ista tardat, malum verò increscit; in alijs quidem suppresionibus aut sanguinis è naribus manare assueti, aut sudorum, sanguis mittendus est è vena cubiti: Sin abiecore multis humoribus affluente, aut à liene, aut aut ab aliquo ex visceribus in medio corpore positis vertigo prodeat; cucurbitulæ subueniunt. Sed quantum ex vena defluit, tantundem per has sanguinis est detrahendum. sanguis enim est causæ alimentum: quemadmodum & ventriculus. Deinceps capitis remedia subiungenda, vena frõtis recta aut nasi uenę vtrinque in angulis secandę: cucurbitula vertici affigenda; arterię incidendę caput radendũ rubrũq; ciendum: pituita è naribus per sternutatoria, aut ex ore, quemadmodum docui, euacuanda: omnia denique modo in cephalæa narrato administranda. duntaxat adijcitur cyclamini succus aut anagallidis in nares fundẽdus. Posteaquàm verò medicaminum, D E

capitis

A capitis ad finem perueneris; deinde quotquot efficaciora ad vertiginosos inueniuntur, ea sunt adhibenda. Vomitibus à cœna, necnō vomitibus ab esu radicularum uti postea decet: quin etiam ad veratri assumptionem hæc præparatio fuerit. nā præexercendus est stomachus, cū vehementioribus vomitorijs vti volumus. Pituita quoq; in præsentia magis attenuatur, & ad veratrū bene funditur. Veratri exhibēdi modi plures sunt, vt validioribus quidem succurrat, ad magnitudinem amę, aut paulo crassius est incidendum: & cum fare loto, aut lente assumitur pondo drachmę duę. imbecillioribus autem & gracilioribus decoctum cum melle propinatur. duarum aut B trium mystillarum modus esto. quis verò sit faciendi modus, alio loco declarabitur. Inter singula autem remedia æger cibis reficiendus est: quo ea quæ interim incidunt, sustinere valeat. In accessionibus quoque sic opitulandum est, deliganda sunt crura supra talos & genua, & manus brachialia, brachiaque infra humeros prope cubita. ad caput irrigandum facit rosaceum cum aceto. oleo verò incoquito serpyllum, aut spondylium, aut hederā aut id genus alia fricentur extrema, & facies. olfaciat acetū, pulegium, mentham, aliaque eiusmodi ex aceto inter dentes aliquid apertionis causa imponatur. nonnunquā enim maxillę collidūntur & cohęrescunt. in tonsillis fiat ti- C tillatio: vomitus citetur. nam interdum reiecta pituita æger à tenebris excitatur. Hactenus ad accessionis leuamen & tenebrarum discussionem dictum sit. At de vniuersa victus ratione tam in curando quàm post curationē hęc nostra sententia est. Somnus multus ęquè, atque insomnietas inimica sunt: multus enim somnus stuporē capitis sensibus inijcit: vaporum exuberantia torpet omnis actio, Hi planè grauitatis, et sonorum in auribus, et splendorum quorundam oculis obuersantium causæ, morbi verò indicia sunt. vigilia verò cruditatem facit, alimentum subtrahit. laborem affert, corpus contristat, mētem labefactat: propterea facilè furere, atq; atra bile vexari D isti consueuerunt, Mediocris autem somnus ad alimenti distributionem, & ad laborum diurnorū leuationem vtilis est. Aluo ad excretionem consulendum: nam difflationis causa potior aluus est Iterū crurum frictio per aspera linteola vsque ad ruborem, deinde dorsi & laterum, postremò capitis adhibenda. ab his ambulationes circa initia & finem leniores. mediæ verò acriores. Quies consistentia spiritus post ambulationes esto. Vocē leniter exercere oportet, grauibus vocibus vtentem sonum edere. acutæ nāque voces capitis distentiones, temporum palpitationes, cerebri pulsationes, oculorum inflationes, auriūque tinnitus efficiunt, medio criter acuta vox edita capiti E prodest. Postea verò gestationis tempus adest ad difflandā totam capitis grauitatem opportunæ. longa sit autē, verùm citra fatigationē, neque in tortuosis regionis tramitibus, neque assiduis itineris flexi-

bus gestatio fiat: quoniam sic vertigines oboriuntur. sed rectæ & lõgæ & lenes etiam ambulationes fiant. Siquidem prandere assueti sint, panem solùm prębeto quantus exercitationibus impedimento ne sit. prius enim concoctum esse oportet. caput & manus exercendæ, horumque frictiones faciendæ. In his verò leniter agendum: vt caliditas excitetur, & caro augeatur, & vires restituantur. postea suum ipsius caput erectum fricato diutius hunc laborem sustinens. Quin & exercitationes ad ceruicis vsus, & ad manuum agilitatem faciunt, si scienter fiant. sursum verò attollendo caput atque oculos exercere oportet. Manuum exercitatio fit, aut discorum iactu, aut certando pugnis. pila verò parua & magna detrimento est. nam capitis & oculorum circumuolutiones atque intentiones vertigines afferunt. optimæ faciunt saltus & cursus. omnia velocia exercitia cruribus conueniunt, & omnia roborant. Frigida lauatio illuuie, illuuies autem calida lauatione melior. astringere, densare, siccare caput frigida lauatio efficacissimè potest:: & hic salubris status est humectare, soluere, tenebras offundere valentissimè calida lauatio potest: & hæ capitis morborum causæ sunt. tales sunt & austri auditui graues, exercitationibus quies succedat, vt perturbationem sedet. Capitis pressiones ad cutim poliendam faciunt. Aquæ, aut aquati vini propinatio confert, prãdium frugale, ac simplex esto: coma olerum assumatur, quæ ventrem molliunt, maluæ, betæ, bliti. Liquamen bonum stomacho, ori suaue, aluum leniens, neq; graue capiti, ex thymo, aut thymbra aut sinapi conficitur. Oua hyeme calida, æstate frigida, putamine spoliata, non tosta præbeantur. Oliuæ, palmulæ, salsament um opportunũ. Alica elota cum aliquo dulci, quantum condiendi c ausa assumi debet. Post hæc sal adhibendus. Ocium & quies ab audiendo & loquẽdo. ambulationibus vtatur sub aere perspirabili. delectat autem locus aut arboribus consitus, aut herbidus. Vtique vertiginosus cùm ad cœnam accedit, maximè iterum in frigida lauetur, parum vnguine corpus sublinens: si nolit, at crura tantùm. cœna triticea esto, quale est Itrion, quod est placentæ genus, aut sorbitio ex alica, aut ptisana flatu vacans, per elixationem concoctu facilis. Medicamenta verò suauiorem ptisanam reddentia sunt piper, pulegium, mentha, cepæ aut porri paulum, neque tantùm, vt innatet. acetum verò acre vtiliter assumit. Carnes ex pinguibus animalibus non pingues, suum pedes & capita. Volatilia omnia, sed multitudinem coniectura metiri oportet. lepus & venatio. gallina in promptu habetur, & iuuat. Omnia bellaria caput dolore infestãt præter palmulas aut ficus maturas, aut vuas, si flatibus homo vacet, hæc benefacient. In secundis quoque mensis vtiliter ea sumuntur, quæ facilè concoquuntur, si nidore vacant, & leuia sunt. Postea deambulatio, mentis hilaratio, in quiete ad somnum conuersio adhibenda.

Curatio

A *Curatio morbi comitialis.* *Cap. IIII.*

INgentibus medicamentis atq; valentissimis in morbo comitiali opus est. nam quoties eius in mentem venit, non modo laboriosũ malum, & periculi plenum: sed etiam generis morbi fœditatem, & calamitatis opprobrium exhorremus. atque ita existimo, si se mutuò in accessionibus spectantes ægroti, quæcunquẽ patiuntur, cernerẽt: non vltra vitam ducere tolerarent. verùm quæ singulis atrocia fœdaque insunt, sensus priuatio, intuendique sublata facultas abscondit. Cæterùm medendi rationem naturæ facilitatem sequi optimum est:
B quando per ætatis mutationes in longè diuersum hominem permutat. Quoniam si vsitatus malo victus, in quo morbus alitur, desierit: non vlterius hominem infestat. simul enim cum priore victus specie morbus recedit. Igitur si caput occupauit, inhabitat. quocirca omnia, quæ à nobis in capite De cephalæa relata sunt, facere necesse est: detrahendo sanguine, & corpore purgando. Venæ autem & quę in cubito, & frontes recta secandæ sunt: cucurbitula admouenda. non est autem vsque ad animi deliquium sanguis detrahendus: ciet enim morbum deliquium animæ. Arteriæ omnes, & ante, & post aures incidendæ. in his omnibus excellens purgatio facienda
C purgatorio, quam hieram vocant, atque his, quæ è capite pituitam eliciunt: sed multo valentiora sint medicamenta, siquidem istorum habitus est dolorum patiens: Hilaritas verò & bona spes id genus ægros miseros reddit. Opus est etiam ignem capiti inferre: proficit enim. In primis os perforare vsque ad secundam laminam oportet: deinde ceratis cataplasmatisque vti tantisper, donec membrana ab ossibus recesserit. Terebra nuda ossa circuncidere conuenit ac si paulum resistant, vsque ad spontinam auulsionem perseuerandum quousque nigra nonnunquàm istorum, & crassa membrana inuenta fuerit. Cumque per putrefactionem vel etiam purgationem
D audacter curante medico vulneri cicatrix inducta fuerit: ægrotus morbum euasit. postremò capitis ad ruborem vsque frictiones fiant vsitatæ quidem quæcunque à me superius traditæ sunt: valentior est autem, quæ fit per cantharides. sed tribus diebus ante, quàm his vtamur: lac, vt vesica muniatur, bibendum est: cantharides enim magnopere vesicam lædunt. Hæc abundè sint cum caput affectum est.

At si mediæ corporis partes causam præbent, & ab his morbus exoritur: rarissimè autem ista fiunt: potius enim mediæ partes in consensu morbi trahuntur à capite, vtpote ab ingenti malo, quod ægritudinis initium est: vtcunque igitur res habeat & in his vena cubiti
E soluenda est: à visceribus enim materiæ cursus est. Quin etiam isti magis, quàm alij purgandi sunt & hiera, & cneoro, quam thymelæam vocant, & coccognidio, quæ chamelæa dicitur. hæc enim pitui-

tam extrahunt. peropportunum autem ipsis remedium est cucurbitula. epithematum verò & cataplasmatum sylua omnibus perspecta est, & ea vbique scribere superuacuum ducimus: nisi quatenus eorum vim nosse conueniat: quòd scilicet ijs extenuare, per halitus digerere, fluxa spirabiliaque corpora reddere oporteat: & concoquentibus medicamentis calidis, aridisque. & vrinam mouentibus in nutritione, & in medicatione vtentem. sed omnibus præstat fibri testiculus sæpius in mense ex aqua mulsa potus, præterea quæcunque ex varijs composita medicamenta idem præstant, adhibenda sunt, ex viperis composita antidotus, & mithridatica ex pluribus cōstans, necnon & Bystini antidotus bibenda est: quandoquidem hæ concoquendi facultatem roborant, vtiles humores creant, & & vrinæ mouendæ aptæ sunt. nam quæcunque simplicia medimenta scribere opus esset, hisce continentur antidotis cinnamomum, casia, folia malabathri, piperis, seselisque omnia genera. & quod nam ex valentissimis remedijs in istis compositis non reperies? Fama est & vulturis cerebrum, & crudæ * fulicæ cor, & domesticos feles comesos morbum discutere. At ego istorum periculum non feci. nonnullos autem vidi nuper iugulati hominis vulneri phialam subijcientes, atque inde haustum cruorem bibentes. O ingentem necessitatem, quempiam sustinere, malum malo piaculo depellere: atqui ex ea ad sanitatem nec ne isti peruenerint, nemo verè mihi affirmare potest. Quin & quendam autorem legi, qui humanum iecur epulandum apponi præcipiebat. sed hæc illis scripta sunto, qui ad hunc vsque miseriæ terminum peruenerunt. Præterea & victu opitulandum est, & singulis remedjis, quæ aut ab alijs, aut ab ipsomet ægro fieri possunt. vtique in hoc casu nihil spernendum est, nihilque temerè faciendum, maximè quælibet exigua adhibendo, quæ penitus prosint, nihil verò lædant. Etenim spectacula non spectanda, & sermones, & edulia, & suffimenta plurima morbum patefaciunt. Igitur omnia diligenter considerandа sunt. Somnus multus crassitudo est, ocium nebula sensuum, bonum verò mediocritas. Alui excretio à somno, præcipuè flatuum ac pituitæ res optima. Ambulationes longæ commodæ sunt, non flexuosæ bonum spiritum reddunt, sub arboribus myrto, aut lauro, aut inter arbores acres & benè olentes, ac inter herbas calamenthum, pulegium, thymum, mentham, maximè quidem agrestes & sponte nascentes: sin harum copiam non habeat, humano cultu procreatas. Inter has quoque gestationes longæ, & ipsæ rectæ fiant. Itinera facere bonum est non secundum fluuium ne delabentem aquam intueatur: vertiginem enim aquæ fluxus affert. neque vllum, qui in orbem voluatur, neque turbinem, qui circum agatur, inspiciat, est enim imbecillior. quàm vt firmum stabiliat spiritū nam si-

* mergi

A B C D E

A nam simul cum circulo vertitur: circumuolutio autem vertiginem & comitialem morbum accersit. Post gestationem lenis deambulatio, posteà quies: vt agitatio in gestatione contracta sedetur. Ad hæc exercitationes manuum fiant extremis, sudario ex crudis linis confecto inuolutis: inunctio non valde pinguis sit: frictio lenta quidem, sed durior densandi causa: tumidi enim & crassi sunt plurimi. in medio verò totius frictionis caput erectum perfricetur. Exercitationes ad ceruices & humeros pertinentes, manuum commotio: omnia, quæcunque à me de vertiginosis dicta sunt administrentur. satis verò hic ex copia ibi descripta positum est: præterquàm quòd velociores horum exercitationes esse oportet ad sudorem mouendum, caloremque excitandum: hæc enim omnia extenuant. Verùm & in omni vita oportet excandescentiam iracundia vacantẽ inijcere. Alimẽta omnia ex crassis leguminib. mala: triticei verò panes sicciores præbendi: alica elota, & ex ea sorbitiones. sed medicamenta voluptatis causa eadem cum suprà positis sunto: nunc autem plura ex acriorib. ponito piper, zingiber, libysticum. Liquamina verò ex aceto & cumino & suauia sunt & vtilia. A carnibus quidem maximè in totum abstineant, sin minus in curatione saltem: in refectione verò carnes deligantur, quæcunque sunt natura leues: quales sunt volatilium, præter anatem. & concoctu faciles, vt lepores, suum pedes, salsamẽtum. & post hæc sitis vtilis est. Vini paulum bibatur albi tenuis odorati quod lotium mouet. Elixorum olerum assumantur quæcunque facultate acria extenuant, & vrinam citant: qualis est brassica, asparagus, vrtica: crudorum autem lactuca ea parte æstatis, quam horam Græci medici nominant. Cucumeres autem & pepon viro quidem robusto superuacua, nonnullis verò gustatione tenus præbenda: mala est enim horum multitudo, cùm frigida sint, atque humida. Fici viridis & maturæ vuæ vsus conuenit. Ambulationes, post eas animi oblectatio molestia carens iuuat. iracundia vtiq; & venus noxiæ sunt. Effectus enim morbi similitudinem adducit. At nonnulli medici de concubitu falluntur. Nam quoniam naturalis in virum transitus aliquantum proficit, puerorum naturam intempestiuo concubitu violarunt, tanquam citius eos roboraturi. sed isti à natura sponte præfinitum tempus, in quo omnia remedia fiunt, ignorant. Hæc enim singulis ætatib. propria simul oportunis temporib. creat. in tempore nanque concoctiones seminis, barbę, canorũ. Quis igitur medicus naturæ cum mutationem seminum à principio, tum præfinitum singulis tempus variauerit. Quin & in morbi naturã impegerunt. nondum enim in tempore quidam veneri dare operam cœperunt, ante immaturitate rei noxam accipientes. vitam autem degere oportet in regionibus calidis & siccis, siquidem res frigida atq; humida morbus est.

B

C

D

Curatio Melancholiæ. Cap. V.

A

NVm sanguinem detrahere expediat, de liberatione indiget in melancholicis.ex quo humore morbus oritur:quin etiam ex non pauca malorum succorum (Cacochymiam Græci nominant) multitudine. Itaque si in iuuenili ætate quis morbo corripitur,& veris tempore: vena in dextro cubito media cædenda est:vt à iecore sit opportunũ effluuium.id enim viscus sanguinis fons est,& bilis generatio vtrunq; verò meláncholiæ alimentum. cædenda est, inquam, licet sint graciles & sanguinis inopes:sed paulum sanguinis mittendũ,quatenus videlicet venæ sectionẽ vires sentiant,sed nullã noxam earum tenor accipiat. Nã & si crassus,& biliosus,& concretus,& ater, qualis amurca,sanguis est; nihilominus ipse naturę prædiũ est atque alimentum. Quocirca si plus,quàm decet, sanguinis effuderis,natura cibi penuria de propria sede prolabitur. At si sanguine refertus est æger, plerunque quidem non vsque adeo malus sanguis est,vena tamẽ vtiq; secanda est.verũ non eodem die.sed alijs diebus repetendo, quantum satis est,sanguinis, detrahatur:eodẽ verò die modum sanguinis mittendi vires declarabunt, medio tempore,quò aliam euacuationẽ sustinere valeat, liberalius nutriatur. Opus est autem & ventriculo ipsi quoque ægrotanti & laboranti opitulari.eũ verò si atra bilis vrget, per diem vnum prius tenuiter nutrito nigri veratri pondo drachmæ duæ ex aqua mulsa præbeantur.id enim bilem atram expurgat necnon & thymi attici coma & ipsa bilẽ atram educit.cõmodissimum est autem singulorum partem,vt ex vtroq; duarum drachmarum pondo fiat,exhibere. post purgationem lauetur, viniq́ue paulũ bibat,& alia in cibis iucunditas concedatur.stomacho enim viribus laboriosa purgatio est.posthac iterum ad media faciendus transitus.cùm prius verò cataplasmate atq; irrigatione laxaueris, cucurbitulam iecori & ventriculo,aut eius ori admoueas.nanq; hæc detractio multo, quàm sectio venæ est opportunior.tergis quoque inter scapulas cucurbitulam affigito:siquidem eo loco stomachus adhærescit, Deinde rursum reficiendus æger. Atque si alimentum vires instaurauerit, caput radẽdum:cui postea cucurbitula affigenda est.huius enim morbi inter alias prima ac maxima causa in capite est Porro neque sensus ipsi à noxa immunes sunt:nam inde ipsorum ex ortus atq; initium est. commutantur igitur & ipsi, ægritudinemq́ue participant. vtique nõnulli & sensibus delirantibus corruptè sentiunt. At stomacho potissimùm succurrendum est:cùm & ipse malè habeat,& in ipso bilis atra resideat. Igitur absinthij succum ab exiguo incipiens ad cyathi usq; mensurã assiduè deuorato:id enim ne bilis gignatur,impedimento est.Benefacit & aloe.nanque ipsa ad inferius intestinum bilem deducit. Nempè si recens malum sit,neque multum

A multum homo à naturali ſtatu diſceſſerit;alia huic medela opus nõ eſt:ſed reliqua victus ratione vtendũ,& ad priſtinũ habitum recuperandum,& ad exactam mali purgationem faciẽdam,& ad vim corroborandã:quæ omnia,ne iterum morbi reuertantur,efficiant. Victum autem in refectione conuenientem poſterius exponam. Si ab his paulũ debilitatus morbus denuò inualeſcere viſus fuerit;vehementiora medicamenta requirit:neq; in aliud tempus differendum eſt. Verum ſi ab coercitis mulierũ menſibus,aut in viro ab ſuppreſſo hæmorrhoidum profluuio morbus creatus eſt, irritandi ſunt loci,& aliquid ſoliti excrementi profundendum. Si cunctatur,neq; deſcen-
B dit, in aliam quampiam partem ſanguine prolapſo,morbus verò exacerbatur,euacuatio facienda eſt,& à talis incipiendum. Quòd ſi non,quantum ſatis eſt,ſanguinis,inde manauerit.cubiti quoque vena ſecetur.Interiectis autem reficiendi cauſa tribus aut quatuor diebus,Hieram,id eſt,Sacram,quæ purgatoriũ medicamentũ eſt,potui dato.Ad hæc cucurbitam medijs corporis partibus applicato,iecori videlicet affigẽs. Sed maturanda negocia ſunt,ac celeritas adhibenda. exiguis enim medicamentis morbus non obſequitur: ſi magnis autem non vincitur,ſed reſiſtit;tunc firma ſede melancholia nititur. Quòd ſi penitus totum corpus occupauerit ſenſus,mentem,ſangui-
C nem,bilem, neruos etiam corripuerit, & ipſa inſanabilis efficitur, & aliorũ morborũ corpori ſobolẽ inſerit,furoris,neruorũ diſtẽtionis reſolutionisq;.quę ſi à melãcholia proueniunt,ſanationẽ vtiq; accipere nequeunt. Quam ob rem ad hoc malum propulſandũ veratro vtendum eſt.Sed antequam veratum ægrotus accipiat, ſtomachum ad vomendum exerceat,& humores extenuet.& corpus fluxile reddat. Vomitiones autem hæc præſtant nonnunquam ieiuno ſtomacho nonnunquam radice prouocati. Docebimus verò & modum & materiã: docebimus & veratri modorũ vtendi ſpecies item quo pacto ſingula & diſtinguere, & ordinare prius oporteat: & quo pacto
D in vomitionibus ſubueniẽdum ſit, indicabimus.Incredibile eſt autẽ niſi ab his funditus cõuulſus eſt morbus, at multorum ſaltem annorũ interuallo non ſopiri,plerunq; enim poſtea melancholia rurſum ſuboritur. Quòd ſi iam firmas radices egit,nihil iam vltra differendum eſt: ſed quæ ad veratrũ pertinent,omnia adminiſtranda. Nempè ægroti omnes ſanari non poſſunt:medicus enim Deorũ potentiam anteiret verùm dolores ſedare,morbos intercipere,atque obſcurare,medico fas eſt. Itaque nimirum his,quæ poſuimus.adhibitis, medici defatigantur,ſeque aliud quicquam facturos negant.atque duas cauſas,aut morbum inſanabilem eſſe,aut omnia ſe remedia
E tentaſſe prętexunt. Nihilominus tamen ſacram ex aloe medicinam ſubinde præbere haud alienum eſt:ſi quidem opportunum melancholię ſubſidium affert,ſtomacho & iecori ſubuenit,bilemque deij-

ciens mirificè prodest. Quin etiam maluæ seminis pondo drachmã A ex aqua propinare optimum esse quidam experientia compertum habuit. Infinita præterea sunt simplicia medicamẽta: quorum alijs alia vtilia sunt. Post id genus labores demum reficiendus æger est: quibusdam enim quandiu medicatio adhibetur, tandiu morbus permanet, quanuis labefactatus ac debilis: at si homo carnes resarciat, ac vires instauret, simul omnia morbi vestigia obliterantur: nam potentia naturæ sanitatem, imbecillitas morbum parit. Propterea ad refectionem conuertatur ægrotans in aquis sponte calidis sæpe commorans. medicamenta enim, quę in his sunt ingenita, opem ferunt, bitumẽ videlicet, aut sulphur, aut alumen, ac multo his plures B aliæ facultates. Bona vtiq; est humectatio morbi squallorem tollens, & curationis vexationem mitigans. Raræ autem ac molles carnes ad ęgritudinis remissionem maximè faciunt: verum siccę ac densæ melancholia laborãtibus carnes sunt. Inunctio pinguis cum leui frictione adhibeatur, cum multo autem oleo, hæc contineat.

Multa deficiunt.

panes loti cũ vino aliquo dulci theręo, Cretensi, & scybellite, quod Pamphyllũ vocãt: aut vinũ & mel, quę iamdiu permixta fuerint. oua & frigidiora & calida, putaminibus nudata: non pingues carnes vim C detergendi habentes: porcorum pedes, & capitis partes: auium alæ pingui carentes: venatio, vt leporis, caprearum, damarum carnes: fructuũ autumnalium quisquis optimus fuerit. Stomachi subuersioni consulẽdũ est ante cibũ, quò minus deuoratus reijciatur. quare ante omnes cibos mulsæ cyathi dimidium dandum est, bibitumque per vomitum reddendum: quò stomachi excrementa purgentur. sic enim cibus in ventriculo firmus residet. At medicamina necessariò educendorum purgatoria sunt pini fructus, & vrticæ: semina coccali & piperis, amygdala amara. mel eis consistentiam præbeat, Sin exiccare volueris: optimè proficit myrrha, & iridis radix, & medicamen ex viperis, & Bistini, & Mithridatis antidotus, et id genus alia D propè infinita. Exterius apponenda sunt cataplasmata, quorum materia est fertula, & papauer, & terebinthi lachryma, & hyssopum, & oleum ex rosis, aut ex œnanthe. cera autem hæc omnia cogantur Inunctio pinguis, gestationes, deambulationes, & alia, quotquot carnes reficiunt, & vires instaurant, & naturam in antiquum statũ reuocant, administrentur. *Sextum & septimum caput deficiunt.*

De curatione Phthisis, seu vlcerum pulmonis.

Cap. VIII. Carens principio & fine.

quemadmodum in naui & tranquillitate. nam si rectè habuerit E ægrotans anmari gestatio fieri poterit: atque ibi vitam deget. cum

A vlceribus enim quiddam siccum marina salsugo communicat. à gestatione quiete concessa vtendum in præsentia pingui oleo. post frictiones oleum cum aceto infundatur, paulum primò, deinde adijciendũ vsq; ad heminas quinq;, aut sex, aut multo plus etiã: sin minus at saltem quantum quis ferre poterit. multoties enim vel id solum, pro omni alimento satisfecit. Lac verò assumptu suaue, potu facillimum, nutritu solidum, & qualibet esca à pueritia familiarius est. preterea visui colore delectabile, medicamen arteriam nõ asperans, guttur læuigans, ad eijciendam pituitam facilem spiritum reddens, inferiorem exitum lubricum efficiens, vlceribus dulce subsidium,
B & quolibet alio benignius. siquis multum lactis potat, nullo alio eget alimento. in morbo enim bonum medicamen est lac, eiusdem & alimentum efficitur nam hominum lacte vescentium nationes frumentum non edunt. optima verò est cum lacte & puls, & bellaria, & alica lota, & quæcunque edulia ex lacte fiunt. quòd si et alia esca indigeat: eiusdem generis esto. ptisanæ cremor concoctu facilis, tenuis materiæ est. eatenus verò condiendus erit, quatenus absorptu facillimus sit. siquid etiam saporis iucunditatem afferens capiat: & illud medicamentum esto: qualis est ligustici coma, pulegium, mentha, salis exiguum, acetum, aut mel. si ventriculus non
C concoquit: huiusmodi exhibenda sunt. At si nihil ventriculo tale exhiberi necesse sit: omnibus ptisana præstantior est. Licet & ptisanam in alicam permutare: minus enim flatuosa, & concoctu facilior est: si quemadmodum & ptisana extersa deglubitur. In humidioribus reiectionibus faba vlcera purgat, sed flatibus redundat. item pisum & ochrus, qui & quantò pauciores flatus citant, tantò minus vlcera purgant. Itaque medicus coniecturis ductus, prout præsentia postulant: his vti debet. istorum quoque condimenta sunto quotquot de ptisana memorata sunt. At oua ex igne quidem aquea calida: sed ex animalibus nuper ædita optima sunt, priusquam eã, *
D

De curatione vlcerum Iecoris, & puris ab eo effusionis.
Cap. XIII. Carens principio & fine.

* Cætera desunt.

in iecore vlcus perniciosum insit. periculosissimus autem est, qui in ventrem fit, saniei confluxus, si stomachum occupet, qui viam superiora petentibus præbet. Alimentum enim vitæ causa est: ipsius verò alimenti dux est stomachus. insuper medicamenta intimis corporis partibus stomachus distribuit: quapropter si ad qualibet deuoranda malè se habeat, celerius ægrum morbo atque fame consumi necesse est, Hæc sunt cuiusque loci, quo se pus conuersurum est, inter
E se differentes notæ. Nam si per intestina delabitur: tormina vexant, aluus liquida est, pituita & bilis fertur: deinde cruentum virus circunfluens, aut humiditas aquæ similis, in qua crudæ carnes

demersæ lotęque fuerint. Si pus in vesicam defluit: grauitas in renibus lumbisque sentitur. ac primò lotium multum & bile infectum: postea turbulentum, nullam subsidentiam continens, quam Græci Hypostasim dicunt, inconstansque decurret: ad extremum verò & sedimen album apparebit. Si n ad stomachum sursū versus pus rapitur: tunc orietur nausea, odium cibi, vomitus pituitæ, aut bilis, defectus animæ, vertigo vsque eò, donec pus erumpet. Pręcipuum sanè fuerit in aliam partem auertere. praua enim hæc via est. Quòd si pus violentius feratur: omnia facienda sunt, stomachoque succurrendum escis, medicamentis, victusque ratione. Sed omnia leniter adhibenda. Medicamentis quidem vt sinus effringatur studendum est: herbam itaque hyssopum cum mulsa potui dato, & marrubij comam ipsam quoque cum mulsa & succo absinthij, Hæc vtique, quò humores extenuentur & viæ lubricæ reddantur: & purulenta corpora facilè rumpantur, ante cibos bibere expedit Dandum est & asininum lac lene, bilem non generans, benè nutriens, in caseum non spissescens: quæ lactis virtus est. Ad hæc ægrotanti gratificandum in cibo & potione: quos, & si paulo deteriores iuuantibus sunt: nihilominus tamen concedito. nam stomachus nauseam mouenti & contristanti humori transitus erit. siquidem nonnullos puris exitus offendit, Cauendum est etiam ne ieiuni sint: cumque aliquid cibi capiunt, * illud purum syncerumque sit. Opus est autem & in cæteris effluuijs diligentissimam stomachi curā suscipere: quandoquidem ipse omnibus medicamentis iter præbet. Meminisse quoque iecoris oportet, vbi vlcerum radix est. Porrò si pus in vesicam impetum facit, vrinam citantibus eliciatur: vtputa assari radice, phu, adianto, & meo potabilibus. hæc enim ex mulsa potui danda sunt. Bistini vtique varium medicamentum, & quod ex vesicario solano conficitur, & quotquot experimento aliquibus probantur: optima sunt. Verùm enimverò si per intestina educere malis, tibi lac eductorium esto, præcipuè quidem asinæ: id si non adsit, capræ, aut ouis. Succi autem lubrici & abstergentes præbeantur: qualis est ordeaceus. Obsonia sunto piper, zingiber, lygusticum. vtque semel de omni victus ratione absoluam, in qualibet puris eruptione alimenta sint boni succi, stomacho vtilia, concoctionem facilè admittentia. ea verò sint aut cremores, aut ex lacte pultes, & cibi ex amylo, & bellaria cum lacte. *

*puri sinceri que sint.

Margin letters: A B C D E

Curatio Lienis. Cap. XIIII.

SCirrhi in liene geniti discussiones non facillimæ sunt. quòd si & ab hoc oriundi morbi proueniant: vtpote aqua intercus, aut malus habitus: insanabile malum effectum est. Hac ratione verò scirrhis medicus opem ferre debet: orientes auertere, & nuper incipientes

A pientes discutere oportet: inflammationibus autem resistendum. Siquidem scirrhi inflammationibus ad difflationem tendentibus veluti hæreditario iure succedunt: hæc enim inflammationis germina sunt. Porrò ijs remedijs vtendum est, quę à me in sermone De acutis morbis relata fuerunt. Si tibi omnia facienti in inflammatione scirrhus immaneat: igni quoque similibus ad molliendam duritiam vtitor: irrigationibus ex aceto, oleo, & melle. Sed lanæ vice panni lintei complicati accipiantur. Sic vnguentariæ glandis puluis cribratus inspergendus est & cataplasmatis quàm mollissimis. †

B *Reliqua istius libri deficiunt.*

ARETAEI CAPPADOCIS
DE CVRATIONE DIVTVRNORVM MORBORVM,

Liber octauus.

IVNIO PAVLO CRASSO Interprete.

In hoc libro continentur.

Primum caput deest.

A

De curatione Diabetis Cap. II.

Diabetes hydropis species



Itium Diabetem, quod vocant, si causam & effectum consideres, hydropis species est. sola corporis parte, per quam humor exit, differens. nam ascitæ conceptaculum membrana illa est, quam Græci peritonion vocant: neque humoris exitum habet sed eodem loco residens inundat. In diabete humiditas ab affecto corpore eodem modo fertur, & liquescentia membra tabescũt. In renes autẽ ac vesica vt illac fiat exitus, humores decurrũt. At in aqua intercutẽ laborantibus, si morbus ad sanitatem inclinat, per hanc viam humor dilabitur, bona est autem causę conuulsio, non sola oneris leuatio. Hos autem sitis vehementior discruciat. Effluens nanq; humiditas aridum corpus destituit: In hoc morbo colliquatio per eas rationes submouetur, per quas & aqua inter cutẽ. Ad sitim verò extinguendã magno medici artificio opus est, siquidem in eiusmodi malo hoc cætera tormenta longè superat. Atqui si humorem biberint, vrina citatur: quæ insuper et excurrens ea quę in corpore sunt liquefaciens secum euocat. Remediis igitur sitim lenientibus opus est. Sitis enim magna vexat, & inexplebilis adest potandi auiditas. neque enim etiam si, quantumlibet æger biberit, siti mederi potest. prorsus autem stomacho, vnde sitis fons emanat, succurrendum est. Igitur vbi sacro medicamento ventrem solueris, nardum, mastichen, palmulas, cydonia mala cruda superdato. Nempe horum succus cum nardo & roseo vnguento ad irrigandum optimè facit: cataplasma verò ex ipsorum carne cum mastiche & palmulis conficitur. Sed cera & nardino vnguento hęc bene excipiuntur atque miscentur aut Acaciæ & Hypocysthidis succos ad irrigationes et cataplasmata sumito. At ei potio sit & aqua, vbi poma decocta sint. Alimentum sit lac, & cum eo cibi amylũ, alicaq;, & ex his fiant sorbitiones. Vina adstringentia exhibeantur, quo ventriculo tenor comparetur, eadem sint bene diluta, vt alij humores attenuentur ac eluantur. Salsi enim sitim excitant. Vinum verò adstringens simul, & refrigerans corpus immutat ac bene temperat. Ad vires autem instaurandas vinum etiam dulce, qualis est sanguis, optimè facit, sanguinem enim procreat. Medicamenta ex varijs composita eadem sunto, quod ex viperis constat & Mithridaticum, aut ex pomis confectum, & alia, quotcũq; hydropi subsidio sunt. Quinetiam vniuersa victus ratio ac vita eadem instituatur.

Hydrops per lotium leuatur. *Diabetæ colliquatio curatur, vt Hydrops.* *Diabetæ sitis quomodo tollatur.* *Diabetæ potio conueniens.* *Diabetæ cibi vtiles.* *Vini astringẽtis & refrigerantis vtilitas.* *Vinum dulce vires optimè instaurat.*

B C D

De calculi renum, atq; vlceris curatione.
Cap. III.

DE Inflammatione, & sanguinis effluuio, & alijs renum vitijs, quotquot celeriter enecant, in libris de Morbis acutis cōprehensum est: sed de vlceribus, & calculorum, creatione, quę plerunq; senibus commoriuntur, in præsentia maximè scribimus, quam proximè poterimus ad salutem acquirendam collimantes: sin minus eam assequi valuerimus, at saltē vt mali acerbitas leniatur enitemur. Nempe vt innata calculorum fœcunditas ad sterilitatem commutetur, fieri non poteſt. facilius enim vterum concipiendo fœtui inha-

Calculi creandi, inclinatio naturalis tolli non potest.

B bilem quis reddat, quam calculis generandis aptos renes, à calculorū generatione prohibeat. Quapropter ad transitum calculis expediendum vtcunq; opem ferre decet. Igitur si summā sedem occupant, auxilia monstrabo. Nam vehementer dolent: Interdum etiā torminibus, & laxioris intestini voluulo. & vrinæ retentu consumpti sūt. Renes enim, & laxius intestinum sese contingunt. Itaq; si caculi vrgeant, præterea non feratur vrina, & intestina torqueantur, venam malleoli, quæ rectà affecto reni opposita sit, incidito. nam sanguinis è renibus effusiones calculorum adstrictiones relaxant, quoniam plegmone ceu vinculo adstricta occupat omnia. vasculorum autem

Calculosorū symptomata.

Renū & coli vicinitas.

Calculosis quę vena secanda.

Calculosis renibus cur venæ sectio prodest.

C inanitio phlegmonem soluit. Lumbos quoque, vbi renum sedes est, madefacito, sed in oleum, seu vetus, seu recens sit * rhytem iniicito. vrinæ autē eliciendæ conuenit anethi coma, rosmarinus, aut sampsuchus, amaracusue. Aqua verò, vbi hęc incocta sint, locum affectum perfundito. parum enim inunctiones facerent. veruntamen his etiā vouere oportet, bubulis vesicis chamemalino oleo repletis. cataplasmatum ad hunc morbum materia cum farinis eadem esto. Nonnunquam & sicca cucurbitula calculorum vexationem sustulit: optimum quoque fuerit, si super inflammatione scarificaueris. cæterum si hęc te faciente adhuc remanent calculi, in oleum hominem demittito.

Lumbi renū sedes.

**Rutā*

Vrinæ eliciēdæ idonea.

Calculis renum sicca cucurbitula prodest & scarificatio.

D id enim simul omnia præstat. Nam tepor relaxat, & quodammodo lentorem affert, Acrimonia verò ad excernendi promptitudinem irritat. Hæc vtiq; ad calculorum exitum faciunt, ipsosque prouocant. Inter simplicia verò medicamenta radices hę potui dandæ sunt: phu, Mei, Asari. herbæ autem: Betonica, Trissagone, aut Petroselinum, aut Sium. Inter varia ea vnguenta deligito, quæcunq; constant, ex Nardo, casia, Myrrha, cinamomo †

Calculosis mirè prodest descensus in oleū.

Calculosis vtiles radices & herbæ.

ducendę cicatrici sinapi auxiliabitur, & ab igne crustę, et epithemata quæ suprà diximus. At victus ratio, & inunctio, & nauigatio, et in mari vitæ traductio, hæc omnia renum morbis subueniunt. †

A

De seminis effluuij curatione. *Cap. IIII.*

ET propter affectus iniucunditatem, & propter eliquationis periculum, & propter humani generi propagandi necessitatem, seminis effluuium, cum malorum omnium causa sit, maturè tollendum est. propterea quamprimum communi omnibus effluuijs medendi ratione vti decet, ea adhibendo, quę partes vesicæ & locorum alueis finitimas adstringant: itē lūbos, ilia, testes, ne diutius genitura profluat, refrigerando, postea rursū omnę corpus, quo recremēta siccētur, calfacito. adstringendo sanè atq; irrigando hęc apta sunt, lana B ab oue carpta cum sordibus, oleum verò sit, roseum vnguentum, aut ænanthinum cum vino albo odorato: paulatim verò calfaciendo, oleum vulgare, & fertula in eo cocta, & sampsuchus, & rosmarinus, aut conyza adhibeantur: optimè facit & Anethi coma, & magis etiam ruta. At his ad cataplasmata vtitor ordei, & erui, atq; irionis seminis farina, itē & Nitro, sed mel, quo omnia conspirent, & colligantur, accipito. Eiusmodi quoq; cataplasmata imponenda, quę rubram cutem faciunt & pustulas excitant, & fluorem deriuant, & locis teporem inducunt. Tale est cataplasma viride, & quod ex lauri fructu constat. Sæpe quoq; castoreum potandum, & solani vesicarij radicis quantum est denarij pondus, & menthæ decoctum. Ex medica- C mentis varia cōtinentibus, quod ex duobus piperibus constat, & quę symphonus, idest, consonans, vocatur, & philonis antidotus optima sunt. & potabile medicamentum, quod ex fera, quæ sincus dicitur, compositum est, & Bistini antidotus, & quæ ex viperis reptilibus cōfecta est. Sed cuncta victus rationi danda sunt. permittere quoq; exercitationibus aliquid, & credere opus est, ambulationibus scilicet, ac gestationibus: siquidem hæc ad calorem, quo affectus hic indiget, habitum conuertunt. At si à venere quoq; temperet, et frigida lauetur, hominem quamcelerrimè ad virilem statum conuersum iri sperandum est. D

De vitio stomachi laborantium curatione. *Cap. V.*

IN alijs morbis post curationem victus ratio ad vim roburq; corpori addendum egregie bona concoctio est: in solis autem vitio stomachi malè habentibus hæc mendosa est. Igitur qua ratione ipsa comparetur, explicabo. Nam gestatio deambulatio, corporis, vocisque exercitato, nec non & cibi concoctionē iuuantes ad stomachi cibos fastidiētis vitium expugnandum satis erunt: sed diuturnam cruditatem sanare, atq; aridum corpus carnosum efficere hæc eadem E nequeunt. cęterum multo plus opis ęgrotantibus afferet meditus, si in his eis gratificabitur & omnia mundè administrabit, & eorum cupiditatibus

Vocis exercitatio concoctionē iuuat.

Gratificandum ęgroto in quibus.

A piditatibus, modò ne valdè noceat, obsequetur. sic enim facere optimum est, vbi rerum valde iuuantium appetitus non accedat. At medicamenta potabilia eis præbeantur succi, Absinthium, & Nardi vnguentum, & antidotus è uiperis, & apij saxatilis semen, & zingiberis, & piperis, & seselis. hæc enim concoctioni fauent. Quinetiam pectoris adstringendi causa imponantur Nardi, Mastiche, Aloe, Acaciæ & Malorum cotoneorum succus. ipsæ quoq; malorum carnes cum palmulis pinsitæ adstrictoria impositio est. Ad hæc & alia, quęcunq; à me in Diabetę curatione, ad leniendam sitim scripta sunt: eadē enim & in his sitim cient. Sed stomachi tenor vitio stomachi
B laborantibus minimè siti obnoxius est.

Concoctionutilia semina

De curatione Cœliacorum, idest ventriculo malè habentium. Cap. VI.

SI cibos distinguere ventriculus nequeat, sed alimentum non coctum dilabatur, non commutatum, crudum, nihilque ex eo in molem corporis abeat, hos cœliacos Græci vocant, ventriculosos nobis vocare liceat. In causa est caloris ad coctionem facientis insita refrigeratio, ac distributoriæ facultatis imbecillitas. Igitur ventriculum quàm primum à laborib. vacare oportet, per quietem atq; ieiunium. Sic enim vires in antiquum statum redeunt. Verùm si humorum multitudo stomachum obsidere videatur, ante cibum vomitus per aquam, aut mulsam prouocandi sunt. Ventriculum autem integito, & cum adstringentibus madefacito, lanis quidem ab oue sordidis, vnguine verò rosaceo vnguito aut œnanthino, aut malino. optimum etiam fuerit, si lentiscino, & hypocisthide, aut omphacio, cum his verò & cataplasmata superdentur. ad tactum quidem calida, sed facultate acerba, & adstringentia. præterea si qua in parte iecoris, aut in porta ventriculi distentiones, inflammationesue incumbant, cucurbitulam affigito, & incidito, ac nonnullis id solum remedium satis fuit. posteaquam verò ceratis vulnera cicatrice obducta fuerint, duritiemque contraxerint, eò bestiolas hirudines admoueto. Deinde concoctoria epithemata imponito. quale est, quod ex seminibus constat. Si chamæleontis radicem habet, optimum est, & in quo lauri baccæ permiscentur. nec non & malagma viride, quod vocant, ac meum, quod mysterium, id est arcanum, voco. Nam hæc molliunt, & vellicant, & calorem excitant, & viscerum flatus discutiunt. quibus ad constrictionem opus est, Verùm & sinapis, & Limnestis, id est, Adarce, & Euphorbium, & omnia, quotquot eiusmodi sunt, refrigerationem quidem arcent, calorem autem reuocāt. Eiusmodi quoque medicamenta adstringendi causa propinanda sūt. In primis quidem plantaginis succus opportunus est, ex aqua myrtis

cœliaci.
ventriculosi

(C and D, E margin letters appear beside lines "triculum quàm primum", "bant,cucurbitulam", "di sunt, refrigerationem".)

aut cotoneis malis adstricta. optimum est & semen acini vinacei ex vua immatura. Deinde & ventri opitulantia medicamenta potabilia quotquot ex zingibere, & pipere, & apij syluestris in saxis nascentis semine conficiũtur: quod ex veris viperis constat summopere coagmentatiuum. Quòd si per hæc nihil, aut parum proficiatur, vomitionibus per raphanos lacessitis vtitor. Verùm si & albi veratri radicẽ in his per noctem vnam abdideris, valentissima tibi purgatio successerit, per quam & frigidi humores purgabuntur & excernentur, calor autẽ accendetur. At victus quoque ratio, vitaque ipsa hac moderatione ducatur. noctu dormiatur, interdiu ambuletur vox exerceatur. Gestatio aut inter lauros. aut inter myrtos, aut inter thymum fiat. Siquidem perspiratio, atque spiratio medicamentum quoddam coctionẽ adiuuans secum habet. Exercitamenta adhibeantur, frictiones * alterum iactibus manuum iactione. pectoris ac ventris labores, præbitiones. nam minimè promptus ad robur addendum panis est. ad hæc ruboris per medicamenta excitatio, Deambulationes lentæ. *

Spiratio ac perspiratio vim habent coctionis adiutricem.

Reliqua desunt vsque ad Caput XII.

De Curatione morborum in Articulis & Coxendice Cap. XII. carens principio.

ciborum & raphanorum plerunq;: deinde ad veratrum veniendũ est. in his victus ratio aliarum affectionũ cõmunis est. & post victus rationẽ inunctio, lauatio in frigida, marina præcipuè, quidem omnibus articularibus vitijs communia medicamenta sunt. nã & podagricis veratrum mirificè, sed in primis morbi inuasionibus succurit. Quòd si multis iam annis inueterauit, vel & à maioribus per successionem descendit: ægrotum ad mortem vsque comitatur. Artuum exacerbationibus hoc sanè pacto subueniendum est, lanę ex oue sordidę adhibeantur: irrigationes fiant ex rosaceo & vino: nonnullis & spongia ex posca profuit. Ad hæc cataplasma fiat, panis sumatur cum refrigerantibus, vt puta. cucurbita & cucumere. Accipiatur & cucurbitula tenuis, & plantago herba, & rosarum folia, Necnõ et sideritis dolorem sedat cũ pane & musco: & symphyti radix, & pentaphyllos herba, Quinque foliũ Romani vocant & marrubiũ, quod folijs est tenuibus, huius decoctum quidẽ infusum dolorẽ leuat. ex ipsa verò herba cum panis micis, aut cum ordei farina cataplasma fiat. Malorum quoque citriorum pars nõ apta cibo cum polenta magnopere subuenit: Fici aridi & amygdalæ cum aliqua farina. Hæc vtique est refrigerationis materia. Et hoc quidem remediorum genus aliud alium iuuit: & idem interdũ alium atq; alium. Nonnullis verò calefacientia remedio sunt: atque idẽ remediũ aliàs alijs opitulatur. Peruulgatum est autem & hoc ad dolorem tollendum valde proficere. Caprum

A pram oportet herbam iridem ad satietatem depasci: deinde interposito tempore, quantum ad pabulum in ventriculo conficiendum satis sit, capram immolare: atque intra eius ventrem in fimo pedes ægrotantis occulere. Demũ infinita sunt medicamenta: ægrotos nanq; sibijpsis remedia parare vrgens impellit calamitas. Sed medicorum auxilia in proprijs libris conscribentur.

Curatio Elephantis. Cap. XIII. & vltimum secundi voluminis. De curatione longorum morborum.

MOrbis, quò dissoluátur, maiora esse remedia opus est. Sed quęnam medela excogitari poterit, quæ elephantem tam ingens
B malũ expugnare digna sit? neq; enim in parte vna, aut viscere vno inhærescit: neq; aut intus duntaxat labes occulitur, aut extra prorumpit: sed & in penetralib. totum hominẽ occupat, & exterius totũ amplectitur. Triste profectò, & visu terribile spectaculũ. feræ nanq; species est. ac vnà cũ his viuere; vnà cibũ capere perinde, atque in pestilentia, formidolosũ est. etenim per inspirationis communionem facilis infectio est. Quod igitur quispiã in arte medica inueniat, quod huiusce mali dignum remedium contineat? Verũ enimuerò omnia cõferre simul oportet medicamenta, & victus rationem, & ferramenta,
C & ignẽ. Hecque si nouo & orienti affectui adhibueris: sanationis spes affulget. Sin ad summũ suæ creationis ascendat, in visceribusque stabilis sedeat, in super & in faciẽ inuadat: tunc de ægri salute spes omnino abscissa est. Itaq; venas in cubito ambas incidito: incidito & venas in malleolis eodem die: temporis enim interiectio atq; separatio fundendo vbertim sanguini, & recreandis virib. aptior est. nam sanguinem sæpè & multum mittere operæ precium est: quippe vitij huius alimentum sit. exigua verò ipsius pars est optima, quæ naturæ cibum præbeat, Idcircò qua ratione prauum inquinatumque detrahatur, atque interim corpori familiare ac bonum procreetur, coniectandũ est:
D quoad alimenti penuria morbus prius fatigetur. noua enim esca applicata corpori spatio temporis antiquam obscurat atque debilitat. Postea medicinam sacram non semel propinato: qnin omnia sæpius iteranda sunt, & resumptio, & ad priora reditio. Esto & alia medicamentosa in cibis purgatio: sicut antea De curatione doloris coxendicis diximus. Lac etiam promiscuum atque indiscretum, sed largius ad aluum molliendam potui detur. verùm quintam aquę partem, quò lac totum dilabatur, atque descendat: adijcito. At ieiunos primò ad vomitum celerius ducito, deinde à cibis iterum, postea assumptis raphanis. frequenter autem atq; assiduè omnia fiant. Vera-
E trum quolibet tempore, sed potius verè atq; autumno diebus alternis exhibeto: atque idem in proximum annum repetatur. Cęterùm si morbus inualuerit, potabilia medicamenta, quotquot quis cog-

nouerit, potanda præcipiat. multa enim ac varia adhibere medica- A
mēta est operęprecium. Atqui & ego, quoquot mihi cognita sunt, literis mandabo. Cedriæ cyathum vnum, brassicæ duos miscens dato. Aliud, sideritidis succi cyathus vnus, trifolij cyathus vnus, vini & mellis cyathi duo. Aliud, dentis elephanthi ramentorum drachma cum vini * cretici cyathis duobus. Quin etiam viperarum reptilium ferarum carnes & ipsę in pastillos conformatę bibuntur. oportet autem & caput & caudam ad quatuor digitorum spatium pręcidere, reliquum vsq; eò elixare, donec spinę separentur: carnes verò in pastillos redactas in vmbra frigefacere: qui potioni, quemadmodum & scylla, exhibeantur. Ipsæ quoque viperæ in cœna obsonio dentur: B
quas coquere, & condire perinde, ac pisces, opus est. At si medicaminis illius varij ex viperis compositi copia adsit, id pro omnibus, quandoquidem omnia simul continet, bibendum est. Præterea corpus detergendum est, tumoresq; * calefaciendi. Alia item medicamenta sunt innumera Celtarum, quos hac tempestate Gallos vocāt. Nitrosis quoq; illis factitijs globis, quibus velaminum sordes expurgant, saponemq; vocant: illis inquam, globis corpus in balneo detergere optimum est. Et portulaca, & sedum cum aceto benè facit. Rumicis etiam radicum decoctum cum sulphure ignem non experto sūmopere deterget. Illud itē variū ex & alcyonio trito, & nitro & C
aceti fæce cōbusta, & alumine fisso, & sulphure viuo, & costo, & iride, & pipere. forsitan autē omnia pro singulorū viribus miscenda sūt. Aliquibus verò & hoc ęquis portionibus compositum inspergentes pertricabimus. Faciei tumoribus sarmentorum cinerem alicui ferarum adipi admiscens illinito, leonis videlicet, aut pantheræ, aut vrsi. sin his careas, animalis, quod græcè χλωαλώπηκα vocant: latinè vulpanserem dicas. (quod genus auis est, si per literas χ & η prima syllaba scribitur aut laconicum canem significat ex vulpe & cane natum, si per κ & υ eandem syllabam scripseris) simile enim * in dissimili, quemadmodum simia homini, mirificè prodest. Item ammoniaca gutta cum D
aceto, et plantaginis, aut sanguinalis herbæ succo. & hypocisthis, & lycium. Si carnes liueant: prius quò locus succulentus reddatur, scarificandus est. At si ab acribus fluctionibus exulceratas partes lenire volueris: fœnigręci decoctum aut ordei cremor molle abstersorium est: item ex oleis rosaceum, aut lentiscinum. Assiduę verò lotiones & ad corporis madefactionem, & ad noxiarum humiditatum difflationem mirè proficiunt. Esca munda esto, boni succi creatrix concoctu facilis, simplex: & victus ratio prorsus rectè instituta sit in somno & vigilia, in ambulationibus & locis deligendis Exercitationes adhibeantur, cursus, conuersiones corporis, perę aut sacculi iactus. E
omnia hęc citra lassitudinem aptè & congruenter intendantur. Esto & vocis emissio spiritus opportuna exercitatio. Vestis esto munda,

non

* diluti

* cōplanādi

* vnum

A non modò vt aspectu iucunda sit: sed quoniam etiam sordida cuti mordacia sunt. Ieiuni absinthite vinum potent * Oppidò quam vtilis est panis ex ordeo, & salsamentum tempestiuum, & exiguum quid maluarum, aut brassicæ semicoctum cum cumini liquamine. In cœna pastinacę radix apponatur, & alica cum vino & melle antiquo mixtis: & mirina quotquot ventrem subducunt, tellinorum iuscula, ostrea, erinacei, & ex piscibus saxatiles: ex terrestribus feræ lepus, aut sus: inter aues perdices omnes, palumbes, columbi, & quęcunque optima in illa regione inueniuntur. Inter fructus arboreos illi admittantur, quos Græci Horęos vocant: quòd ea parte anni

*prandiū est.

B maturescant, quam ijdem Græci Horam appellant. Vina dulcia vinosis meliora. Balnea sponte calida sulphurosa iuuant. vita in aquis diu ducenda est & mare, & nauigatio conueniunt. Præterea per veratrum purgationes fiant. Album quidem superiorem ventrem, atrū verò inferiorem purgat. Quin & album veratrum non vomitum tantùm molitur: sed etiam omnium simul purgantium medicamentorum efficacissimum est, non multitudine & varietate excrementorum: id enim & affectus ille, qui Cholera dicitur, præstare solet: nō distentionibus & violentia in vomendo (ad hoc enim & nausea & mare validiora sunt) sed potentia & qualitate non vitiosa, quippe

C quæ laborantibus sanitatem reddit per exiguā purgationem, & modicam intentionem. vetustorum præterea morborum omnium firmis radicibus inhærentium, si cuncta alia medicamina viribus inferiora sint: id vnicum remedium est. siquidem igni facultate persimile est album veratrum: & quod ignis exurens facit, eo plus veratrū interius discurrens operatur: videlicet facilem spirationem ex difficili, ex pallido colore floridum, & ex macie corpulentiam *

Quæ deficiant quære initio huius libri VIII.

T

HIPPOCRATIS COI DE PVRGATORIIS MEDICAMENTIS LIBELLVS IN LATINVM SERMONEM versus. nunquam ante hac editus

IVNIO PAVLO CRASSO PATAVINO INTERPRETE.

Quare purgatorium medicamentum non inconsiderate exhibendum. Cap. I.

B



EFFectus à purgatorijs medicamentis prodeuntes, non quales reputantur, existunt. ab eodem enim medicamento purgantur & non purgantur. Interdum autem alia purgat, quã qualia purgare consueuit: nonnunquam vltrà modum purgauit: nonnunquam &, quæ debuit, effecit. Quare nemo purgatorijs medicamentis fretus ea inconsultò exhibere potest.

Purgatorij medicamenti incerti esse. Non Inconsultò dandũ

Cibaria comparat purgatorijs medicamentis Cap. II.

NEmpe suspicari conuenit & cibaria nos alentia purgatoria esse medicamenta, sed minus, quàm illa. Si quidem homines ijs rectè vescentes prospera valetudine fruuntur: non rectè, aduersa corripiuntur: Sin autem immodicè, purgantur quidem perinde, vt à meris purgatorijs medicamentis, sed parcius ac serius, quàm à meris il-
D lis medicamentis. Constat igitur & hæc purgatoria esse medicamenta. Veruntamen tardiora cum sint, & nobis familiaria, quotidie corpus intrantia, si temerè negligenterque præbeantur, intempestiuè homines perturbant, & quodammodo ægros faciunt. At syncera & acuta medicamenta purgatoria. siquis inscienter, ac sine consideratione præbeat, is nihil quicquam vtilitatis effecturus est.

Cibaria quãdo purgatorij medicaminis vicẽ gerunt. Purgatoriũ medicamen temere oblatum.

Quæ quib. medicamenta purgatoria exhibenda Cap. III.

E ITaque in primis biliosis hominibus, quod bilem purgat præbere opus est: pituitosis, quod pituitam: Aqua intercutem laborãtib. quod aquam: Atra bile refertis, quod atram bilem educit. Quòd si præter hæc quicquam pur-

Purgatoriũ quibus dare expedit.

ges, profectò quæ conuenit non purgabis, quæ verò non A
conuenit, euacuabis. atque sic in vtroque peccabis.

Quæ scire prius oporteat, quàm purgatorium medicamentum purgando homini exhibeatur.
Cap. IIII.

Purgatoriũ medicamentum daturus quæ scire prius debeat.

QVando igitur cuipiam medicamentum purgatoriũ daturus es, siue infrà siue suprà purgare velis, eũ prius interroges oportet, num anteà purgatorium aliquod medicamentum potauerit: & num assumptis, medicamẽtis aluum ducentibus, ea promptè ac celeriter obediat, B an renitens ac dura sit? Quòd si promptam esse, ac facilè solui respondeat, lenioribus, atque minoribus medicamẽtis egebit: At si dura contumaxque sit, valentiorib. opus erit. Idem verò modus & in medicamentis suprà euacuantibus seruandus est. Verùm si nunquam se neque suprà neque infrà purgatum esse, aut purgatorium medicamentum bibisse affirmet, nouisse oportet, nunquid cum rectè valet, ab his quæ corpus intrant, eius ventriculus facilè infrà soluatur, aut facilè suprà ad vomitum excitetur: aut siquando ipsi ad saturitatem repleto alui profluuium acciderit. Hæc omnia percontari necesse est, quo rectè capere consilium possis. Nam fœda calamitas est, hominem, cui purgatorium medicamentũ dederis, interficere. C

Medico quæ sit magna ignominia.

In quibus morbis, & quibus temporibus purgatoria medicamenta danda sint. Cap. V. D

Purgatoria inualidis febribus cur ante remissionem non danda.

QUicunque validis febribus occupantur, his purgatoria exhibere medicamenta, quoad febris non remiserit, minimè conuenit. At siquis exhibere velit, saltem citra quatuordecim dies ne exhibeto. Nam carnes ipsorũ ac ventres calidiores cum sint, medicamentum intercipiunt, nihilque expurgantur. Tuncque febris inualescit, & color permutatur: felleoque humore suffunduntur. Agitata enim bile, & non expurgata, neque sorbere volunt, neq;

A neque bibere: sed omnia auersantur, & plerunque intereunt. Verùm si obtinuerit medicamentum, ante meridiem quidem nihil purgatur, à meridie verò dum purgatur, nimis inanitur, & ad mortem ducitur. Cæterùm si diem hunc euaserit & simul cum purgatione febris remiserit, sanitatem recuperat. Quocirca in validis febribus medicamentis purgatorijs vti non conuenit. At si qua purgatione indigeat æger, aluum subluere, quoties velis, expediet: minus enim periculosum est. Eadem quoque ratione æstiuo tempore, quinquaginta dies à canis B exortu, ab vsu purgatorij medicamenti cauendum est: sed alui per clysterem lotionibus vtendum quandoquidem idẽ periculum imminet.

Clysterũ vsus in febribus vtilis.

Purgatorijs qua parte æstatis vitandum, & eius loco clysteribus vtendũ.

BREVES INTERPRETATIONES SEXTI LIBRI DE MORBIS POPVLARIBVS HIPPOcratis è voce Palladij Sophistæ collectæ.

Initium prædicendorum.

B CVM paulo antè recta via morbos acutos exciderimus & naturæ aduersantium curationi operam dederimus, nunc ad alteram commētationem accedamus: postq;.n. acutorum morborum curatio tradita est, forte quispiam dicere posset, curatio ista eorum, quorum notitia non præcesserit, mihi est inutilis. propterea hoc loco morborum notitiam explanat, sed non omnium. Morborum enim quidam sparsim vagantes dicuntur, qui aliàs alios, atque vt fors tulit, hunc tertiana, illum quottidiana, pro temperamenti victus vitæq; rationis & reliquorū cognatorū diuersitate plurimos inuadunt. id genus mor
C bos & ferme in uulgus grassantes, libri aphorismorum, & de signis futurorum exponunt. At alij sunt morbi cōmunes. multos eiusdem vrbis homines infestantes. istorum autem cōmunium aliqui sunt familiares, qui ex aquæ limosæ aut immundę potione creātur. & quod nōnulli sine discrimine lacte vescūtur: & ab vrbis positione aut Boreā, aut Austrum spectantis, & in loco edito, aut humili conditæ. Nam ab his morbos, & multis vulgatos ciuitates contrahunt, vnde & Eudemi, hoc est populo consueti appellantur. De his in libro de Aere, locis & aquis scriptum est. Alij quoque sunt communes morbi, qui ex aeris secundum qualitatem mutatione proueniunt, vtpote hyems
D quæ frigida & humida esse debet si calida & sicca fuerit, aut frigidior, & humidior, aut calidior & siccior. Itaque ex huiusmodi mutatione oriuntur morbi, qui inusitati, & epidemi, hoc est, vulgares, aut populares nominantur verum si aer non modo secundum qualitates mutatus fuerit, sed etiam aut ab insepultis cadaueribus, aut ab aquis stagnantibus inquinamenta quædam susceperit, & inde morbi gignuntur, à quibus plerosque necari si contingat, Pestilentia id malum nominatur. Igitur de his popularibus morbis, in aliis libris, qui Epidemij vocantur, sermo factus est in præsenti autem de sparsim vagantibus maxima ex parte differere, ac circa ipsos signa eorum, vnde
E pręsens affectus proficiscitur, indicatoria explorare constituit, curationem verò prætermittit, vel quoniam & discernendi, & curandi tēpus ipsi non suppetebat, vel quoniam publici morbi communem

quandam cum alijs,& quandam sibi propriam curationem habent: communem quidem, quando spurij morbi euenerunt (quomodo enim calida intemperies sanetur nouimus,pariter & frigida, & sicca, & humida) priuatam verò,ac propriam ab effectrice causa,ab ægrotantis temperamento,atque habitu elicimus.Porrò communem curandi rationem in Aphorismis perhibuit, particularem omisit, cum singularia comprehendi nequeant,& quoniam auditores in his exercitandi sunt. Nempè,id est præsentis voluminis propositum, ac magna vtilitas, talium autem vulgarium, & malignorum morborum dignotio,& causa narratur:neque enim aliàs solas cœli tempestates in primo libro exponit,quandoquidem ibi multa id genus de re legitima docet. Nam septem cum sint de morbis publicis libri, primus & tertius omnino Hippocratis legitimi sunt & elocutione, & sententijs,sed professione alieni. Ipsorum nanque pręcepta in pellibus conscripserat Hipp.ipsa posterius & verborum decore expolire constituens. Verũ cum id facere non præuenerit,ea nactus Thessalus eius filius elocutione Hippocrate indigna enarrauit. Itaque nos medici rebus,non verbis operam impendentes,ipsos libros ex præceptis deligimus. Eius inscriptio est proposito congruens, Epidemius.s.vt quidam aiunt,quod vbi ea scripsit,quę varias vrbes peragrans obseruauit, deinde tanquam historicus, scriptis mandauit, quos videlicet morbos per vrbes vagans,idẽ græcè ἐπιδημῶν forte vidit,eos descripsit,ac ea de causa librum hunc Epidemium inscripsit: sed Hipp.ob ea,quæ docet nomen imposuit. Porrò totum opus in septem capita distinctum est,hę partes autem Hippocratis sæculo nõ quærebantur.quot enim quæ docebantur,tot etiam segmenta erant. Lectionis ordo per se liquet. Nam quæ naturalia sunt,his quæ præter naturam semper anteire debent. Quam ob rem liber de hominis natura,ac de pueri natura ordine præmittatur,inter ea,quæ sunt præter naturã.i.tractatio de morbis sparsim vagantibus pręcedat: quos Aphorismi exponunt.postea libri de morbis publicis vni loco peculiaribus,quos Endemos græcè vocamus,hos liber de Aere, locis, & aquis enarrat: postremò libri Epidemij, idem, de morbis popularibus legendi sunt. Item aliter partiendi morbi sunt. Alij nanque crebrò,alij rarò,alij rarissimè eueniunt Crebrò euenientib.liber Præsagiorum assignatus est:his,quæ rarò, liber de Aere, locis, & aquis:rarissimè autem apparentibus,liber Epidemius id est,de popularibus morbis inscriptus. Id opus ad partem medicinæ speculatricem redigitur.neque enim in eo curatio traditur, verum ad antegressam & externam causam morbus reducitur.at cum in docẽdo morborum causæ inuestigantur, sub partem medicinæ causarum enarratricem sermo redigitur. Docet autem & affectionum indicia. Igitur & sub eam partem cadit,quæ de signis agit,quod si nonnunquam de temperie,

Ordo librorum Hipp.

B C D E

A perie atque habitu laborantis mentionem faciet, ſub parte de natura loquente collocabitur. Modus verò docendi miſtus eſt. alicubi enim aphoriſtico vtitur, quando à morbi malignitate vrgetur: alicubi enarratorio. Sed miſto vtitur, vbi affectus ſæuitiam explicare cogitur, ne quid ob breuitatem deliteſcat, veritus. ſed forſan, ac reuera neque miſtus eſt hic docendi modus, verùm ipſe ſibi quandam doctrinæ rationem magis nouam, & altiorem excogitauit.

Quibuscunque ex deperditione circa vterum, & tumoribus in capitis grauitatem permutatur, in ſincipitis dolorem. & quicunque alii ab vteris, iſtis octo aut decem menſibus in coxendicem deſinunt. In hac parte lectiones plures

B inueniuntur: nam ὁπόσαις & ὁκόσαις & ὁκόσησι meminit autem & deperditionis. quod ſi ita ſolùm habet, præpoſitionem *de* accipimus, & hoc nomen, *perditionem*: ſi verò legatur *ex deperditione* præpoſitionem *ex* accipimus, *deperditionem* autem, vnã partem orationis, nomen ſcilicet, ſimpliciter quidem abortum ſignificat. Mentionem facit & vteri, nonnulli ſcribunt, *circa vterum*, alij *ab vtero*. vocatur autem à Græcis *hyſtera* (quod latinè ſignificat poſterior) vel quoniam poſt principes partes numeretur, vel quod poſterior ſuam operam præbeat. Vocatur etiam Gręcè μήτρα & δελφὺς & γαστήρ Mentionē facit etiã œdematis. & recentiores quidē ex pituita genitū tumorē œdema vo

C cant: ſed Hippocrates quęcunque tumorem ſub œdematis nomine comprehendit, ſed per ea, quę adijciuntur, diſcernit, nam cum dicit, *œdema laxum, & dolore vacans*, verum œdema intelligit: ſi dicat, *œdema calidum, & dolorem excitans, & tangenti renitens*, phlegmonem, id eſt inflammationem ſignificat. at ſi dixerit, *œdema tactui renitens, & dolore vacans*, ſcirrhum exprimit. Hoc loco igitur phlegmonē œdema vocat. Meminit etiam capitis grauitatis, quàm καρηβαρίαν vocat. Eſt autem hæc dolor capitis ab extendentibus, et mordentibus et grauantibus exoriens, quæ propriè eſt grauitas capitis. Meminit etiam ſincipitis. eſt autem ſinciput laxum. oſsibus cōſtans, qui-

D bus madefacientia imponimus, vbi cerebrum humectare volumus. inde & locus iſte græcè *Bregma* vocatur. Porrò caput ita fabricatum eſt, vt partem quandam excelſiſsimam habeat. quæ vertex appellatur: alteram inferiorem, anterius poſitam, quæ frons nominatur. inter has medium eſt ſinciput. nam depreſſus vertex, & elata frons ipſum conſtituunt. nec eſt huiuſce particulæ enarratio. Quærendus eſt autem eius ſenſus. inquit igitur, *Quòd ſi mulier prægnans fiat, & genituram contineat vſque ad quintum, aut ſextum menſem, & dum partus expectatur repente fiat abortus vel à cauſa externa, vel ab inteſtina: externa, vt*

E *puto excandeſcentia, aut ſaltu, aut frigido aere: inteſtina verò, ut ab aliquo vitio corporis abortus quidem euenerit, ſed partui conueniens purgatio non apparuerit, ſed ſuppreſſus ſanguis fuerit, & intus manens diſtenderit, dolorem, & in-*

flammationem concitauit: hac genita capitis grauitas superuenit, præcipuè circa sinciput, neque hæc desitura est, nisi in coxendicem materia decubuerit. A
& hæc est orationis huius sententia. Considerandum est autem, quã ob causam hæc eueniant. quod facto abortu, & partus purgatione suppressa, *capitis* grauitas exorta sit. & quæ nam sit vteri procul à capite iacentis affinitas. neque enim neruis ad voluntarium motum facientibus refertus est vterus, neque musculorum extremitatibus paucos etiam neruos sensum deferentes sortita est: multas autem venas, & arterias habet, ex quibus & secundæ contexuntur, atq; inde cor & iecur, non cerebrum, eius malis participare opus fuit. Quid igitur vterũ esse neruosũ imus inficias? minimè. Verùm nerui quidẽ B
euidẽter nõ insunt: sed queadmodũ neruus dilatatur & cõprimitur, distenditur enim in grauiditate: post conceptionem coarctatur. atque inde neruosa dicitur. Igitur quæ nam erit causa, vt ab eius tumore caput grauari contingat? respondemus, vterum quemadmodum suprà, & infrà, & antè, sic & retrò iuxta lumbos appendices & vincula habere. Quocirca ipsa cum inflammatur, & ista tenduntur, vnde lumbi dolore afficiuntur, hi dolentes ob continuitatem cum tota spinali medulla dolorem communicant, ea verò cum cerebro eius fonte, inde & capitis grauitas oritur. Cæterùm non omnino hæc interpretatio vera est. asserit enim caput extendi: nos autem grauari dicimus. C
At veram enarrationem afferentes dicimus, quod vbi inflammatur vterus, febris accenditur, non quælibet, sed vocata Synochus, cum fiat ex sanguine: inde multi spiritus & fumi surgentes, in totius corporis culmen subuolant, & grauantes καρηβαρίαν id est capitis grauitatem efficiunt. atque hoc ita se habet. Cæterùm qua de causa ex omnibus capitis partibus præcipuè sinciput dolore torquetur? tres esse causas ostenditur. Anatome. n. pandit per infundibulum duas magnas arterias in caput ascendere, circa sinciput desinentes. quocirca, cũ à febre copiosè spiritus gignuntur, istius in locum, vbi naturaliter multi spiritus erant, id est, in arterias confluunt. Hæ suscipientes tẽ D
duntur, ac sincipiti impertiunt. aut quoniam prouidens natura cerebrum superuacuis abundaturum, quæ partim ab omni corpore (vt pote loco edito positũ) suscipiat, partim ipsum (vt pote frigidũ) sibi generet, plures ei suturas concessit, neque suturas duntaxat, verùm & sincipitis ossa laxa, & grandia fabricauit. quo per ea transpiratio fieri, & ad ipsũ remedia introduci possint. Hoc igitur tempore multis spiritibus genitis, & in caput ascendentibus, eius facultas circumuoluitur, ac spiritus digestionem quærentes, non ad durissima sed ad mollissima ossa feruntnr. & sinciput penetrare conãtia ipsũ dolore cruciant. ergo aut propter id, aut etiam quoniam in sinciput E
plures musculi & nerui desinũt, vt exquisitè sẽtiens maximo dolore infestetur. Hæc vtiq; rectè dicta sunt. Quod aũt sequitur, *octauo aut decimo*

A *mo mense in coxendicem desinit.* neq; interpretatus est Galenus inquiës, *id in artis operibus non videri, sed potius hæc adiecta esse. quare non scrutatus est Hip. vtrum circa octauum, an circa decimum mensem illud eueniat.* Ex dictis igitur aliqua tanquam super addita, aliqua tanquam firmiter asserta explicauit. quod scilicet quibuscunque mulieribus facto abortu, & partus purgatione non accidente tumor exortus fuerit, huic grauitas capitis, & sincipitis dolor euenit, & eidem in coxendicem decumbet. Sed dictis verbis *mulierib. facto Abortu & purgatione puerperij nõ accidete.* hęc adijcienda, corpori vteri, ne solœcismi species inesse videatur, Integra itaque lectio, ita se habeat. *Quibuscunq; mulieribus facta corruptio*

B *ne, & puerperij purgatione non accidente, tumor in vtero factus sit, ijs caput graue sit, & potissimum in sincipite, & circiter octauum, aut decimum mensem in coxendicem decumbit.* Si verò M. An verò à conceptus, an ab ortus tempore mensis numerandus sit, non inquirit. falsa est enim oratio. Sed quid ea verba significant. *Quicunque alij ab vteris?* Respondemus, quod quæcunq; de vteri inflammatione dicta sunt, eadẽ etiá de quouis alio vteri vitio dici debẽt. Aut quod cerebrũ, cũ vterus inflãmatur afficitur. & quælibet imbecilla particula ab vtero illatá vim patiens.

Acutum habentes caput, siquidem validam ceruicem habeant, & alijs robusti sunt. capite autem dolentes, & quibus ex auribus sordes effluunt, istis pala-

C *tum concauum est, & dentes malè locati.*

Hęc utpote Hip. ad reminiscentiam scripta neque inter se cõtinuantur. nisi forte ita dixerimus, tumore in utero genito caput malè affici, & acutũ maximè. Nam id genus figuræ imbecillitatem facultatis significat. Verũ postq̃ in sermonem acuti capitis incidimus, & eius species inqrimus, capitis figuram pręter naturam indagare importunũ ducimus, nisi prius naturalẽ scrutati fuerimus: quoniá si paruum magnũq; caput vituperatur, non nisi in magno corpore vituperatur. sed quam ob causam, dicere nequeo, nisi cor angustum, & non altũ pectus reprehendatur, prius dixero. Itaq; scire oportet, naturam

D cordis pulmonisq; domicilium pectus esse voluisse, atq; ideo latum ipsum esse oportere. quòd si angustum factum sit, hæc viscera inter se colliduntur: cumque multi spiritus ibi sint, animal suffocatur: * eadẽ ratione & paruũ caput malũ est, natura. n. uoluit & ipsũ magnum condere. nam, licet vna eo pars contineatur, multi tamen spiritus insunt, propterea uitiosũ est. Verũ ne quis ex dialectica speculatione dicito: paruũ caput vitio datur, magnũ laudi. neq;. n. hoc sẽper laudatur, sed etiam damnatur, maximè si ex humore sordido creatum sit. at si ex bonę materię multitudine & à valida facultate, id vtiq; bonũ censendũ est, quoniá si caput cũ decẽti figura grande fuerit planè bonum est.

* *vitiatur*

E sed quæ nam sit decens & naturalis capitis figura. quæramus. Nempe cognoscẽs natura animam ratione præditam, eiusq; potentiam in cerebro domiciliũ habere ipsamq; animã è globoso cœlo descendere,

eam in quadratã, aut triangulam, aliamúe figuram intrare non per- A
misit,sic.n. perturbanda erat: sed orbiculatum caput figurauit,verum ob auriũ positũ,ipsum leniter vtrinq; explanauit.quo ab utraq; parte exæquato arterior pars atq; posterior in gibbũ necessariò curuatur.ac siquid fortè in hoc erratũ sit,acuminatũ efficitur:huius octo formæ proueniunt vna si antè & post auctum sit,aut in aliquo diminutũ. quod nõ admodũ solemus acutũ nominare & cũ anterior pars aucta posterior minuta fuerit:aut cõtra posterior aucta, anterior minor facta sit. Hæ verò quatuor species simul patientibus ambabus partibus eueniunt. Interdum una dũtaxat patitur.nã anteriore illæsa posterior minor creatur, aut è contrario posteriore nihil passa, an- B
terior in maius augescit.cum aliqua istarum formarum genitum caput acutũ appellatur,multotiens verò & posteriore minimè vitiata anterior exilior euasit sicut & anteriore nil vitij habẽte posterior in maius crescit.Has igitur formas acutorũ capitũ intelligit Hippocrates quod scilicet,ubi acutã figurãvideris,ne statim accuses, sed prius explorato, nũquid vitio materiæ an virium imbecillitate id euenerit & figurã proponit inquiens:*Si acutum sit caput, sed ceruicem validam magnamque habeat, bonum est*, quoniam robusta facultas magnum cerebrũ creauit.vel quoniam è cerebro nascens,spinæ medulla magna est, ipsam quoq; cõtinẽtes vertebræ magnæ erunt.& propterea bonũ esse C
dicitur: inde nanque magni nerui musculique oriuntur. Iccirco in omnibus validi sunt ad animales vitalesq; facultates. Hæc enim à forti potẽtia fiunt.quæ nisi bene se habuisset cerebrũ, suppeditata nõ fuisset:neq; multus sanguis nõ bene habente iecore: neque calor,nisi rectè cor valeret. atque inde membra omnia fortia sunt:sed ossa præcipuè, quæ secundum medullæ dorsi proportionẽ generantur: Nam queadmodũ nauigii tabulæ ad carinæ magnitudinẽ parãtur,sic & ossa omnia secũdũ vertebrarũ magnitudinẽ à natura fabricantur: Etenim si grandes sunt colli vertebrę,grandis erit & scapula.propter hãc & Iugulum,propter quod & humerus & ob ipsũ cubitus & radius,propter D
quos & extremę manus.Hęc quidẽ de superiorib.partib.dicta sint. Itẽ si magna erunt vertibula, magnum erit & ea sustinens sacrum os, ob ipsum coxa & femur. ob femur tibia & fibula, ob quas & pes extremus. vides,quomodo acutum caput laudatur: Quid ergo, semper ne laudabitur? minimè. Sed tum damnatur,cũ inualida facultas capiti decoram figuram formare non potuit. Verùm vnde hoc iterum diiudicare poterimus? Hippocrates vt pote breuiloquus consequentia dicit,, antecedentia silentio præterit. ipsum enim dicere oportebat acutum habentes caput præ imbecillitate patiuntur. verùm id subticens symptomata narrat,quod videlicet capite dolent. Nam ob infirmam facultatem acutam formam significat. omni autem fluori succumbit infirmitas. inde capitis dolor exoritur quoniam materia repletur E

pletur

A pletur cerebrum, vnde sensus omnes humore inundantur. sed Hippocr. solum de auribus neque frustrà mentionem fecit. quia cerebrũ per omnes sensus expurgatur, sed multum per nares & per palatum minimum verò per aures. quod neruosæ ac duræ sint illæ particulæ, Itaque, inquit Hippocrates, *si aures, quæ antea cerebrum ita exiliter purgabant, vt sensu percipi non posset, in præsentia sunt adeo repletæ, vt non amplius sordes tantùm, verùm etiam humores effundant, multo magis & cæteri sensus, qui semper, & secundum naturam humorem eijciunt.* Alio quoque symptomate laborant acuti capite. acutam enim figuram, sed non quácunque, vituperat. Sed eam, quę ex prioris cerebri sinus dimi-
B nutione contingit. Igitur si anterior sinus minor effectus sit, & ad posteriora secesserit, symptoma quoddam sequitur. nam docet Anatome, superiorem maxillam capiti articulo copulatam, & superioris maxillæ pars est palatum. Ergo si ad posteriora caput recesserit, maxilla quoq; superior ad interiora secedit. inde & palatum concauum efficitur. At superiora maxilla introsum regressa, si inferior extrorsum vergat, inter se dentes non committuntur, sectores in medio nõ cum sectoribus, non canini cum caninis, neque molares cum molaribus, Districti. enim sunt. nõ inferiores ab inferioribus, neq; superiores à superioribus, sed superiores ab inferioribus.

C *Quibus cunq; os à palato recessit, his medius nasus subsidit. Quibuscunq; verò inde vnde nascuntur dentes, extremus nasus simus efficitur.*

Iterum sermo iste ab antepositο abscissus est. neq; vllam cum eo continuationem habet. Quemadmodum in acuta figura maxilla erat auulsa, ita & nunc patitur, adeo, vt naso noceatur. mihi dissectiones ostendere cum capite superiorem maxillam articulo esse cõnexam, quatuordecim ossa habentem, sex in oculis, duo secundum molares dentes. duo in naso, duo in extremo mento, & duo alia palati infra nasum, id enim & nos docuit anatomica contemplatio: nasum videlicet ab vtroque latere duo ossa continere, & in eorum medio
D quandã cartilaginem. Hinc & dilatatur, & adstringitur. Hęc vtiq; cartilago à dextra & lęua molarium dentium ossa habet, & infra palati ossa, supra verò menti: in quibus nasus firmamentum habet. At sæpenumero in palato vlcus depascens oritur. palatum autem est oris cœli pars interior. Quocirca in eo putrilago fit, atque adeo maligna, vt non squamæ modo ab osse, verum & ipsum os, aut vi putredinis, aut medici opera excidere cogatur. Igitur si os, quo medius nasus fulcitur, inde ablatum sit, inibi medius nasus simus efficitur: quod si talis affectus circa mentum eueniat, atq; inde os exciderit, nõ amplius extremus nasus sustinetur: quare pars illa nasi iuxta dentes sima red-
E ditur.

Infantium fulgores cum pubertate nonnunquam mutationes habent.

Et alias infantes Hippoc. vocat non lactentes, sed pueros. Quemad-

modum & Herophilus inquit. *Infantes non caluescunt, non concipiunt*: id A
est, pueri. nonnulli codices habent, *epilampsies*, & nihil refert, alij, *epilepsies*. & has omnes lectiones comitiales affectus significare volût interpretes. Nam si legatur, eclampsies, hoc est, Fulgores, ita dicit, in pueris non admodum effulget calidum, sed ob seminarium humorem, & ob confusam viuendi rationem veluti caligine obductus est, vnde & ipsorum sensus hebetiores sunt. Sed vbi ad vigorem peruenere, tunc humore siccescente, ipsisq; temperatiore victu vtentibus, purum atq; syncerum calidum efficitur. Verum si legamus *epilepsies*, dicimus, si ex temperamento, aut ex victu pituita exuberante, non potueris ipsam curare, ne propterea expauescas, frequenter enim B
aduentante pubertatis ætate vehementior calor euadit: quapropter conuenienter pituitam dissoluit & extenuat, vnde morbus in vigore sedatur. At si cognatum & familiæ proprium hoc vitium sit: non vigoris ætas, non pubertatis, non medicus ipsum discutere potest. quemadmodum neque pulmoniam, neq; coxendicis dolorem. Hoc enim est, quod ab Hip. dictum fuit. *In renem dolor grauis*. Sed est alterius sermonis initium. & per comparationem adiectum est. falsum est enim quoniam pueris dolor grauis in renes incumbit. siquidem ipsius est illa sententia, quæ dicit. *Aetate vigentibus calculus in renibus maximè generatur, pueris autem in vesica.* C

In renem dolor grauis; cum cibo implentur, vomuntq; pituitam. vbi verò dolores abũdauerint, æruginosa. & leuiores quidẽ euadunt. liberãtur autẽ, cũ vomitu euacuati fuerint, arenulæq; ruffæ subsidũt, cruenta vero meiunt. stupor autẽ femoris è regione positi. Quiescere non expedit, sed exerceri. non expleri. Iuuenes veratro purgare, poplitem incidere. vrinarijs purgare. Extenuare simul, ac mollire.

Non docendi causa, sed ad propriam reminiscentiam hæc scribens Hippocrates disiunctis sermonibus tradit. Siquidẽ initio vterini affectus, & acutioris capitis mentionem fecit: postea & palati vitiorũ, & puerilis morbi. nunc de renali dolore sermonẽ facere aggreditur. D
Verùm quemadmodum omne vitium, quod in ischio, id est, coxa fit, *Ischiadicum* à Græcis dicitur, sed magis proprie *Ischiasis*, quando cotyla, seu hemina mucore oppleta est, ita & quicquid mali circa renes oritur, nephritis vocatur, siue instrumentum, siue simplicem partem infestet. Sed propriè vocatur calculus, aut in cauitate aut in renis sustantia genitus. qui morbus & lithiasis græcè nominatur. De hoc igitur affectu Hippocrates nunc differere statuit. Iterum docendi methodo seruata, quæ ad verborum significata pertinent, intelligamus: deinde quæ ad sententiã, atq; sic autoris mentẽ cõsideremus. Itaq; doloris grauis meminit. Hoc nomẽ graue, ambiguũ est. nã E
graue dicitur, quòd ponderis sensũ præbet, & quod acerbũ molestumque est: vtrumque nunc significare congruenter potest. Mentionem

facit

A facit & pituitæ, quam græca voce phlegma appellat. Sed per hanc appellationem solet Hippocrates modo inflammationẽ, modo frigidũ, humidumque succum intelligere, quemadmodum & in præsentia facit, Meminit etiam hoc nomen. σιτίον quod de tribus dicitur. Nã succus, qui in stomacho ex cibis gignitur, quem chylum Græci scriptores nominãt, sition dicitur. Sic appellatur & purgamẽtũ, quod ab edulijs genitũ intestinis continetur. sic & sanguis, ex quo nutriendũ corpus est, nominatur. Nunc quid significet sciemus. Aeruginosũ verò malignæ bilis species est. Et hæc, quantum ad verba attinet, satis sunto. Porrò inquit Hip. morbum calcularium fieri, teque ipsum curare debere. fit ergo à calculo dolor grauis. Nouimus enim ipsa

Phlegma

Sition

B renis cauitas quales neruos habeat: quocirca neq; dolore torquetur. sed calculi pondere grauatur. At si dixeris ipsum vehementi, & acerbo dolore cruciari, tum scito, calculum è cauitate egressum, per ipsum renis corpus penetrasse: quod neruos habens dolore afficitur. Quòd si tibi ægrotus dixerit, se retrò, & lumbos versus dolorem percipere, tunc rerum corpus dolet: verùm si tibi dixerit, se anterius, ac deorsum, iuxta imum ventrem, & in longum extento dolore vexari, tunc è renis cauo per meatus vrinarios calculum detrudi pro certo habeto. talis est enim vrinæ canalium positio atque figura. Nam

C angusti ac prælongi sub imo ventre extenti sunt, primum quidem indicium est hoc. Secundum, vter ren sit affectus demonstrans, proximi femoris stupor est. Stupor autem est deprauatus sensus, & motus priuatio, & refrigeratio. nam corporum dissectiones vtrunque docuere: quod scilicet ex quibus partibus renes, neruos, ab ijsdem & femora suscipiunt. Quam ob rem patiente rene nerui quoque patientes ægrè sentiens, ac difficulter mobile femur efficiunt: quin etiã femur refrigeratur. Siquidem & dissectiones ostendunt, renes vltra ipsorum proportionem venis esse refertos. Atque vnde renes, inde & femora venas accipiunt. Currit igitur natura ad renẽ vt pote dolo

D re affectũ: inde & femur sanguine priuatur, ipsius vasis simul inclinã tibus, & hac de causa refrigescit. Istis verò & pituitosus vomitus excitatur. Dictum est enim in parte dignoscendi artem tradente, coli & renum morbo laborantes, pituitam vomitu reijcere, & in colico affectu, sine controuersia: in renali autem, quoniam ex doloris magnitudine fit perturbatio & tumultus. Inde quæ in stomacho sunt in angustum rediguntur. qui si conditam pituitam continet, eam per vomitum exturbat. Item & aliud signum est, quod videlicet stomacho repleto maiori dolore torquentur. nam vbi multus succus est in ventre, ipsum distendit, qui distentus reni dolorem infert. venter quo

E que stercore tumens renem premit. Nec non & copiosus sanguis vascula tumefaciens renem dolore infestat. eo magis, quo plura vasa continet. At si dolores inualescent, æruginosa quoque bilis euomi-

tur. siue in stomacho genita fuerit, siue & ex toto corpore illò confluxerit. vbi enim multæ vigiliæ præcesserint, renumque vitia, & dolores, à quibus stomachus incenditur, multam bilem generat, quæ reijcitur. Plerunque verò neque eo loci generatur, sed aliunde illuc fertur. nam stomachus, vt pote renibus adiacens labefactatur. atque sic imbecillior effectus est, & acuto sensu præditus omnẽ fluxionem attrahit: sed præcurrit, quod est tenuius. Quid est autem bile tenuius? atque inde biliosus iste succus per vomitum extruditur. Porrò sciendum est in renibus calculum à calore humorem percoquente generari, qui ex materia pituitosa conficitur. & hoc temporis spacium requirit, prout calor materiam exurit, atque inde varię calculorum formę gignuntur. nam si multus fuerit calor, calculum nigrũ creat, si debilior, rubicundiorem, albiorem. ac pro succorum diuersitate calculi sandarachinum colorem induunt, aut atrum, aut ex pallido & albo, aut ex ruffo flauoq; compositum pro vario, (vt dixi) succorum discrimine. Quinetiã temporis differentiæ lapillum multiuariàm colorant: siquidem longius nigriorem, breuius candidiorẽ ipsum efficit. Quemadmodum enim in pane qui assatur, ita & calculo euenire dignoscimus. Itaque ipsum curare decernimus: verùm fortasse & ante curationem aliquid vtile ipsa natura molitur. Sed aliqua morbum leuant, aliqua perfectam solutionem afferunt. Etenim si per vomitum pituitam euacuabit, leuamentum sequitur. nam pituita stomachum premens, & per stomachum renes, eiicitur. Sed prius in flatus dissoluebatur: quæ suscipiens ren, vtpote imbecillior distendebatur: Ex toto autem morbus tollitur, si arenulæ diuersum habentes colorem secundum caloris, & materiæ, & temporis differentias ęductæ fuerint. Verùm quoniam hoc loco Hip. renalem affectum ex crassiori sanguine fieri supponit, ideo inquit, *Si rubicundæ arenulæ vnà cum sanguine per vrinam expulsæ fuerint, ægrum morbo liberari faciunt.* Tu verò dicito: Si arenulæ humoris morbũ facientis colore imbutæ vacuentur, hęc vtiq; à natura administrata curatio est. Quòd si nihil natura moliatur, tu curationẽ aggredi debes. ad curationẽ verò accedens prius quidem totius corporis curam habeto, ne fortè recrementis abundans, in renem transmittat. Verùm post totius corporis curam & ad renis laborantis medicationẽ te conuertas, & membro accommodatis remediis vtitor. Hæc est vna regula. Altera est ita præcipiens: non modo reni medeberis, sed etiam præseruabis. nam sæpenumero ad ipsum primo materia delabitur. quam natura inter initia inuentam robusta propellit: atque idem bis, ac ter præstare valet: at metus est, ne demum vires labefactentur, atq; amplius influentem materiam reprimere nequeant. Quamobrem renes confirmata consuetudine lapidem creabunt: itaq; ipsos præmunire tenorem addentibus oportet, ne amplius inuadentem materiam

suscipiant

A ſuſcipiant. Tertium præceptum huiusmodi eſt. Ab omnibus eandẽ ſeriẽ habentibus indicationẽ accipito. His præmiſſis, curatio quomodo ſit adminiſtranda, videamus. Et primùm quidem naturam imitabimur, & ipſum ad pituitæ vomitum ducemus: neque in corpore multum cibum morari ſinemus, id eſt multum ſuccum, vt ventris inflationem euitemus. neque multum ſtercoris, ne propter inteſtini diſtentionem adiacens ren opprimatur. nam quod ob ſtercoris obſtructionem renalis morbus multotiẽs exacerbetur, per anum infuſa renum dolorem ſedantia manifeſtant. Quinetiam neq; multum ſanguinis in corpore dimittamus, ne multa conceptacula dolentia diſtentaque renem dolore afficiant. Hæc igitur ante cauen-
B da ſunt. Itaque ad curationem accedens, ac toti corpori proſpicere cupiens, ipſi abſtinentiam cibi præcipito, ne fortè ex alimento nimio pituita congeſta calculum generet. Iubeto ipſum exerceri. ſolet enim motus humoris craſſitudinem extenuare, atq; digerere. Sed neque vehementibus, neque multis exercitationibus vtendum eſt: ne fortè ex multa commotione excitatus præter naturam calor lapides gignat. Neq; modo calor augeſcat, ſed etiam materia eo loci cõgregata, tenuiori parte diſſipata craſſeſcat, quodque remanſit terrenum, lapideſcat. Quocirca moderatis exercitationibus vtatur, atque
C his conſuetis cum naturalibus muneribus fungitur. & hoc quidem ad præcautionem pertinet. neque enim auſus eſſet Hip. in ipſo morbo, & aſperrimo dolore ſæuiente exercitationes imperare. Et hæc locutus *Nerodicus febrientes curſibus, aut lucta interfecit.* Sed hæc ad præſeruandum attinent vultq; laborantem Hip. per multum otium, ac pedetentim exerceri. Quod reliquum eſt, ad totius corporis curationem accedit. ac redundante ſanguine venam, non quamlibet ſed reni propinquam in poplite ſecari iubet. Ex qua enim coxendicis vena ren, ex eadem poples ramum ſuſcipit. multas autem & inferius propagines habet: ſed nos ſuperiorem incidimus. vt materia ce-
D leriter detrahat: qua ratione fœmoris quoque è regione poſiti venam protundimus. At ſi non fuerit materia, ſed qualitas, purgationem adhibemus, verùm eo ſeculo, quo medicamenta niſi veratro Hip. purgare poterat? quod nos hiſce temporibus, ob nimium ſordida, & excrementoſa corpora euitamus. Hip. verò corporibus vtpote purioribus exhibebat. Cęterum ſi multitudo ſimul & qualitas adſit, ambobus vtendum erit, prius quidem vena cędenda, vt tranſpirationem moliamur, deinde purgatorio corpus mundabimus. Hinc enim & ab eiuſdem ordinis rebus indicationes eliciantur, ſcilicet ab ętate vigenti, & conſuetudine, à verna tempeſtate. Sed Hip. ſoli-
E us iuuenilis ętatis mentionem faciens, & reliquorum eiuſdem naturæ conſideratione tibi inſinuauit. Hactenus vniuerſali curatione vſi ſumus, modo nos ad renis ipſius medelã transferamus. Decoctis

vrinam cientibus, calculumque exterere valentibus vtemur. quale A est Damasonium, Inquit etiam in curatione renum Hippocrates, *extenuandum simul est; & molliendum*, & id sanè, quàm congruenter, dixit. Nam cum dixisset, *venam incidito, aut purgato* ætate florente fortè quispiam ei obiicere potuisset, si esset puerilis ætas, in hoc non poterimus curationis præcepta seruare? poterimus vtique. Sed debemus lapidi conterendo magnopere studere. primum quidem quoniam puerilis ætas est, secũdo quod lapillus per vascula vrinaria euasurus est, ea verò & angusta, & lõgiuscula sũt: propterea ipsũ humiditate teneriorẽ efficere debemus, ne aridus cũ sit, meatibus illis inhærescat, atq; sic dum lentè excernitur, pluribus horis dolorem infe- B rens laborantem discruciet. Et hæc est vna interpretatio. Altera est, quòd plerunque calcularis morbus à materia vnà cum qualitate generatur. & vtrique resistere volumus. quo in casu persæpe frigidæ aquæ potio renis affectum sedauit: quoniam vexantem intemperiem extinxit, & vires intẽperie labefactas recreauit: vires autẽ confirmatæ materiam concoxerunt, aut exturbarunt. atque ita renale vitium adẽptũ est. Aduersus vtrunq; igitur occurrit Hippocrates, aduersus multitudinem per ea, quæ principio dicta sunt. Sed quoniam calculum gignens materia nõn solùm multa erat, verùm etiam crassa, multitudinẽ venæ sectio euacuauit, eius concretionem in præsentia ex- C tenuamus: qualitatẽ autẽ & intemperiem extinguimus, atq; abolemus. Verùm enimverò quoniam Hippocrates extenuantia maiori ex parte calida siccaq; esse cognouit, temperantia verò ac mollientia frigida atq; humida, propterea sãguinem adiecit, vt modo his, modo illis vteretur, vrgenti magis occurrens, altero nõ in totũ posthabito. Est verò & alia tertia interpretatio. Dixit in Aphorismis, *corpora oportet, vbi quis purgare velit, bene fluentia reddere:* Cũq; multę eius loci enarrationes adductæ fuissent, vnã tantùm admisimus, quòd scilicet, cum euacuare libet, continens benè fluidum humectãdo faciamus, & cõtenta extenuemus: quo per latum instrumentum, quod educitur, ce- D leriter delabatur. Idem & hoc loco dicit, hoc est, euacuandum succũ extenuare. vt quoniam per alueolos vrinæ angustos, & longos euocandus est, ipsos humectando dilatare. At Hippocrates ab effectu efficiens insinuauit. nã dicere volens, humectare, sciensq;, quod humectatu, molliri, molli redixit, pro eo, quòd est, humectare. Atq; ita egregiẽ Hippocrates de calculari morbo sermonẽ fecit. Quin etiã, prout eius seculũ exigebat, decẽter curatus est. nã quia tunc tẽporis ob assiduas exercitationes non multa pituita colligebatur, validęq; vires erant, paruo negotio morbus iste expugnabatur. At hoc æuo, cum mensa sit opipara, & muccosus humor copiosè gignatur, magnaq; E sit virium imbecillitas, hæc sunt in causa, vt calculosi affectus frequentes oriantur. atq; hinc etiam fit vt ægre sanabilia, vel etiam fermè insanabilia vitia procreentur. Hæc profectò nõ ignorauit Hippocrates.

A crates,atque ideo dixit, exercitatione vtendum, ac cibo abstinendum. quorum neutrum hac nostra ætate prȩstatur. Atq; hactenus de calculari morbo disputatum sit.

7 *Muliebria aquosis diu perseuerarit, vbi verò nō celeriter ferūtur, intumescunt.*

Consequenter his, quæ ab initio concessa fuerunt, sermonem interpretari debemus & sententiā considerationis exponere. Huius itaq; vocis, muliebre, cuius meminit Hippocrates, tres videntur modi significandi. Dicitur enim membrum muliebre, vterus, testiculus, cervix, pudendū. Dicitur muliebre, aliquod in his partibus vitium exoriens: qualis est vteri strangulatus, aut mensium retentio. Dicitur
B etiā muliebre opus, nō ministeriū, quo mulieres occupantur, vt quo tela conficitur, vt colus, vt fusus: Sed cōcipere, ventrē gestare, parere, lactescere, sed præ his omnibus menstruè purgari. Rectè autē dixi, præ his omnibus: nā hac purgatione cōmodè se habēte & reliquæ prosperè succedunt. Etenim vbi cōuenienter vterus purgatur, bene cōcipiet, quoniā in concubitu bonam emittet geniturā. & ipse cū siccior sit, virile semen retinet. atq; inde optimè ventrē gerit, & copiosū lac generat. De hac itaq; purgatione in præsentia verba facit. Ipsā enim muliebria vocat. Inquit enim aquosis, & nonnulli intelligunt, id est, aquam intercutem habentibus. Sed hoc verùm non est. ve-
C rum intelligere oportet aquosas, id est, serosiorem, & frigidiorem, & humidiorem sanguinem menstruum habentes. Nonnulli præterea dicunt, de mulieribus præter naturam se habentibus, esse intelligendum: sed re vera de naturaliter se habētibus Hippocrates loquitur. nā frigidius esse, atq; dilutius menstruū purgamentū, ex tēperatura, ȩtate, habitu, & colore indicatur. Nā omnia de menstrua purgatione Hippocrates pronūciat. quòd scilicet si frigidius, & humidius excrementum mulier expurgat, diu purgabitur. Nam illud Diu, vel ad dies refertur, perinde ac si diceret, nō duos dies tantū, aut tres, sed plures: vel etiā prorsus ad ætates, hoc est, nō solū vsq; ad consi-
D stentē, verū etiā vsq; ad inclinantē ætatē purgabitur. quoniā si menses suppressi fuerint, tumor in facie apparebit, qui Hydropici morbi autor est. & hac de causa morb. iste fit, aut quod mēstruȩ sordis frigus calorē obtūdit, aut multitudo grauat, & suffocat. Alias enim edocti sum⁹ subitaneā, & copiosā eruptionē, ac suppressionē frigefacere, euacuationē digerēdo, suppressionē multitudine aggrauādo, refrigerādo.

8 *Et in Cranone veteres dolores frigidi. recentes enim calidi. à sanguine verò plurimi. & quæ à coxendice frigida.*

Cranon est vrbis nomen. Hoc loco de populari aut sparsim vagante morbo Hippocrates loquitur. Si de numero sparsim vagantium hic
E morbus esset. nō esset dignus aliquo magno membro, aut alia quadā particula priuatim malè affecta: verùm quoniam vniuersè loquitur, in, cranone, potius de vulgaribus intelligendū est. Inquit igitur Hippocrates, eo se loco recentes, & veteres dolores vidisse. Nonnulli

nulli ridiculè interpretantur: Quoniam Hippocrates, vt suæ reminiscentiæ consuleret, hæc in membranis scribebat, recentes dolores vocat, quos paulo ante veteres, quos longo prius tempore vidisset. At nos longè aliter: scilicet, dolorem celeriter orientem: celeriterq; desinentem ab Hippocrate nouum, seu recentem: dolorem autem longo spatio permanentem, veterem appellari dicimus: omnes autem à sanguine, diuerso tamen excitari asserimus. recentes à calidiori tenuiorique, veteres à magis melancholico & crassiori. Se quoque circa coxendicem frigidos affectus vidisse narrat, hoc est coxendicem distendentes, vitium scilicet à pituita genitum. Verùm vbi frigidus affectus circa coxendicem factus fuerit, quomodo fiat, scrutandum est: nihil enim absurdi fuerit, ipsum à calore prouenire. Si eius, quod primò, & eius, quod ex accidenti fieri solet, meminerimus. Siquidem plerunque circa coxendicem calida intemperies exorta, sed frigidum humorem ibidem nacta ipsum dissoluit: atque ita frigidos halitus emittens frigoris delitescētis notionem præbuit. quemadmodum & è contrario refrigeratio superuenit, quæ meatus coarctans caloris sensum præstitit. Sicque effectum est, vt quæ ad curandi rationem pertinent, nobis perturbata sint. Nanque sicut in stomacho bilis redundans per refrigerantia curationem exigit, si tunc cibus datus est, non concoquitur: concoquendi enim potentia à bilioso humore concussa est: cibus verò non concoctus pituitæ speciem exhibet. pariter & hoc loco multi remedijs ex cumino & aniso compositis vtentes, pituitæ effectricem causam auxerunt. cum debuissent per frigidæ aquæ potum bilem extinguere. In hunc autem errorem inciderunt, quoniam quid primò, quid ex accidenti fiat, non indagarunt. Quemadmodum & Galenus testatus est, flatus naturali calore diminuto in ventre fieri. ille verò aut à refrigeratione manifestè, aut à calore pręter naturam minuitur. Igitur hæc omnia quærito, quandoquidem in curando propositum variant.

9. *Qui in rigores vehementes tendunt, non admodū mitescunt nisi in statu.*

De rigore hoc loco differitur. Rigor sanè aliud nihil est, quam refrigeratio, & concussio. Iste verò potissimum tertianas præcedit. Sed refrigeratio fit cum natura, dum mordetur, & in imas partes refugit, extrema inalgescunt. concussio verò, cum partes corporis ab acri bile demorsæ quatiuntur. Rigor autem alius est præcedens, qualis in tertiana: alius concomitans, qualis in hepialo vocata febre. iste nanque ex semiputri materia gignitur: & quod ex ea putrefactum est, febrem gignit, quod non putruit, rigorem. & vna cum febre est. quando aduentante iudicatione, materia ex intimis partibus ad corporis superficiem propellitur. ibique sua præsentia cutim mordet. De hoc modo sermonem facit. nam de eo, qui nunquam in calorem verti potest, nulla hîc mentio fit. Et hæc quidem sic habent.

Porrò

A Porrò animaduertendum est, plerunque in principio tertianæ rigorem fieri. nam qui in fine excitatur, ad melancholicam febrem pertinet, siquidem in tertianæ principio rigor difficilis oritur, & multa perturbatio, cum paulo post iudicatio futura sit. At initio quartanæ rigor vtique fit, & iste lassitudinem referens, exiguus, & sensum latens: sed mensem circiter septimum & lassitudo, & rigor augescere incipiunt. quod & propitium signum est, Tunc enim humoris crassitudinem extenuari, & ad extima ferri cœpisse, mordereque, ac rigorem concitare cognoscitur. Et hoc est, quod ab Hippocrate traditur, Iccirco & per hyperbaton ita legere oportet: *Morbi validos habentes* B *rigores, id est, diuturni.* Vtque perspicua fiat oratio, sic ipsam intelligere opus est: morbi non admodum mitescunt, nisi vbi vehemens rigor euaserit. quod sanè in vigore contingit.

10. *Suppressiones vrinæ, si in bonum tendant & aluus non soluta fuerit, & somni adsint, forsan verò & febris modus: forsan & quæ ad laßitudinem.*

De suppressa vrina sermonem facit. Supprimitur autem vel propter vrinaria instrumenta obstructa, vel propter ipsorum facultatis infirmitatem, vel propter desipientiam: vt plerunque cum matulam meiendi causa petierint, deinde meiere obliuiscantur: vt propter euacuationes aliunde factas. Siquidem natura tres toti C corpori coctiones dedit, & cuique propriam sordibus eijciendis cloacam molita est. alimenti nanque in ventre concocti stercora intestina deijciunt: Succi à iecore in sanguinem conuersi lotium per renes & vesicam euacuatur. Singularum autem partium nutritarum purgamentum, qui sudor est, per cutaneos meatus effunditur. Igitur si multa materia per aliquam istarum euacuationum expulsa fuerit, reliquæ parcius & auarè fient. Quocirca si copiosa vrina feretur, eò multis recrementis affluentibus, aliæ duæ purgationes non multa eijcient. inde & aphorismus ille pronunciat, *Mictus nocturnus multus paucam alui deiectionem significat.* Et hæc de vrinis.

D Propositum autem sermonis huiusmodi est: si ad ægrotum accesseris, ante omnia quærito, num morbus lethalis sit an salubris? & hoc ex ijs quæ in volumine de Præsagijs dicta sunt, nancisci poteris: Ipsũ esse salubrem nactus. rursum an ex eorum sit numero, qui paulatim concoquuntur, an ex his, qui subitò, ac repente iudicantur, considerato. Cognito ipsum ex ijs esse, quæ subitaneã ac repentinã iudicationem habent: Iterũ an per abscessum, an per excretionẽ sit iudicãdus. Explorato, postremò per quam viam iudicatio futura sit, hoc est, an per sudorem, an per aluum, an per vrinam. Dum hæc vestigas E si fortè æger dicat, mihi non fertur vrina, mihi aluus interclusa est: Item si ab eo aliud signum dici audies, se videlicet rigorem pati: inde spes tibi orietur, materiam ad superficiem delatam mordere. vnde

vehemens rigor, qui iudicatorius est, concitatur. atque ita per sudo- A
rem morbi solutionem fieri cognoscimus. Verùm quoniam vel naturæ prouidentia, vel morbi prauitate vrina supprimitur, ipse distinguentem notam apposuit, inquiens: *Si in bonum tendant.* aut si ita lectio se habeat, *si ex bonis*, hoc est, si ex his, quæ præcesserunt, vrinis. si legamus non *tendant*, sed *sint* intelligas, supple ægrotantes, videlicet Si præfuerint, inquit, bona signa, quæ à decubitu, quæ à facie, quæ à pulsu accipiuntur. Præterea & aliud signum est à somno. potius enim vigiliam esse conuenit, vbi est anxietas, vbi morbificæ causæ vrgent. Re autem vera, sic inquit, quòd antegressa, an ob aliquid boni retineatur vrina, significare possunt. Sed neque hæc sola, ve- B
rùm & facilis ægri tolerantia. Vnius autem somni mentionem fecit. Possumus etiam ex morbi natura cognoscere. nam si benignus sit morbus, potius prouidæ naturæ consilio vrina compescitur, si verò malignus, magis ob ipsius prauitatem intercluditur. Morbus quoque ipse tibi demonstrare potest, si vrina non vacuabitur, qualis futura sit iudicatio. Nam si non intermittat, vbi materia intra vasa manere ostensa fuerit, inde & per internas partes euacuabitur. per aluum enim, aut per lotium. Verùm & præincipientes, siue externæ causæ, quærendæ sunt, diuersam euacuationem facientes. Siquidem vbi morbus ab exurente sole ortus est, magis per sudores C
fiet euacuatio. Nam si meatus arctati forent, & materia crassior euasisset, pessum inclinans, ac degrauans per ventrem, aut vrinæ vias effusa esset. at multæ cum sint externæ causæ exemplum est lassitudo, cũ dicat Hippocrates. *forsan verò & quæ ad lassitudinem*, ea vox *forsan*, non est omnino disiunctiua particula: sed in membranis descripta non ex toto asserit.

11. *Abscessus non admodum, quibus rigores. Sed quibus ex cruribus effœminationes: veluti si ante morbum iter fecerint: à morbo illico. eo quòd fortasse id quod ex lassitudinibus, in articulos decubuit. ex quo & crurum effœminationes.* D

Item eidem proposito inhæret. nam ad ægrum ingressus est morbum sanabilem offendit, iudicabilem non solubilem. quod reliquum est, inuestigat: qua via iudicabitur? nulla in parte vuidus apparet, quo sudorem expectare posit, nullibi alui distentio, quo per intestina effluuium expectandum sit: sed omnino abscessum fore cognouit. Quod restat, exploro, quam partem abscessus sit occupaturus. Quòd si inter quærendum mihi dicat ægrotus, ego prius quàm in morbum inciderim, multum ambulaui, ac mihi pedes doluerunt: ex hoc loci, in quo futurus est abscessus, notitiam habui. pedum scilicet, aut articulorum. primò quidem, quod caui sunt. Sed o- E
mnia caua sunt fluorum capacia. Secundò motus ratione incalescunt: calor autem fluores accersit. Ad hæc, ob inanitionem ef-

fœminan-

A fœminantur, effœminatio nihil eſt aliud, quàm imbecillitas. igitur imbecilli effecti fluores alliciunt. Ex his omnibus eò inuaſurum eſſe abſceſſum cognoui. Hinc duas imbecillitates membrum contraxit. ex itinere vnam, ex defluxu alteram. Et hoc eſt vnum propoſitum. Alterum eſt etiam, vbi erit abſceſſus, (alicubi enim futurus eſſe ſubijcitur) mihi ſignificans. In ægroto facta fuit, ſed imperfecta iudicatio: tunc ei præcipimus, vt recta victus ratione regatur. Sic enim morbus non repetet. Hæc quidem præcepimus, ſed facta non ſunt. Verùm ipſe aliqua de cauſa ſe loco mouit, multum ambulauit, rurſum eadem accident. id eſt, articulos, abſceſſus
B inuadet. propterea & aphoriſmus ille dixit, *Quibus ex morbo ſurgentibus firmatur morbus à morbo ſtatim*. Quoniam dixit, à morbo, ne permiſeris ipſum moueri, (tu eum gubernans dicere poſſes) nunquid igitur ei ſemper aſsiſtam? id eo adiecit Hippocrates illico. ex quo & crurum effœminationes. Obſcurum hoc eſſe videtur, verùm perſpicuitatis gratia vocem hanc addidit, *illico*, & alteram à fluxione declarationem, quam nunc refert.

12. *Tubercula foras extumeſcentia, acuminata, in turbinemq́; gracileſcentia, æquabiliter matureſcentia, non circum dura, non decliuia, & non bifida, bona:*
C *contraria verò, non bona. quæ ſunt autem quàm maximè contraria mala.*

Quemadmodum abſceſſum fore ſperauimus, & extrorſum papulæ eruperunt. Hæc verò quoniam proportionem cum his, quæ è terra naſcuntur, retinent, quatenus è profundo ad ſuperficiem prodeunt, phymata, græca appellatione vocentur. Hæc autem num bona, num mala ſint, diſcernamus. Primum ſi extra valde promineant: id eſt robuſtæ facultatis indicium, quæ intimas partes liberans extimas inſultat. ad hęc ne ſint lata, ſed acuta. Hæc enim medicus in ſuperficie genita cōſpicatus facilius curat quàm in altum penetrā
D tia: nam lata à pituitoſo ſucco, acuta à bile foras procurrente generantur. Bilem autem voco, quam natura ob tenuitatem mobilitatē que ſuper pituitam propellit. Item ne ſint partim dura, partim mollia. inęqualis enim materiæ, infirmioriſque potentiæ inæqualiter dominantis ſignum eſt: ſed totum tenerum eſto, quod maturationē ſignificat. Præterea ſurſum magis quàm deorſum vergat. Suprà enim ſunt membra præcipua. Vis autem robuſta ad partes debiles nocentia propulſat. Item duo non habeat hoſtia præ infirmitate diuiſa natura, ſed vnum, vt ibi natura quietem agat. Porrò hæc omnia bona ſunt: omnia non ita habentia mala. at ſi ex his quædam adſint
E quædam abſint, ea in medio ſunt inter ſe differentia. nouit enim Hippocrates & quæ inter extrema ſunt, eſſe contraria.

13 *Ferinum Autumno, & cordis dolores, & horridum, & melancholicum.* A

Cum multa corporis vitia quęrantur. quærit & quæ extrinsecus ab aere incidunt. Cumque sint quatuor anni tempora, quos Autumnus morbos ferat, inquirit, & per hoc quænā materia humorē gignit. & per hoc, quinam humor temperaturam facit, & cuius temperaturæ sit Autumnus. Itaque Autumnus planè siccus est, verùm secundum alteram oppositionem inæqualis: sed ęstiuo tempori succedit, in quo multa bilis generatur, verùm quemadmodum generatur, perinde corrumpitur, aut digeritur: & sicut ab æstate genita, sic ab autumno interclusa & conseruata est. Quocirca Autumnus aliquos per se, aliquos ob antegressum tempus morbos creat. Hip. autem ab B his, quæ autumno conueniunt, sermonem suum cœpit ac finiuit: in medio ęstatis vitia tractauit. *Ferinos morbos autumnus creat.* Ferinos simpliciter malignos appellat. in quibus elephantiasis, & cancer numerantur. aut ferinos, quòd eo tempore veluti feræ generantur tineę & ascarides. aut ferina dicit, quòd homines similes ferarum efficiant. Nam si in pulmone vlcus fieri contingat, ipso à bile æstiuo tempore lacerato. superueniens Autumnus sua inæqualitate naturā dissoluit ac labefactat. vnde isti ceu alati, ac ferarum persimiles euadunt, vtq; simpliciter dicatur, in isto melancholici morbi eueniunt. oris ventriculi erosio, et horror ob bilem prius æstate congestam. C

14 *Ad initia exacerbationes considerandæ sunt, & in omni morbo an vesperi exacerbetur. annus ad vesperam. & Ascarides.*

Superius Hip. de vitiis in corpore nascentibus, paulo antè de extrinsecus inuadentibus disputauit: In præsentia verò promiscuè sermonem facit. Quòd protinus initio morbi exacerbationes inuadētes considerare debes, neque hoc duntaxat, sed & in quolibet morbo vnamquanque verò exacerbationem explorato, num statim incipiat, ascendat, vigeat, declinetq;. Sunt enim hæc biliosi humoris indicia. Sed multum temporis permanere crassum succum ostendit: ipsas verò accessiones non modò totius anni, verùm etiam singularum eius partium initia declarant. In quatuor enim partes annus D distinguitur: quæ sanè partes, quas & conuersiones vocant, non suis nominibus, sed temperamentis in nos agunt. Quippe ver temperatum est, æstas calida & sicca. Autumnus siccus, frigidus, & inæqualis, Hyems frigida, & humida. Sed quemadmodum totus annus, sic & dies quatuor conuersiones imitatur. Nam matutinus status quémadmodum & ver, temperatus est. meridianus calidus & siccus æstatem refert: vespertinus modò calefaciens, modò refrigerans autumnum, at nox frigidior, humidiorq; hybernum tempus ęmulatur. Igitur vitia ex sanguine plerunq; verna tempestate inuadere considerato, à bilè verò æstate, melancholica autem autumno, pituitosa E hyeme. Hæc eadem & de singulis morbis dicenda sunt: siquidem anginæ

A anginæ circa matutinam horam grassantur, Aurigines circa meridiem, vesperi ascarides. aqua intercus noctibus infestat. Vesper enim autumno proportione respondet. proximè & circa autumnum desinunt.

15 *Infantibus tussiculæ, cũ alui perturbatione, & febre continenti significat post iudicationem bimestri prorsus, aut vicesimo & tumores in articulos.*

Iterum de alio loquitur Hippocrates. cuius dictio quidem clara est sententia verò falsa. Dicit enim, quod infantibus, infantes adhuc vbera sugentes appellat) his si tussis accidat, & alui proluuies, & febris continua, ab his portendi abscessum in articulos decubiturum: B post eum, vitia, quæ aderant, solutum iri. At hoc in artis operibus videri Galenus negat. quapropter neque horum rationem assigno. Cumq; dicit, *bimestri, & vicesimo,* id sanè dicere velle videtur, quòd à quadragesimo die vsq; ad sexagesimum moueri incipit: Dicit quoque Hippocratem non dicere vicesimo die pòst, quàm in lucem editi sunt, sed postquàm febricitare, aut tussire cœperunt. nam quoniam ad articulos abscessus ex humore pituitosiore decumbet, & diuturnus erit morbus. diuturni autem morbi quadragesimo, aut sexagesimo, aut octogesimo die iudicantur, hac de causa talium dierum mentionem fecit.

C 16 *Si infra vmbilicũ quidẽ superiora constiterint in articulis inferioribus, bonũ est, sin suprà, haud perinde morbum discutiunt, nisi œdemata suppurauerint. In humeris autem suppurantia tantulis, eis breuiorem humerum reddunt, Soluerit autem & vlcusculorum in inferiora eruptio, nisi rotunda, profundaq; sint: huiusmodi enim & alioqui perniciosa sunt. & puerulis maximè. Soluerit autẽ & sanguis emanans. crebrius autem perfectioribus id incidit.*

In præsentia de excretionibus vult sermonem facere: iudicationẽq; per abscessum in articulos, per vlcuscula, & per sanguinis effluuium fieri supponit. Dicit enim eum esse bonum abscessum, quando à superis ad inferas partes materia delapsa fuerit: malum verò contrà, D quando ab inferis, ad superas ascenderit. cum suprà sint nobilia membra, infrà ignobilia. Præstat autem à nobilibus ad ignobilia, quam ab istis ad nobilia materiam transferri. Quin & abscessus ferè à pituita originem ducit, pituita verò ponderosa deorsum vergit. Igitur si ab hoc humore fiat, à superis ad infera naturaliter descendit. quod si ab inferis ad superiora tendat abscessus, sciendum est, magna vi, ac perturbatione factum esse, vt in quempiam præter naturam locum pituita expulsa fuerit. Omnium dictorum exemplo est humerus. Nam si ab inferioribus locis affectis tota sursum versus effusa ma E teria in humerum incubuerit, primum nutritione membrum priuatur: sępe deinde manus adhibito ministerio figuram mutans cubitus breuior efficitur. Non omnis autem abscessus bonus est: sed quẽ

admodum de pulmonis vomica dicitur, si sit magnus, omnem humorem foras procubuisse significans: & longiori spatio maneat, quoad sinuosum vlcus efficiatur, nam si protinus ad interna recurrerit, nullum præstabit emolumentum. Et hæc de abscessu dixisse satis esto. Multoties & vlcusculi exortus morbum soluit. Sed nondum sententiam suum explanauit Hippocrates: neque enim vlceris exortus sed humor vlceris exortum faciens, morbi solutionis autor est. Itaque si fiat vlcus, humor per ipsum erumpens ægrotum sanare potest. At id genus vlcus profundum ne sit. Nam tale malefici, erodentis, & quę in penitioribus latent, exedentis humoris indicium est. Si verò circulare sit, vbi nitatur, & subsistat, ad nutriendam carnem natura nō habet. Angulosum ergo sit oportet, quo natura ad carnis opificium fundamentum nanciscatur. Tertia quoque per sanguinis effusionē inanitio morbum discutere valet. Hæc autem sanguinis effusio pueris, & ætate florentibus euenire solet, pueris ob sanguinis redundātiam per eruptionem, ob eiusdem acrimoniam florentibus ob erosionem. A B

17 *In humeris autem suppurantia tantulis eis breuiorem humerum reddunt.* verba autē illa. *in humeris suppurantia* aut, in crudis, (vtraq; enim lectiò ferri potest) sic interpretanda sunt: si in humerum alicui materia pulsa fuerit, ei breuiorem humerum facit, quemadmodum & cruda materia ibi diutius moram ducens, neq; partem illam nutriri permittēs talibus humerum breuem efficit, & hos Gręci, Galianconas vocant. C

18 *Lachrymæ in acutis male habentium sponte quidem bonæ, inuoluntariè verò defluentes malæ: & quibus palpebra circumtenditur, malum est. Malum est autem & inarescens, veluti maris spuma: & tenebricosum, & squallidum, & interius corrugati, & concreti, & vix versiles, & introrsum obtorti, & quæcunque alia omittuntur.*

Ad lethalia se tranfert Hippocrates. Mortem enim prænunciant, quæ in Præsagiis, & aphorismis de lachrymis tradita sunt. nam id signum perniciosum est, sed non semper. Siquidem propter lippitudinem, & plerunq; ob temulentiam, & hilaritatem lachymæ effunduntur. Sed hoc non est periculosum indicium, cum neque acutus morbus subsit: ipse verò de acuto morbo sermonem facit. Sed neque prorsus in acuto morbo letale est, vt pote cum aut præ mœstitia, aut sæpe cū deos ad hominis curam habendam euocare conamur, lachrima emittetur. at hoc sponte fit. Quod si inuito ægro, & in acuto morbo fiat, atrox signum est. Nam cerebri membranarum inflammatio significatur. è qua quod tenuius est, eliquatur: aut quoniam retentricis facultatis humiditatem complecti, & constringere nequeuntis infirmitas adest. vtrunque verò malum est. Et lippitudines circa oculum, nisi manifesta causa, vt oculi inflammatio, aut somnus præcesserit, D E

A ferit, sed in acuto morbo genitæ fuerint, malę sunt. nam potentiæ
alteratricis imbecillitatem nunciant. Palpebras quoq; circuntendi
letiferum est, quod ingentem ariditatem manifestet. quemadmodum
in præsagiorum libro dictum est, & frons arida. Sin oculus tenebre-
scat, id vtique perquã difficile est: tunc enim spiritus animalis exhau-
stus est. Inde fit, vt oculus resiccata ipsum vehente humiditate, &
aerea substantia collabatur. quod si humidus oculus ita arefactus
concidit, quid de alijs siccioribus partibus sperandum est? Pericu-
losum est & sine antegressa causa corrugari, vt in senibus accidit,
quod in illis minimè letale est. Sed in acuto morbo rugari oculum,
B periculum ostendit, cum exiccationem adesse significet. Item vehe-
menter agitari, aut vehementer obtorpescere, ac pessum cadere ocu-
lum. nam si quis anteà modestus cum esset ac ingenuis moribus, de-
pressosque oculos gerens, eos in præsentia sæpius mouere incipiat,
periculosum hoc signum est, conuulsionem, aut insaniam instare
portendens. Quemadmodum contrà si quis prius oculos versans
nunc mouere desinat, prauum indicium est, cum morbum apople-
cticũ aut caron, id est, soporem grauem ac veternosum minetur. Alia
quoque id genus in volumine de præsagiis conscripta sunt, quæ à de-
cubitu, à corporis purgamentis, ab arteriarum motibus, qui pulsus
C vocantur, desumpta sunt. Febres aliæ quidem mordaces sunt
manui, aliæ verò mites, aliæ non mordaces, sed post insurgentes,
aliæ acutæ quidem, sed quæ à manu vincuntur: aliæ statim peruren-
tes: aliæ in totũ debiles, aridę aliæ, salsuginosæ: aliæ pemphingo sę, a-
spectu atroces: aliæ ad tactum madentes: quædam valde rubrę: quę
dam perpallidæ: quædam liuidæ, & id genus alia. Veterum enar-
ratorum plærique in febrium diuisione peccauerunt. Hippo-
crates verò non omnes ipsarum differentias accipit. Cuiusque
autem rei differentiæ aut à substantia, aut ab accidentibus colli-
guntur: sed accidentium aliud est substantiæ propinquum, aliud
D ab ea longinquum. Exempli causa rationale, & mortale substan-
tiales hominis differentiæ sunt: ideo & in eius diffinitione su-
muntur. Risorium accidens quidem est, sed rei substantiam sequi-
tur. Caluities cum sit accidens, procul à substantia distat: idem & de
febre cõtingit: nã & ipsa substantiales, & ab accidentibus differentias
habet. At cũ febris substantiã dico, nomine abutens simpliciter ipsũ
esse dico: quandoquidem febris ipsa non substantia, sed accidens est:
est enim qualitas. Itaque substantiales febris differentiæ ex tribus
fontibus hauriuntur, aut ex subiecta materia, aut à calore, aut à
motionis modo. Modum autem motionis appello, non quemad-
E modum Erasistratus aiebat, per vnam, aut per duas arteriæ pulsatio
nes febrem inuadere: sed temporibus illis, cum ad eam diem pulsu
um contemplatio ignota esset, pectori manum imponebant. & non-

nunquam protenus acutus calor efferebatur, vt in bile fieri ſolet, non A nunquàm poſt longius temporis interuallum. quoniam ex diutino manus iniectu meatus dilatabantur; materiæ tenuabantur, & calor emicabat. vt in muto. Omnes igitur differentias Hippocrates complexus eſt: à ſubiecta materia inquiens, *Febriū quædam mordaces, quædam mites*. nam mordere non eſt caloris, à calore ſumens ait, febrium quaſdam eſſe perurentes, quaſdam non. hoc à qualitate colligit. Cum verò dixit, *febrem poſt inſurgentem*, hoc ad modum motionis pertinet. Hæ quidem ſunt omnes ſubſtantiales differentiæ, ab accidentibus autem vel ſubſtantiæ propinquis, vel ab ea diſtantibus quæ ſequuntur, cum dicit, *febrem humectam*, qualis eſt quotidiana, B *aut pemphingoſam*, ſubſtantialia dicit accidentia. Pemphingas autem vocabant veteres ſolis radios. & has febres aiunt dici pemphingoſas, quę ab exurente ſolæ excitatæ ſunt. Alij dicunt pemphinga animam ſignificare: vnde pemphingoſos mente captos, deſipientes, que appellari. At ipſe Hippocrates pemphingas puſtulas eſſe à craſſiore ſanguine exorientes. vtque ſemel dicam, peſtiſentes carbunculoſaſque febres intelligit. Sunt & aliæ à coloribus ſumptæ differentiæ, vt vehementer rubræ, & vehementer flauæ, ſed hæ ſunt ex longè à ſubſtantia diſtantibus. At viri artificium conſidera. nam cùm rubrum ſit coloris ſpecies, *valde* particulam adiecit, ſic & de flauo colore fecit. Liuido nihil adijcere auſus eſt, cum ſemper ſit à natura alienus. Dixit, *ad manum mites*, vt diarias notaret. dixit, *mordaces*, ardentes febres innuens. dixit, *valde rubras*, vt ſynochos oſtenderet, dixit, *liuidas*, vt quartanas indicaret. Poſt *inſurgentes* autem, quartanas inſinuans. *debiles & aridas*, vt hecticas ſignificaret: *pemphingoſas* verò vt peſtiferas. Quare ſubiecit, *viſu atroces*. ſunt enim intuentibus horrendæ: hæc autem vox, *ſalſuginoſæ*, in quibuſdam codicibus non inuenitur. niſi & ſalſum humorem mordere, dixerimus. adiecit, ad manum, cum hanc diſcretionem per manum fieri ſciret. C

Pemphinges.

19. *Contentiones corporis, & articulorum duritiæ malum. Et ipſe diſſolutus, & articulorum confractiones malum. Oculi audacia deliratoria, & abiectiones, & infractiones malum.* D

Hippocrates omiſſo de febre ſermone ad lethalia ſigna iterum conuertitur. & inquit, ab omni immodico exceſſu naturam contriſtari. vnde neque valde durum, & valde diſtentum idem ſunt, ſed diuerſa, & duo habent contraria. nam diſtento laxum, & duro molle opponitur, natura verò vni duo contraria non parauit. Quocirca inquit, neque prædura membra ſunto, quoniam hæc nota eſt ſiccitatis & frigoris dominantis, aut conuulſionis incipientis, aut ſcirroſi affectus in abdito latentis. Neque etiam membra ſint vehementer mollia nam hæc contrariorum indicia ſunt, humoris videlicet E

reduna-

A redundantis, œdematis orientis, & facultatis membra constringere nequeuntis. Et hæc quidem ita se habent. At Hippocrates perfectè vnius contrarij meminit, alterum omisit. dixit enim, *distentionem*, vt laxationem intelligas: Dixit, *duritiam*, vt mollitiem quoque percipias, neque temerè horum potius mentionem fecit. Cognoscens enim Hippocrates omne immodicum naturæ infestum esse, magis autem id, quod ei est contrarium: vt pote natura magis calefieri amat, quàm frigere. nam calori assueta est. Sic mollior laxiorque motionum causa esse desiderat. Tamquàm igitur ab ijs magis vexetur, eorum meminisse voluit. Est & aliud dicendum, cur Hippocrates
B dixit, frontem valde aridam, quæ in naturali statu semper sicca & distenta est. asserit autem & totum corpus huiusmodi euasisse: & quomodo id bonum significet. Ad hæc si & ipse dissolutus est cur malum sit. dissolutus est enim. quoniam videlicet omnes: vires labefactæ sunt. Sed dixit, *ipse* id est ægrotus. Aegrotum autem intelligit Hippocrates triplices vires, vt inde & ægrotantē conijcere liceat. Prȩterea est & aliud perniciosum, Articulorum confractiones. aut decubitus. Decubitus quidem, vt in libro de præsagijs traditum est, fit, cū supinus æger iacet, aut pronus decūbens à capite ad pedes descendit. illud delirij, hoc verò infirmæ virtutis mouentis indicium est. At si
C legatur *confractiones*, de articulis loquitur. periculosumque signum est. nam & valde extentum esse, & valde reflexum desipientiȩ nota est. Oculus audax mentis alienationē ostendit. nam quemadmodū animum audacem vocamus, in quemcunque, instar feræ, impetum facientem, sic & audacem oculum appellamus importunè minantē, in transuersum prosilientem, & assiduè se agitantem. id nanque aut conuulsionem suborientem, aut insaniam portendit. idque magis, si cum diu ante modestus esset, non intempestiuè oculos mouebat. vnde tanquam declarans oculi audaciam subiecit, *abiectionem audaciam voco*, hoc est, oculum temerè huc atque illuc circumferri. aut di
D cere voluit; validas vires non modo vsitata corporis tegumenta: verū & alias circumiectas vestes sustinere. morbo autem acuto, ingentiq; calore infestante. curationem per vestes adhibitam ferre non posse. Postea subijcit; *infractio malum*. Infractionem genæ vocat retortum illud quod neque integrè apertum est, neque integrè clausum, id laterum apertis aperientibus conuulsis, & claudentibus laxatis fieri consueuit.

Finis primæ sectionis.

SECVNDA SECTIO.

1. Dilatare constringere, alia quidem sic, alia verò non.

2. Succos alios expellere, alios siccare, alios indere, ac partim quidem sic, partim verò non.

3. Extenuare, crassum facere, vas cutem, carnes & alia: & hæc quidem, ea verò non.

4. Complanare, exasperare, obdurare, mollire, aliqua quidem, aliqua non. B

5. Excitare, stupefacere. & alia, quæcunq; huiusmodi sunt.

6. Deriuare, cedentem retrahere statim, renitenti cedere.

In primum sectum explanationem perfecimus: in quo multa, & miratione digna præcepta tradidit. per quæ dissectricem, & naturalē & diuinatricem scientiam didicimus. In præsentia nobis secundum sectum exponit, quod disiuncta, & obscura documenta enarrat. Verùm secundum morē à nobis anteà positum voces declaremus, mox & propositum dicamus. Dicit Hippocrates *dilatare*, hoc aūt omnes sciunt, idem esse, quod ampliare. Dicit etiam, *arctare*. hanc autem vocem multi imperiti pro duabus orationis partibus apud Græcos accepere: credebantque Hippocratem dicere arctare, & humectare: sed decipiuntur. Nam hæc vox συνυγρῶσαι arctare significat. Hæc sit verborum explanatio. Propositum verò hoc est. Quoniam arctata corpora patefacere & patefacta coarctare opus est: id autem faciendum est, cum ad immodicam aut conclusionem, aut apertionem corpora mutantur: curationem autem hîc propriam docet Hippocrates volens illud præceptum sequi, quod contrarijs contraria curari iubet. Sed ne fallaris, neque discedas artis opera exequi cupiens: sed causas meatus coarctantes, aut rarefacientes percipito. Rarefiunt autē meatus, (de occultis loquor) & ingens sudor effunditur; aut ratione caloris, aut propter vehementem expultricis potentiæ motionē, aut contentricis imbecillitatem. Si ob calorem meatus rarefiant refrigerato: si ob virtutis debilitatem, roborato. Et rem admirabilem dicam, vinum scilicet coercere sudores. Et ego sæpius emanante sudore cum vinum præbuissem, retentus est sudor, non ob aliud, nisi quoniam facultatem roboraui. pariter & in toto corpore si vena, aut aliquod membrum rarefiat. Sæpè numero autem & à contrarijs coarctantur refrigeratione scilicet, aut aquis albulis, aut pluuialib. aut fluminеis, aut propter expultricis infirmitatem. Quoniam verò multotiens in superioribus partibus id fieri solet, per calorem dilatatio fit conuenienter. Superiora enim respicit. At qui in nuda cu- D C E

te

A te meatus sunt, proinde coarctantur, & inæqualitas fit in corpore; iccirco aliqua eius pars est adstringenda, aliqua dilatanda. Propterea dixit, *hæc quidem sic, alia verò non.* & hæc est mens Hippocratis, cum dixit: *Dilatare, constringere alia quidem sic, alia verò non.* neque intelligas, angusta membra esse amplianda, & ampla coarctanda. *Succos alios expellere &c.* Intelligere oportet redundantes succos esse expellendos. Siquidem non rarò imperitus medicus ad aqua intercute laborantẽ accedens & pituitam educere cupiens, bilem ruffam euacuauit, & ęgrotum magis læsit. At Hippocraticus medicus vitiosum & superantem humorem educit. & per præpositionem praui succi integrã

B euacuationem declarauit. Cumque significare vellet, humida corpora euacuari debere, dixit, *siccare.* id enim per digestionem facimus. hoc est superfluentem humorem, & corpus vuidum reddentem per nitrum, arenam, saponem, & id genus alia digerentes, id est in halitus conuertentes siccitatem inducimus. Id autẽ facimus, vbi circa cutẽ humor est. Neque enim per venæ sectionem, aut purgationem hunc detrahere possumus. Defectum autem humorum per cibos supplemus. Frequenter enim iuuenis florentis ætatis pituita abundauit, & hanc euacuamus. in sene verò si pituita redundauit, eam non educimus, sed quàm primum ei bonum alimentum damus.

C His enim de causis cibi & vituperantur, & laudantur à Galeno, non eiusdem ratione, sed ad aliud & aliud referentes. Nam brassica in libro de alimentorum facultatibus damnatur: quoniam succum malum, & excrementa generat. Sed in libro de simplicibus medicamẽtis ipsam multotiens, tanquam medicamentum laudat. Sic igitur vt cibus respuitur, vt medicamen admittitur, nam ipsa in diuersis affectibus vtimur. Extrema verba sunt veluti peroratio. quoniam alia membra euacuationis indigent, alia humorum supplementi. Et hoc est, quod voluit, cum dixit, *partim quidem sic, partim verò non. Extenuare crassum efficere, &c.* Crassa corpora aut victus ratione, aut

D medicamentis extenuanda sint, nam in libro de Symptomatum causis scriptum est, incrementum præter naturam fieri, vt Nicomacho medico accidit. Tunc enim extenuare oportet. ideo de extenuatione carnis scriptum est. Oportet autem subtiles humores crassos reddere. ideo de humoribus dicit, tenues humores vt crassescant, facito, ea propinans, quæ ex similagine & lacte fiunt, & crassos attenua: sicut eos, qui in pectore continentur. cum materiã esse crassam, ac tussim excitare vides his, vtendo, quæ ex ordeo fiunt, vt ipsam materiã subtilẽ efficias, marrubium, & hyssopum adhibens. Vas autem dicit totũ corpus Sic & cutem si aucta est, diminuere: si

E diminuta, augere conuenit. Quidam codices habent, neruos. Sed nõ rectè. Quoniã verò inquit Hip. multotiẽs ego breuiloquus sum, cum

dixi, & alia, tu intelligas quęcunque incremento, aut decremento A
indigent. Rursus & hic eſt epilogus. quoniam frequenter membra
multa augeri, alia contrà minui poſtulant, propterea dixit, *Et hæc qui-
dem ſic, ea verò non.*

7 *Complanare, Exaſperare. Durare, Mollire. aliqua quidem, aliqua non.*
Hoc loco videntur contraria eſſe, durare, & mollire. Iccirco dicit Hip
pocrates, ſi dureſcant mollia membra, ipſa mollienda ſunt, quemad-
modum aſperæ arteriæ contingit ſi mollior euadat, cum naturaliter
dura ſit. eam durari conuenit. quemadmodum & vterum, quem na-
tura, vt geniturain ſuſciperet, durum creauit. ſicut etiam in exterio-
ribus cernimus. nam qui ædes extruit, parietem exaſperat, vt calcē B
retineat. Iterum & hîc epilogum facit dicens, *aliqua quidem aliqua
non duranda, aut mollienda.*

8 *Excitare ſtupefacere. & alia, quæcunque huiuſmodi ſunt.*
Crebro ad ęgrotum venio: & hunc à principio excandeſcentem ferū
atque iracundum non ſolùm in domeſticos, ſed etiam in alienos re
perio: ac mores ſuos cōſiderans, licet ſit furore percitus, id ei ob tē-
peraturam, euenire affirmo. poſtea rurſum ad ipſum accedens mitē,
repente quietum, ac taciturnum euaſiſſe animaduerto. tunc ipſum
ſtupore captum eſſe aſſeuero. Ipſi itaque calidā & acria admoueo,
quo ipſum excitem, & ad priſtinum ſtatum reſtituam. Alter à princi- C
pio erat mitis & placidus, poſtea ſubitò ipſum furibundum & effe-
ratum inueni. atque tunc eundem furere dixi, ac ſtupefacientibus re
medijs vſus fui. Et hæc in præſentia dicere voluit Hippocrates. Dixit
autem, *Et alia quæcunq; huiuſmodi*, vt intelligas, omnia irritata ſtupefa-
ctorijs ſopiri, ſtupefacta calidis & acribus excitari.

9 *Deriuare: cedentem reuellere ſtatim: renitenti cedere.*
Sciendum eſt, aliud eſſe reuellere, & aliud deriuare. nam reuellimus,
quando ſecundum rectum materiam procul ducimus. Deriuamus
autem, cum obliquè in adiacentia membra materiam ducimus. E-
xempli cauſa proponatur cœliacus affectus, & alui profluuium. Si D
deriuare volumus, ad vias vrinæ materiam deducere ſtudebimus. di-
xit enim Hippocrates. *Vrina multa noctu reddita modicam deiectionem
ſignificat.* Nam conuerſa ad vrinam materia non amplius venter fluit.
Verùm cum plerunque renes ſint vitiati, & propterea ad ipſos deri-
uatione vti non debeamus, reuulſione vtendum eſt, & per vomitum
materiam euacuabimus, vt ſuperius eiecta ne fluat in ventrem. Cę-
terùm dum hoc facimus, & euacuationem repentè per ſuperiora mo
limur, natura debilitatur. idcircò Hippocrates, vt in medio natura
quieſcat, dixit, *cedentem retrahere*, vt intelligas, facta reuulſione, vbi nu E
trieris, iterum eſſe reuellendum. & hoc per illa verba ſignificat.
renitenti cedere. & quod alibi dixit, *in exercitationibus quieſcere ſtatim*,
hoc loco dixit, *renitenti cedere.*

A 10 *Alium succum, non qui exeat, ducere: exeuntem verò vnà effundere. facere simile, vt dolor dolorẽ soluit. Dissimilia, si sursũ vergant elata, per inferna soluere, & contraria itidem, vt capitis purgatio, venæ incisio, quando non temerè detrahitur.*

Suprà dictum à nobis fuit, si recordamini, Hippocratem hoc in volumine de priuatis morbis agere. atque ideo sermonem hunc non esse continuum. neque enim publicos morbis docet: quemadmodũ ipsa disiuncta tractatio manifestat: verum similiter voces prius declaremus: deinde Hippocratis mentem explicemus. De humoribus B hîc mentionem facit. scitis enim, quid sint, humores, quos Græci χυμοὺς vocant, eò quod in nostris corporibus diffusi sunt. Dico autem sanguinem, bilem ruffam, & nigram, & pituitã. Hi nanque si qualitate, & copia moderatè se habent, corpus nostrum rectè & salubriter affectum est: quòd si qualitate, aut copia vitientur, morbi exoriuntur. sed quid de his loquor, cum humor naturæ nostræ amicus, nempe sanguis, si modum excesserit, morbos concitabit. Quare & in Aphorismis dictum est, *In extremo boni habitus periculosi sunt. prout plus, aut minus abundat in corpore, magis aut minus noxius erit.* Quemadmodum & tertiana erit sæuior, aut mitior prouti flaua bilis magis C minusuè peccabit. Hi enim omnes succi, græcè χυμοὶ vocantur, propterea quòd in corpore nostro liquati ac fusi sunt. *Exeuntem*, dicit quando videlicet mouetur, & fertur extra corpus. *Vnà effundere* dicit, idest, simul euacuare cum natura, quasi dicat, quando natura euacuat, sed non perfectè, & tu similiter euacua, et quæ natura euacuat, eadem & tu: si per sudorem, & tu per sudorem, emitte materiam: si per effluuium sanguinis è naribus, tu quoque idem facito. sic & in alijs. Quid autem sibi vult, cum dicit *Facere simile*? in quibusdã exemplaribus legitur *Irasci*: in quibusdam *operari* in quibusdã *turgere*, & horum trium adducenda est à me interpretatio. Nam si legatur D *Irasci* sic intelligitur, nempe, quòd quemadmodum hominem ad iram instigamus, eodem modo & materiam irritamus. & hoc vult Hippocrates. Etenim hominem ad iram impellimus, ipsi probrum dicentes, aut eum aliqua alia iniuria afficientes. oportet et in materia nos idem facere, ipsam per medicamenta purgantia, aut per alia quædam huiusmodi agitantes. propterea dixit *Irasci*. Sed mala est locutio, & Hippocrate indigna. Igitur dicere conuenit, sententiam quidem esse Hippocratis, locutionem verò minimè. vt suprà dictum est. At qui legunt, turgere, magis propriè legunt. turgere autem significat furere. hoc autem ab animalibus sumptum est, quando co-E eundi libidine stimulantur, & ruunt in venerem. Alij verò legunt, *Facere simile naturæ*. Sed quid est, quod dicit? *videlicet* cum natura huiusmodi humorem generet, tu quoque talem genera. Sed dicimus

hunc humorem præter naturam abundare, & ad æqualitatem redigendum esse præcipimus. nunquid ergo Hippocratricum preceptũ tollitur, dicens *Contraria contrarijs sanantur*, ecce enim Hippocrates iterũ subdit, *Dolor dolorem soluit*. Et qui huius sunt opinionis, exẽplũ adducunt, quo id verum esse credatur. Venit ad me quidam coxæ dolore vexatus, illi vstorium remedium applico, & dolorem excito ac per dolorem vstionis coxendicis dolor finitur. Alter venit dentis dolorem patiens: ego sumpto ferramento, eius dentem euello, & nouũ dolorem inferens priorem dolorem sedo. alius paulatim vomit, & nauseabundus est: ego verò simulac per vomitum eduxi materiam, vomitum citans priorem vomitum sustuli. Præterea venit ad me alilius, quem laxi intestini dolor torquebat, ei per castorium & centaurium remedia præbui: quæ cum sint acuta dolorem excitaui, et priorem amoui. Deridendi autem, qui hæc referunt. Neq; enim obiectionem vllam admittit Hippocratis regula, quæ dicit: *contraria contrarijs curari*. sciendum est enim, curationem aut per se, aut ex accidenti fieri. Quippe morbi per se contrarijs curantur, symptomata verò per accidens. Nam symptomata sunt, quæ istos decipiunt. Nẽpe qui vstorium auxilium coxæ admouit, non per excitatum dolorẽ coxendicis affectum discussit: sed quoniam frigidus & humidus, pituitosus videlicet succus infestabat, vstorium, cum sit calidum & siccum, noxiam materiam consumpsit, atque ita malus affectus ablatus est & præceptum asserens contraria contrarijs sanari, inuiolatum remansit. Idem & de euulso dente asserendum est. non propter dolorem à ferro, quo dentem euulsi, priorem dolorem abegi: Sed quoniam dentem noxium extraxi, iccirco dolor iste finitus est. pariter & in vomitu euenit, quia totum vitiosum humorem euacuaui, ob id vomitus sedatus est. Perinde & in colico affectu, vbi lædentem humorem & laxius intestinum cruciantem euocaui. dolorem extinxi. Verùm ne per se curantia, & per accidens eadem esse intelligas, dixit Hippocrates, *à distentione occupato media æstate, iuueni bene carnoso aquæ multæ frigidæ inspersio caloris reuocationem facit*. ne intelligeres à frigida distentionem fuisse discussam, caloris meminit. & ecce per accidens factam fuisse curationem. Postea subingit: *Si humor lædens sursum petat, ipsum ad inferna reuellito: si vero deorsum, ad superna attrahito.* Hoc loco communem, & priuatam euacuationem docet: si cõmunẽ vis accipere, purgatorio medicamento vtitor: si priuatam, posterioribus capitis partibus dolentibus, tunc frontis venam rectá incide. Dictum est autem ab ipso in Aphorismorum libro: *Posteriora capitis dolentibus vena frontis recta incisa iuuat*. Et hęc est verborum interpretatio Verùm vt sententia percipiatur, quædam præsumenda sunt, quorum primum est hoc: Quibus iudicatio fit, aut facta est integrè, non mouendum, neque quicquam faciendum, sed sinendum. Alterum

dicendum,

A dicendum, est hoc, si qualia oportet purgari, purgentur, & conducit, & bene ferunt: si verò non, contrarium euenit. Hoc autem communiter dicitur per hunc sermonem: quoniam humorem, quem euacuari conuenit, si natura expellit, vtile est: sin alium à noxio euacuat, hoc morbi efficitur prauitate. Nam si tertiana sit febris, & pituita exeat, res difficilis est: si verò lędens materia pura euacuatur, malum est. Quoniam Hippocratis regula est, non synceros humores euacuari. primum præceptum est hoc, si natura morbum iudicat, tu quiesce: rursum, si congruenter rationi iudicauit, sed non perfectè, naturæ opem feras & perfectè lædentem humorẽ euacua. Quòd si B natura euacuans labefactatur, multumque euacuauerit, auxiliare, & euacuationẽ supprime, & hoc est, quod dicit Hippocrates. Quid verò est, quod dicit, *non exeuntem ducere, exeuntem verò vnà effundere:* perinde est, ac si dicat, maleficum humorem naturam imitans euacua. qua si dicat, si natura eum expulit, sed non prorsus totum, tu reliquum integrè educito. hoc est, post naturæ actionem, & tu aliquid agas. & hæc est præsentis dictionis sententia. Hæc particula, *Dolor dolorem soluit,* superuacuè adiecta est. *Dissimilia si sursum vergant elata: per inferna soluere*; Hæc verba præcipiunt, oportere vti reuulsione, si materia noxia est: si superiora inuadat, deorsum trahenda est: sin C inferiora, sursum reuellenda. Opus est enim ad ignobiliora membra reuulsionem fieri, sed inferiora minus nobilia sunt. At obiicies, non ne interdum ad superiora humorem trahimus, vt in cœliaca vocata ventris affectione? Ad hanc obiectionem respondemus. Quando magna causa vrget, tunc sursum attrahendum. Sed hoc frequenter facere non conuenit, videlicet ad superiora vitiosam materiam ducere: plus enim detrimenti afferes: cum partes illæ inferioribus sint nobiliores. posteaquam vniuersi corporis purgationes docuit, vult modo & partium tradere. Nam vbi corpus excrementis refertum est, euacuatione vtitur, purgatione scilicet, aut venæ inci- D sione: quando verò excrementis vacat, localibus vtitur auxilijs & sic materia per exhalationes digeritur. Quòd si totum corpus exhaurire volueris, purgatorio vtitor medicamento: Si verò posteriores capitis partes vexauerit dolor, & tu partis euacuationem facies, ac venam, quæ est in fronte, rectam incides. Sicut in totius corporis euacuatione, quæ in summo sunt, ad ima deduces, sic & in parte dico, à posterioribus capitis partibus ad anteriores attrahito. Hoc enim significant hæc verba, *Et contraria itidem vt capitis purgatio, venæ incisio. quando non temerè detrabitur.* Non temerè dicit, ad quantum referens, humoris, aut ad quale, aut ad quan- E tum, & quale: quippe cũ non debeat plus aut minus euacuari, quàm expediat, neque vnus humor loco alterius, neque alieno tempore. Igitur si bilem ruffam exhaurire volueris, à tempore regione, ætate,

ac id genus alijs indicationem sumito. Hoc autem vt pote rarò di- A
ctum memorauit.

11. Abscessus, veluti bubones signum quidem sunt germina habentium, cum aliorum, tum præcipuè viscerum. maligni autem sunt hi.

Hæc frequenter alibi dicta sunt. Sed quoniam multotiens repetita iuuant, iccirco iterum declaranda suscipio. Verùm vt moris nostri est, primum vocabula interpretemur, quæ impropriè, & per translationem posita sunt. Germina vocat Hippocrates, quæ è terra pullulant. præterea & ramorum teneras extremitates. Hoc loco B
nomine abutens germina appellat. & ea, quæ foras exeunt, & quæ intus manent, nondum foris apparentia, sed in nobilibus membris genita, loquitur autem de bubonibus. Exempli gratia, supponatur quispiam febrim habens non vrentem illam Diariam. nam & ipsa vrens est, sicut ab Hippocrate dictum est. *Febres aliæ quidem mordentes manum, aliæ verò circum vrentes*: Sed febrim habeat ardentissimam atq; (vt ita dicam) pestilentem. mox duo medici superueniant, vnus Hippocraticus, alter ineruditus. Atque ineruditus bubonem inueniens statim dicet, leue malũ est ac sine periculo. Nã Diaria febris est.
At Hippocratis doctrina imbutus medicus scientificè scrutabitur, nũ C
vlcus, aut vulnus in parte aliqua corporis ægrotus habeat, vnde bubo exortus sit: & tunc bubo causæ signum erit: ipsius autem febris causa. Sed in pestiferis bubo febris & materiæ indiciũ est. Verùm considerans Hippocrates multitudinem, quoniam multotiens in penitiorib. locis materia feruet, & prius apparet bubo, dixit, *Febres in bubonib. præterquàm Diariæ, omnes malæ*. nã pestilentes febres non sunt bubonibus posteriores: sed primò fit putrefactio: postea natura putrem humorem discutere nitens, eius partem extrudit, & ad imbecilliora membra depellit, & ab his locis morbi cognitio sumitur. Aut enim
pone aures bubones oriuntur. quod cerebrum laborare significat: D
aut sub axillis: idque cordis & pectoris partium male habentium indicium est: aut in inguinib. & hoc iecur & ventrem pati nobis ostendit. Nobilius est autem cerebrum corde, cor iecore & ventre. Verùm hoc non diuinamus. nam dicit Hippocrates, *tum præcipuè viscerum* Viscera appellat omnia primaria membra in penitioribus latentia: vt cerebrum, cor, Iecur. Cum autem dicit, *& aliorum*, significat aliorum membrorum tumorem habentium, calidũ scilicet abscessum, qualia sunt Erysipelata in profundo superuenientia. Hoc verò significãt hęc verba. *Isti autem maligni bubones partium ab ipsis affectarum indicia sunt.*

12. Spiritus parui, crebri, magni, rari, parui rari, crebri, E
magni, extra magni, intus parui. intus magni, extra parui.

His

A *Hic extendens, ille vrgens. Duplex intrò reuocatio, vt super inspirationis. calidus, frigidus.*

Posteaquam Hippocrates de Succorum purgatione tractauit, post hac de respiratione agere proponit. in quo summa vtitur diligentia. Cum verò maximo vsui sit respiratio. ideo & maximo detrimento est eius permutatio. in libro de Præsagijs. in libro de spirandi difficultate, & hoc in loco de ipsa mentionem facit. Sed hic vberius quàm in præsagijs de respiratione sermonem facit. Nam ibi de æquali tantùm, hic & de inæquali tractatur. In libro verò de respiratione difficili plura quàm hoc loco recenset. Scire autem oportet, Hippocra
B tem respirationem à materia spiritum appellare. dicit enim, *ipsum paruum, frequentem.* Hac de causa sermo de respiratione fuit necessarius, nam cerebro agente ad vsum cordis efficitur, vt aer per inspirationem ad refrigerandum natiuum calorem inducatur, per expirationem fuliginosa recrementa propellat. Id quoque scire conuenit, quot sunt arteriarum motus, quem pulsum vocamus, tot etiam esse respirationis permutationes. Docet autem & simplices, & compositas, à quiete, cum dicit *crebram, & raram*: à motione, cum dicit, *maguam, & paruam*. à motus magnitudine, cum dicit, *magni & parui spiri*
C *tus.* Quatuor ponit modos simplices, & quatuor compositos, simplices, dicens, *magnum, crebrum paruum, rarum:* compositos, cum dixit, *magnum & crebrum, magnum & rarum, paruum & crebrum, paruum & rarum.* Porrò magna & frequens respiratio est, quando tantùm calida qualitas abundat: & natura calidum naturale refrigerare conatur. tunc enim magnam spirationem edit. vbi verò non sufficit magnitudo, & frequentiam assumit, quo per ipsam quod deficit, suppleatur. Magna & rara spiratio fit in delirantibus, sed prima in his raritas apparet. Quoniam verò sic in discrimen suffocationis incidit, cerebrum vnam magnam respirationem facit, perin-
D de, ac si à sopore excitaretur. atque sic à principio magna & rara respiratio editur. Fit parua & crebra, vbi vomica in profundo latet. Verùm contrà se habet hîc, & in phrenitide. Nam in phreniti[illegible] apparet raritas, in vomica frequentia. quoniam spirabi de primo [illegible] sint præ dolore dilatari, parua necessariò les partes, cum non po[illegible] fit respiratio. cumque ob paruitatem non satis aeris attrahatur, adijcitur crebritas. At parua & rara in his fit, quibus interna refrigerata sunt, & natiuus calor emortuus. De quibus loquens Hippocrates appellat frigidum spiritum. Celerem & tardam respirationem silentio præterijt. aut quoniam hæc tractatio reminiscentiæ gratia
E composita est, aut quoniam in magna & crebra celeritas, in parua & rara tarditas comprehenditur. Spirationem indicat inæqualem per ea verba, *Extra magni, intus parui, & contrà intus magni, intus parui.*

Id ob naturæ imbecillitatem fieri solet nonnunquam retinente, non nu nquam retenta. At cum dixit, *hic extendens, ille vrgens*, significat, multotiens adesse humiditatem, & partes circa pectus relaxari, & ic circo supra emissi spiritus proportionem deferri. Contrà membra pectoris superuacuis emundantur, atque iterum supra proportionē fit inspiratio. atque ita se habet præsens sententia. *Spiritus parui crebri, magni rari.* Ecce à materia sumpsit initium, hoc est, à spiritu. qui & inspirationis, & expirationis est materia. Et animaduertas quod cum, vt memoriæ suæ consuleret, hæc scripserit Hippocrates, & simplices, & composita,s respirationes eodem loco docet. Simplices, cum dicit, *Spiritus parui frequentes, magni, rari*: compositos verò, quando ita loquitur, *parui & frequentes, magni & rari*: & non dixit, magni & parui, rari & frequentes. Neque enim simul coniugari possunt. At quādo dixit *extra magni*, fumosos vapores expelli declarat. Cum dixit, *extra parui*, calorem innuit, cui refrigeratione opus est. & ex his inæqualem respirationem ostendit. Verba autem illa, *hic extendens, ille vrgens*, explanata sunt, cum sententiam autoris interpretabamur. Quod est in pulsibus bis pulsatio, hoc est in respiratione duplex intrò reuocatio. aut si placet, dicas, quod est interpellatus pulsus, id est, duplex respiratio, quæ ob naturæ infirmitatem efficitur. Et quoniam idem est bis pulsans, ideo seipsum interpretans ait, *cum loco primæ respirationis fit altera*. Nonnulli in fine hoc verbum respirant, adijciunt, ita legentes, *calidum, frigidum respirant*. quod vtique falsum est. Nemo enim eodem tempore calidum & frigidum simul respirare potest. A B C

13. *Medicatorium oscitationum continuarum diu inspirantes.*

Per hæc verba continentium oscitationum curationem tradere vult Hippocrates. nam quæ per interualla & vulgò contingit, curatione non eget, Propterea dixit, *continentium oscitationum*. Sed quomodo hæ oscitationes gignuntur? à crassis flatibus in lacertis malarum congregatis. Nam docet anatome, ab internis spirandi cauitatibus, & à gutture musculos ad malas deduci: & ibi spiritum colligi. & quod in scapularum lacertis est pandiculatio, in maxillis oscitatio appellatur. Sed quomodo huic medebimur; ad locum vbi labia & nares copulantur, venit spiritus ad cognatum aerem erumpere cupiens. & ibi in angustijs luctatus, multiplici motu sæpe reuertens incalescit, ac extenuatur. An ignoramus, quid calor arctatus facere soleat, quando rigore neruorum occupatus ex accidenti liberatus fuit? quoniam aquæ multę frigidæ inspersio calidum ad interna repulit, ac multiplicauit. Hoc igitur modo & in oscitationibus flatu concluso per accidens sanitas oritur. Verùm quid est quod dicit, *diu inspirantes*? Cum verba hæc interpretari vellet Galenus, D E

dicit

dicit malam esse hanc vocem, Diu, cum inspirationem diuturnam, dicere oporteret: dixit, *diu inspirantes* id verò significat, inspirationẽ longo tempore fientem. Iterũ volens hæc verba enarrare Galenus inquit, *hanc elocutionem non modo esse vitiosam, verùm etiam obscuram.* Cæterùm id nosse oportet, in id genus obscuris & ambiguis sermonib. enarratores diuinatione vti. neque enim veritatem enunciant, sed ad verisimile magis accedunt. At nos pro virili veram semper explanationem adducemus.

14 *In abstinentibus à potu, & vix breuis spiratio.*

B Quid hoc loco vult Hippocrates? Abstinentes à potu appellat phreniticos, nam & si eis sitis adueniat, non tamen sitiunt, non sitientes non bibunt. Sed quid significat dicens, *Et vix, longa, aut breuis spiratio? angina laborantes*. Duplex hoc loco scriptura inuenitur. nam quidam codices habent *breuis spiratio*, quidam, *longa spiratio*. & per hæc vult Hippocrates præscientiam vitæ ac mortis indagare Siquidem in phrenitico spirationem magnam & raram inuenio, & hoc esse periculosum affirmo. & hoc haud immerito. Verum diuina clementia superuenit, & in melius inclinauit phreniticum. nam ego postea reuersus eius spirationem paruam & frequentem offendi, ac dixi, bona spes affulsit. At in laborante angina, C parua est & crebra spiratio: & potus per nares effunditur: periculumq; imminet, ne per suffocationem pereat. Tunc ego dico, in isto paruam & densam spirationem esse prauam. quòd si in magnam & rarã euadat, tunc ægrotus sanabitur. Sed posterius maturescente angina, magnam respirationem fieri, & ab alijs exemplis didicistis, cum acidam eructationem noxiam esse dicebamus, sed in læuore intestinorum salutarem: quia naturam concoctionem aggredi significat, quemadmodum & vua principio quidem acida est, posteà verò dulcescit.

D 15 *Secundum rectum & costarum dolor, & præcordij contentiones, & Lienis elationes, & è naribus eruptiones, & Aures secundum rectum. Horum plurima huiusmodi & in oculos.*

Posteaquã de respiratione sermonem fecit Hippocrates, secundũ ipsius æqualitatẽ & inæqualitatem, deinceps de morbi sanatione tractationem aggreditur. atque sic ad alia docenda se transfert. Porrò à nobis sæpius dictum est, vincente natura morbi fieri mutationem, ipsumq; aut per abscessum, aut per sanguinis effusionem finiri, nunc autem sanationem, quæ fit per abscessum, docet Hippocrates. Sed quando salubris est morbi per abscessum mutatio? tum E scilicet, quando fit phlegmone. quam phlegmonem Hippocrates per symptomata circumscribit. & appellat laterum, seu costarum dolores.

& præcordiorum tentiones,& lienis elationes. Nempe in genito abſ- A
ceſſu hæc exiguntur, vt poſt concoctionem oriatur. & die iudicato-
rio, & à membro nobiliore ad ignobile materia transfundatur: For-
taſſe & quarta conditio requiritur, vt materia ſecundum rectum de-
trudatur,quod hoc loco refert Hippocrates. Quippe ſi è directo hu-
mor expellitur, facultatem robuſtam eſſe indicat :at ſi ad alia mem-
bra delabitur,facultatis imbecillitatem ſignificat. vt exempli gratia,
ſi ſit ſagittarius, qui ſagittam in aliá partem, & non in quam deſtina-
uerat arcu emittat. Nam ſi in dextro ægrotantis latere abſceſſus, qui
erat in dextro oculo, ſuperueniat, bonum ſignum eſt: ſi in ſiniſtro,
malum . Et hæc eſt huius particulæ ſententia et præcordiorum con- B
tentiones, et Lienis elationes. Scire oportet, quod hæc vox Hypo-
chondrion apud Græcos Iecur ſignificat : atque ideo ſubiunxit eidē
ſplenem ſed cum plurali numero dicitur, Hypochondria, Lienem,
ventrem , & cætera, quæ ſub Hypochondrijs continentur, viſcera
complectitur. Hæc verba poſtea ſequuntur. *Ex naribus eruptiones, & Aures ſecundum rectum.* Per eruptiones è naribus, ſanguinis effuſionē
oſtendit:per aures verò abſceſſū,qui è directo iſtorum fiat.ſequuntur
deinde & hæc , *Horum plurima huius modi & in oculos.* Nonnulli hanc
partem cum ſuperiore ſermone connectunt. nōnulli cum inferiore.
Qui cum ſuperiore, dicunt, quoniam hæc per abſceſſus fiunt , ſi ſe- C
cundum rectum fiant abſceſſus, ſanabilis eſt morbus:ſi non ſecundū
rectum, inſanabilis. Et hæc plerunque ita eueniunt. Nam raro abſ-
ceſſus ſecundum rectum malus eſt: & qui non ſecundum rectum, ſa
lubris. Verùm eorum,quæ raro incidunt, cauſas referre non poſſu-
mus. At qui cum inferiore verba illa copulant, dicunt, horum pluri-
ma ad oculos tendere, hoc eſt, ad oculos confluere materiam ſæpe-
numero oportere: & ibi tanquá in mēbro ignobili oculo ſcilicet, &
aure abſceſſum fieri. Nam licet ipſa quoque ſint membra nobilia,
minus tamen, quam pulmo, nobilia ſunt. Quapropter cum pulmo
læſus eſt, hominem perimit. oculi verò , aut aures laborantes mor- D
tem non inferunt : Verùm quo ad mortem attinet, à quibuſdam
oculi pulmone digniores habentur. quippe qui oculis capti mori po
tius, quam viuere cupiunt.

15 *Vtrum igitur an omnia an, quæ quidē ab inferis ſurſum? qualia quæ iuxta maxillas, aut etiam oculum, aut etiam aurem? Quæ verò à ſuperis deorſum, non ſecundum rectum? at qui & in angina rubores & coſtarum dolores ſecundum rectum.*

Item iſte eſt alius ſermo: ſed interrogatiuè profertur ab Hippocra E
te. & dubitans dicit, vtrum an, ſed vtrum & an, idem ſignificant.
vt ſi dicamus, vtrum fiet conſtrictio, an non fiet? Sed vtrum vſitatius

A est, an verò magis proprium. At quid per hæc verba vult dicere? Nempe quod quemadmodum ab inferis partibus sursum versus fit abscessus, sic & qui à superis deorsum versus asseriq; ita fieri. nã sicut oculo patiẽte abscessus circa maxillã aut dextrã aut sinistrã oritur, pariter & in Anginosis inflammatione guttur occupante, abscessus multoties costas inuadit. atque ita per pleuritidem angina discutitur. Et animaduerte, quòd inflammationẽ in angina factam per suum accidens manifestat, id est, per ruborem. Inquit Hippocrates, quasdã transmutationes fieri, quæ non bene cognoscimus, vnde ortum habeant, an ordinatè, an extra ordinem. Dicit enim veni ad quendam
B ipsumque atra bile laborantem, stulta loquentem, & inordinatè manus agitantem offendi. paucis diebus post ad eundem reuersus ipsũ inueni sedentem, & mente constantem. Vnde hoc euenisset consideraui, ipsumque aliàs hoc morbo vexatum esse cognoui, & à terrestri, melancholicoque succo fieri. & Melancholiam vocatam ab eadẽ materia generari. factusq; fuit abscessus in dextro crure prius, postea in sinistro. Iterum alium tussis inuasit, qui nihil expuebat, & pulmo interclusus erat: ac post dies paucos desiit tussis. At ego causam perquirens in eius testiculos phlegmonem ingruisse deprehendi. ibique materia inhæsit. Nouistis enim partes pectoris cum genitalibus
C esse connexas. & ex qua parte pulmonis illuc materia decubuerit, ignoro. Tu verò Hippocratis exempla considera, Melancholiam videlicet, & tussim pulmonem infestantem. Siquidem melancholiam patiens quæ capitis pars affecta sit, ignorat: in pulmone verò sensus non est. Igitur cerebrum ob mentis alienationem, pulmo verò ob sensus priuationem non sentiunt. Quapropter an salubriter, an perniciosè transmutata sit materia, nisi ab euentu præscire non licet.

17. *An & ea, quæ infrà Iecur, aut suprà distribuuntur. vt quando in testes & varices.*

D Scire oportet, Iecur totius corporis esse medium. Nam veteres autores septum transuersum in medio corpore positum esse dixerunt. Quòd si transuersum septum, iecur quoque, & eius conuexa, vt pote transuerso septo adhærentia. Infrà iecur esse dicit testiculos, & crura. Suprà iecur Thoracẽ, & quę ab eo continentur: & ea, quæ ad caput pertinent. Sed inter superiora quædam magis suprà, quædam minus. vt Guttur, & oculus: sed Gutture superior est oculus. Et in inferioribus eadem ratio est. Nam & hoc magis infrà, vt crura, hoc verò minus, vt testiculi.

E 18. *Considerand a hæc, quo, & vnde, & propter quid, & per qua.*

Per hæc verba nobis ostendit Hippocrates membrum, quod mit-

tit membrum, quod recipit, modum abſceſſus, & membra, per quæ pellitur materia: hoc eſt partes deferentes, per eam vocem, *quo*, recipientes indicat: per eam, *vnde* emittentes: per eas, *propter quid*, modum, per quem fit abſceſſus, ſignificat an ex propoſito naturæ factus ſit, an ex morbi prauitate: per ea verba, *& per quæ*, locos innuit, per quos materia decurrit. nam plerunque nobilia membra eſſe deprehenduntur, per quæ materia tranſit: quæ aut ab illo tranſitu vexantur, aut alterius morbi abſceſſum patiuntur. atque ita deteriora mala eueniunt. Sic & in aqua fieri ſolet: quippe cum ſit aliquod emittens, aliquod Vas recipiens, & canalis per quem aqua delabitur. A

19 *Venæ temporum non firmatæ, neque viriditas ſplendens. Si ſpiritus intus relinquitur, aut Tuſsis arida non ferina, in Articulos decumbere. Expectare ſecundum diſtentionum rectum inceſſum, quæ in ventre fiunt. & clauda facit membra.* B

Cum de perfecta iudicatione egiſſet Hippocrates, Deinceps vult de imperfecta tractare, & inquit, *Morbi, qui finiuntur, aut per euacuationem, aut per abſceſſum aut per vtrumque finiuntur*. Nam ſi concoctio nō perfecta fuit, tunc & abſceſſus plerunque fit repetente morbo. verùm vnde ſcire poſſumus imperfectam iudicationem factam eſſe, & morbum reuerſurum, & abſceſſum futurum? ex eo ſcilicet, quod in temporibus arteriæ micant, quas venas appellat Hippocrates. At quid ſibi vult: nonne ſemper micant? micant, quidem, ſed placidè, & tranquillè, necnon & cum rubore. Viriditatem autem appellat colorem, vt Iones loquuntur. Nam apud Græcos quinque ſunt idiomata apud grammaticos videlicet Commune. Atticum, Aeolicum, Ionicum, & Doricum, Nō vult enim vt quidam putant, propriè viridem colorem dicere: Sed ſimpliciter colorem ſecundum Ionicos. Igitur dicit, & colorem non ſecundum naturam eſſe, & ea quę ad ſpirationē attinent, non permaneant. Et hoc indicauit inquiens *Si ſpiritus intus relinquatur*. Ad aliud poſtea docendum ſe tranſfert Hippocrates Et dicit, *Si adeſt tuſſis ſicca*, ideſt, ſine ſputo, *neque ferina*, id eſt, non vehementer aſpera, ſi permutatio fiat ſecundum rectum inceſſum ad inferiora, per ventrem, vt plurimum, decurrit humor: & ad dextram, aut leuā partem fertur ac ſæpius ad mobilia, & concaua mēbra articulos ſcilicet, inuadit: aut ſurſum ad manus aſcendit, & eas partes claudas reddit. Alibi enim dictum eſt, claudum non ſolum de pedibus, ſed etiam de manibus dici ſolere. C D

20 *Ita verò ſe habent ex his plurimi, & valde rubentes, & naturaliter albioris modi neq; de naribus ſanguis erumpit, aut paucus erumpit.* E

A Humor plerunque, cum morbus finiri debet, dissoluitur: & spiritus sursum feruntur: & partes circa faciem rubore tinguntur. atqui hoc sanguinis per nares effundendi nota est. Si materia tenuis sit: aut futuri abscessus, si crassior. propterea dixit Hippocrates, *& valdè rubentes*, verùm non in omnibus huiusmodi præsagium inuenire licet. Nam in Aethiopibus facies valde rubens nobis non apparet: neque naturaliter albior modus. Dicit autem Galenus, quoniam qui sunt albi coloris, pituita abundant, ideo per abscessum ex pituita genitus morbus tollitur, iccirco dixit *albioris modi*. Quando enim per nares non fit perfecta solutio, paucum effundunt sanguinem, posteà creaB tur abscessus.

21 *Atque siquidem effusis intus relinquitur, paratus est.*

Quidam codices habent, *& siquidem effusis, intus relinquitur*. Dioscorides autem hanc particulã interpretans, quia nõ inuenit hanc vocem, *quidem* dixit, *Si non effunditur, intus relinquitur.* nam si fiat effusio sanguinis integra finitur morbus: si non integra, sed intus relinquitur, morbus redit. Sed quid est illud, quod dicit, *paratus est*: id dixit, aut propter morbi iterationem, aut propter symptomata.

22 *Sitis intus relicta, & oris exiccatio & insuauitas: & in*
C *appetentia eadem ratione.*

Ecce ex his omnibus remanentibus significat, quæ relicta sunt, ob quæ recidiua futura est.

23 *Febres autem non acutæ eiusmodi sunt. Sed reuertentes.* Ab his verbis morbi iteratio significatur. Dicit enim, febres non acutæ sunt. vt febres esse debiles, & icciřco reuersuras indicaret. Quippe si essent acutæ, materia exturbaretur.

24 *Quæ relinquuntur post iudicationem, recidiuam facere solita sunt. Primum itaque Lienis inflationes, nisi in articu-*
D *los desierint, aut sanguis è naribus emanarit, aut dextrum Hypochondrium intentum fuerit. nisi deuient vrinæ. Hæc est enim vtriusque interceptio. & recidiuæ istorum merito fiunt.*

Si rectè meministis, supràdictum est, Hippocratem de imperfecta iudicatione tractasse: cui succedit abscessus. Et hìc rursum de abscessu loquitur, verùm hæc græca vox Apostasis non solùm abscessum, qui à loco ad locum transmittitur, significat, sed etiam sanguinis effusio: quoniam è corpore egreditur, Apostasis, latinè abscessus di-
E citur. Igitur nos vult docere, plerunque abscessum creari, aut sanguinis eruptionem fieri, sed hanc non integrè atque ideo protinus morbum repetere. At vnde id liquet morbum scilicet reuersurum.

Ex antedictis notis, quippe ex oris ariditate, inappetentia, & insua A uitate. Nunc quoque idem explorat sic inquiens, verbi gratia, si Lienem inflammatio inuaserit, si futura speratur iudicatio, aut abscessus in articulos ingruit aut sanguis è naribus erumpit, si tenuis fuerit materia, materia in iecore per multitudinem vrinę effundetur. Atque sic permutatio fiet, si in splenæ tumor, aut in iecore inflammatio extiterit. nam aut in articulis fiet abscessus, aut sanguis è naribus profluet, aut vrina copiosa eiicietur. Verùm si à splene fiet transmutatio, potius in articulis abscessus orietur, cum succus melancholicus terreus sit, & crassus, & deorsũ vergens. quod si ab Iecore materia transferatur, sanguinis effluuium potius expectandum. Verùm si permu- B tatio materiæ facienda est, ab iecore ad Lienem eam propelli, quam è contrario satius est. quippe Iecur Liene multo nobilius est. Et hoc est quod Hippocrates voluit, cum dixit, *Quæ relinquuntur post iudicationem*, adiice tu *non perfectam*. Nam si perfecta fieret iudicatio, denuò morbus non rediret. At cum dixit, *Hæc est vtriusque interceptio*, per interceptionem intelligi permutationem. Nam interceptio ab antiquis propriè dicitur, quando pugnantes intercipiuntur. Sic etiam hoc in casu eueniet, si ad aliud membrum detrusa materia ipsum intercipiat. dixit autem, *vtriusq;*, Lienis scilicet, & Iecoris. C

25 *Abscessus itaque horum facere oportet, si non fiant: eos verò, qui iam fiunt, declinare & eos excipere, si prodierint, quales oportet, & quà oportet, qui verò nõ valde, eos adiuuare. Et eos auertere, si prorsus inutiles fuerint potissimum, cum futuri sunt si verò non, cum iam exoriuntur.*

Hippocrates ad aliam transit sententiam, & inquit, oportere medicum agente natura quiescere, nihilque corpori adhibere, ipsi verò imperfectè agenti opitulari. quod si nihil prorsus agat natura, tunc ipsum ad materiæ præparationem se accingere debere. verum si ob D morbi prauitatem sãguis è naribus decurrat, aut abscessus fiat, tunc esse impediendum, At si dicas, num igitur, si ob morbi malignitatem sanguinis effluuium fiat coercendum est? maximè. Nam frequenter à liene, aut iecore ad guttur sãguis pellitur, & aspera Arteria obstruitur, ac sanguis per sputum reijcitur: tum verò occurrendum est, aut ad nares materia auertenda. cumque ad nares defluxerit, tum considerandum, crassa ne sit, quia tunc extenuanda: an tenuis, quia crassior reddenda: si vltra modum ac vires feratur, retinenda, & hoc est, quod Hippocrates voluit, cum dixit *eos recipere*, quasi dixerit, post concoctionem, & si ad partem nobilem materia non pellatur: neque E vltra virium rationem. Cum dixit, *qui verò non valde, eos adiuuare*, docet, vbi non perfecta fit iudicatio, tunc naturæ opem esse ferendam.

At per

A At per illa verba, *potissimum cum futuri sunt, si verò non, cum iam exoriuntur,* nos admonet: quemadmodũ nauis gubernatorem aduersus futuram tempestatem se præparare oportet, aut iam exortę strenuè, resistere, pariter & medicum se præmunire oportere, si fortè ob morbi sęuitiam huiusmodi mala euenerint.

26. *Quarto quoq; die sanguis è narib. si effundatur, difficilẽ afferti iudicationem.*

Per hęc verba Hip. nõ dãnat quartum diem, neq; sanguinis effusionẽ. quippe de tertiana exẽplũ affert, in qua tertio quoquę die accessiones B fiunt. & quo tempore sunt accessiones, tunc & iudicationes, Igitur aut tertio, aut quinto, aut, septimo, aut nono die iudicatio fiet, si ex proposito naturæ succedet. at si à morbi prauitate, aut quarto eueniet, aut sexto. Idcirco hanc sententiam protulit Hippocrates. *Febres, quæ diem vnum intermittentes altero cum rigore superueniunt vna cum iudicatione, à quinq; ad septem circuitus extenduntur.* inquit Hippocrates tertianæ die vno carent accessione, altero rigore. Nequę credas dictum hoc esse inutile, cum nihil inane Hippocrates dixerit. Nam si cogites, te nunquam talem sermonem audiuisse, admiratione dignus videbitur. Nam rigorem dicit vnà cum crisi, intelligens aut eũ, qui in singu- C lis tertianæ accessionibus fieri solet, aut qui, cum fit iudicatio, exoritur, id est, iudicatoriũ rigorẽ. qui in febre, quę causus Græcis, ardor latinè dicitur, euenire solet, vbi videlicet sudores emanant. vtrã mauis, interpretationem accipe. Sed quam vocat tertianam febrem? Empiri & Methodici Agathini sequaces exquisitam tertianam appellant, quæ quàm diutissimè horas duodecim occupat. si ad decem & octo perueniat, paruum Hemitritæum vel semitertianam latinè, dixeris: si quatuor & viginti, mediocrẽ semitertianam: at si ad sex & triginta horas extendatur, magnam semitertianam nominant. Verùm nos hoc loco dicimus exactam tertianam longissimum spatium ho- D rarum duodecim habere: quę ad decem & octo extenditur, simpliciter tertianam vocari: quæ ad quatuor & viginti, extensam tertianam, quę & quam longissimè vsque ad quadraginta interdum manet, sed plerunque ad sex & tringinta, & vbi nox secundi diei incidit, febris declinatio fit, sed non integra: nam continuò fit iterum superparoxysmus, qui in cõtinuis febribus superparoxysmus, vel superaccessio dicitur, in intermittentibus, paroxysmus, vel accessio. satius est enim, si vel duas. aut tres horas intermittat, quàm si perpetuam continuationem seruet? quippe sic in libro aphorismorum loquutus est, Febres quomodocunque desinant, nullum discrimen E desse ostendunt: veraum in his deficientibus protinus intermissionis tempore ad alium paroxysmum natura separare aggreditur. proinde agitantur humores spiritus dissoluũtur, obtenebratio, atq; ver-

tigo oboriuntur. & hoc est. quod dicebat Hippocrates *Quibuscunq; debent iudicationes fieri, bis nox ante accessionem molesta est, quæ verò sequitur, tolerabilior plerunq; est.* A

28. *Tusses aridæ, parum irritantes in febris exurentib. & si non secundum, proportionem, siticulosæ: neq; linguæ valde ambustæ nō ferino, sed spiritu. id ex eo liquet, quippe cū loquuntur, aut os hiat tunc tussiunt. vbi loquuntur, neq; hiant, non tussiunt. Hoc autem in febribus laboriosis potissimum euenit.*

Admiratione dignus est hic sermo, neque tantummodo fortè est admirandus, sed etiam verus, & memoriæ commendandus. Nempe B docet ardentem febrem accidere, in qua neque sitis adest, neq; exiccatio. Quamobrem id fit? quoniam exigua superuenit tussis, quæ leui motu exiguum humorem ad appetentiæ meatus impellit, ac sitim moderatur. sed quatenus ad tussim attinet, inquit, bene se habet. quoniam magna tussis magnam facit concussionem & ferinam, Cum dicit autem, *tussim non magnam* per id significat, quod inquit, *parum irritantes*, & per ea verba non ferino. ferinas verò tusses, quidam eas esse volunt, quæ fiunt pulmone exulcerato: aut si lūbrici ad os ventriculi repentes, locumque illum coarctantes tussim excitet, At huiusmodi tanquam rarò euenientia dimittantur. sed ferinam tussim C appellat, per quam nullum reijcitur sputum. huius autem causæ sunt, aut crassus humor, aut virium infirmitas, aut materiæ diffluentis tenuitas, hanc igitur tussim non admittit, sed eam, quę fit per spiritum. spiritum, inquam, frigidum. Quippe & in libro de causis traditum est, tussim & à frigido aere attracto, & à cibis & herbis, & à puluere arteriam pulmonis exasperante concitari. hanc itaque tussim, quæ fit à frigido spiritu exoritur, intelligit. Quod & per ipsam curationē palam fit. nam hac tussi laborantes, si os & labia clauserint adeo, vt ne frigidus aer inspiretur, ea liberantur. & hoc dicere voluit inquiens, *Tusses aridæ*. aridam autem tussim appellauit, quoniam modicus D est humor, qui *à tussi* mouetur, quæ lenita siti, & ipsa extinguitur. cùm verò loquuntur, aut oscitant. *Oscitare* autem dicit, Hippocrates, propter oris apertionem. Hęc est enim Alexandrinorum consuetudo. subdit Hippocrates, *Hoc autem in laboriosis febribus*. labor verò duplex est, alter sponte nascens, quemadmodum ipse alibi dixit *labores spontini morbos indicant*. alter ab externa causa qui spontinus est, tussim non mouet: quemadmodum testatur Galenus. neq; enim id vnq; in operibus artis medicæ visum est. sed à labore, qui ab externa causa ortū ducit, tussis cōcitatur. & hoc aut per se, aut ex accidēti. at nō per se potest id labor efficere: quippe hyberno tēpore, & frigidi aeris in E spiratu tussis oritur: æstate à puluere, cū spirandi arteria exasperatur.

29. *Nihil temerè nihil despicere.*

A Hæc aut propter ipsiusmet Hippocratis dicta, aut propter ægroti corpus. aut propter curationem intelligenda sunt. Propter eius dicta quoniam ipse nihil dicit casu, nihil inane, nihil oscitanter. Propter corpus verò laborãtis, quòd nihil scilicet in corpore fortuitò, & sine causa euenit, atque ideo neque est despiciendum: quia parua multoties magna quædam significant: propter curationem autem, cum non oporteat curationes fortunæ committere: & quę nonnullis priuatim proficerent, cõmuniter omnibus adhibere: neque vllo pacto singula quæque contemnere.

B 30 *Per adiectionem contraria adhibere: & interquiescere.*

Nos admonet Hippocrates, ut quoties permutationem facere voluerimus, exempli causa à calido ad frigidum, vel è contrario, aut ab illuuie ad frequentem lotionem: vel è contrario, aut ab exercitatione ad otium, vel è contrario, ne subita & continua permutatione vti velimus: sed paulatim adijciamus, & quietem interponamus, ac denuo permutemus, quoniam repentina mutatio naturam perturbat: neq; idem est, ab exercitijs ad otium traduci, ac ab ocio ad exercitia, Nam ab otio ad exercitia per corporis laborem fit traductio, à quo insolito vehementer natura vexatur.

31 *Posteriora capitis dolentē in fronte recta vena incisa iuuit.*

C Suprà dictum à nobis est, hac in parte de priuatis morbis Hippocratem agere, atq; ita se ab vno ad alium transferre. Nempe cū de abscessu, & de sanguinis è naribus profluuio sermonē fecerit, quid sperandum, quid prohibendum nobis indicans: deinceps hoc loco de reuulsione agere iterum aggreditur & inquit, non solùm vniuersè abscessum fieri posse, exempli causa, in toto corpore, verùm etiam in singulis membris. Nam sæpissime à corpore toto reuulsionem facim9: vt quando in locis pectoris materia continetur, in pedib. reuellimus. Quemadmodum & in aliquo membro, pariter & in capite: vt si quis

D anteriora capitis doleat, frequenter cucurbitulas occipitio applicantes affectum remouemus. At si posteriora capitis dolore vexentur, an sanguis abundet, considerato, ac primo totius corporis inanitione, hoc est sectione venæ vtendum est: deinde ad partis inanitionem accedendum: & anterior vena, quæ est in media fronte, incidenda. nonnulli venam hanc frontis secundum eius rectitudinem secandã esse censuerunt: verùm hi haud dubiè falluntur, quoniam sæpius & hanc obliquè incidimus. Et quemadmodū in anatomia declarauim9 duæ venæ à faucibus & scapulis ad caput ascendunt: quarū vna ad fron

E tē peruenit. & hãc secandã esse admonet & hæc est huius dicti sētentia

32 *Exceptiones præcordiorū, ex qualibus, & alia & viscerū inflammationū, qualia possunt, siue ex iecore lien, & ex opposito, &*

quacunq; huiusmodi. Reuellere, si quo nō oportet vergat: sin autē quo oportet, his oportet aperire, quēadmodū singula vergunt. A

Hoc loco superius dicta repetit inquiens, Inflammationes esse cōsiderandas, id est, materiæ transmutationes, an è iecore in lienem, vel è contrario fiant. Nonnulli hanc partem & superius dictam sic enarrant, oportere permutationes materiæ intueri, quæ à liene, aut iecore fiant: & à iecore in lienem, aut à liene in iecur desinant. quod & difficilius est, & morbum efficit grauiorem. Verùm in vtroq; animaduertere conuenit, num ad articulos currat materia, abscessusq; efficiat, an per sanguinis è naribus eruptionem finiatur, aut per lotij copiosam emissionem per exceptiones verò membrorū à materia occupationes intelligit. Iterum ad aliud præceptum transit Hippocrates, ac de reuulsione quid agendum, nos instruit, inquiens, *si ad principem partem materia fluat, ad contrarium locum reuellenda est: si ad ignobilem, tum & tu quoq; materiam illò magis concites.* vt si à liene ad guttur humor vt ad nares ascendat, neque sanguis, vt conuenit, effundatur, tunc materia illuc auertatur, ac ferramēto vena feriatur, aut medicamētis acribus, aut acutis odoribus, aut alijs remedijs venę aperiantur, neque semper, ut alij putant ferro vtendum est. vt puta si in fœmina materia deorsum petat, tunc ferreo instrumento vti non possumus, sed attrahenda materia est, aut alijs subijciendis remedijs acutis vasa patefacienda. B C

33 *Latæ pustulæ non ad modum pruriginosæ. Qualibus Simon hyeme laborabat. qui cum ad ignem inungeretur, aut calida lauaretur, iuuabatur. vomitus, nihil proderant. puto si quis calida fomenta adhibuisset, vtilitatem ille percepisset.*

Tubercula à pustulis eo differunt, quòd ipsa ab intima carne prorumpunt, eamque exedunt: at pustulæ solam cutem lædunt. Verùm frequenter tubercula pustulæ, & pustulæ tubercula abusiuè nominantur. sed per ea verba quid significare vult Hippocrates? à nobis sæpe dictum est, tubercula aut in acutum surgere, aut in latum extēdi & ampliorem locum occupare. Quæ in aciem tolluntur, materiam calidam tenuemq; ac virium firmitatem significant. Si latiorem sedē teneant, materiam frigidam & crassam, viriumque imbecillitatem indicant. Id genus autem pustulæ plerunque latæ generantur, & ob humoris frigus pruritu vacant. quod difficultatis signum est, cū temporis diuturnitatem ad earum maturationem requiri ostendat. Probationem autem huiusce dicti per historiam facit. Narrat enim quendam nomine Simonem fuisse, cuius intima corporis excrementis vacabant, sed cutis sordibus scatebat. Et quoniam apud ignem iacuit materia effusa fuit: quæ cum frigida esset, lata tubercula emerserunt, eumque per uomitus nihil auxilij percepisse dicit. Sed quid est hoc? D E

ô Hip-

A ô Hippocrates, num tu eum vomere coegisti? an ipsemet sibi immissis in fauces digitis vomitum elicuit? id verò negandum est. Quid ergo est, quod ab Hippocrate dicitur? ipsum hoc tibi dicere putato, sermonem methodo indigere. Methodus autem huiusmodi est: opus est te, (inquit) in ægrotante explorare, num totum corpus an superficies solùm excrementis abundet. nam si totum corpus, tunc purgatione aut venæ sectione vtendum est: purgatio verò per superiora aut plerunq; per inferiora facienda est: per superiora quidē, per vomitum, cùm ventriculi ostiolum humore abundat: sin intestina humore sint repleta, per inferas partes educito. Vbi id feceris, nec B quidquam profuerit, ad localia vocata auxilia transibis, quale est oleum liliaceum, aut chamæmelinum, aut aliud simile calidius oleū post primam purgationem & vomitum. Vbi verò hæc adhibueris, & res non processerit, immo contra ad locum fluorem attrahens nocueris. † In quibus erunt tubercula, neque, totum corpus prauis humoribus refertum fuerit, tum vomitus mouendi non sunt, neque eas curationes adhibeas, quę intimis partibus ægrotantibus conueniūt. neque enim proficies, sed contrà noxam inferes. Iccirco dixit Hippocrates *vomitus nihil proderant.* Igitur vt curationem doceret, inquit, in his vehementiore calefactione vtendum, quo sic humor C attrahatur. & hoc innuebat inquiens: *& vomitus nihil proderant, sed excalefactio.* & per ex præpositionem, quæ est in græco verbo ἐξεπυρία vehementiam calefactionis, & curationis significauit. Nam ex nimio calore tubercula excitantur: & ex multa calefactione fit perfecta materiæ discussio, ac permutatio. Adiecit autem hoc verbum *puto* quoniam per Simonis historiam hoc in memoriam reuocat, cum ipsum non viderit: aut quia locutio hæc est narratoria, propterea non asseuerans, sed cùm dubitatione protulit.

34 *Quæcunq; concoqui opus est occludi conuenit. contraria* D *verò exiccare, atque aperire.*

Iterum de abscessu agit Hippocrates, sic loquens, ad ægrum accedo ipsumque aut manus, aut pedis abscessu laborantem inuenio. ac statim discussoriam medelam adhibeo, calidiorem videlicet, ac sicciorem: quod si abscessum discussi, bene est: at si discussorium remedium nihil profecit. Iterum naturam imitans opus aggredior. & materiam coquere adnitor. neque amplius calidis vtor. quippe quæ meatus dilatent, & natiuum calorem exhalare faciant, vnde materiæ concoctio prohibetur. Immo superficiem densare malo, & calorem naturalem occludere, vt cutis coarctatione vehementior effectus maturationem præstet. Id autem faciendum est, vbi facultatem robustā E inueneris. quæ si imbecilla fuerit, & quæ dixi feceris, ac superficiem conspissaueris, cauendum erit, ne facultas obruatur, ac intereat. per-

inde ac paruus ignis à fumo suffocatur, siue calorem naturalem pro- A
priè, siue quam aliam potentiam calore naturali pro instrumento vtentem accipere volueris. At si in abscessu vim fortem offenderimus, tum per emplastica meatus concludere oportet. Quocirca & per sæpe suillo adipe, vtimur, & id genus aliis, vt maturescat attenueturque materia: conuenietque magis, si vetus erit adeps: quoniam vi quadam molliendi, & attenuandi, nec non & tenaciter adhærendi præditus est. Id autem esse verùm omnibus liquet, & experientia declarat: quandoquidem Empirici vocati medici interdum ordeacea, interdum triticea farina vtuntur. Siquidem discutere volentes ordei farinam accipiunt, tanquam abstergentem, dissipantem, ac vim re- B
purgandi possidentem. At concoquere cupientes triticeam capiunt: quippe quæ tenaciter adhærendi, atque humectandi potentiam habeat. nonnunquam autem & cum ea salem permiscent. & eorum, quę ex istis fiunt, causas ignorant. In alio quoque ægrotante abscessum inueni, & fomentis vsus fui. semper ab initio his medicamentis vtendum est, deinceps ad alia transeundum. Igitur discussoria adhibui, & nihil profectum est. Emplasticis vsus sum, multo minus morbus curatus est, cum ad maturationem non peruenerit. intra hæc nigror circa cutim subito obortus est, atque Gangræna. Tunc tu ferrum accipiens multis in locis altè concidito. quo membrum plura habens spi- C
ramenta materiam eiiciat, id quod Hippocrates voluit, cum dixit *Aperire*.

35 *Oculis fluxu laborantibus, si alioqui videtur conducere, in fauces reuellere conuenit. Et vbi eructatio confert: & quæcunque alia huiusmodi.*

Denuo de reuulsione sermonem aggreditur. De hoc à nobis in libro de causis actũ est: atque iterum huiusce rei mentionem facere opus est. Itaque nouisse debemus in oculi magno angulo foramen esse. quod duabus de càusis à natura factum fuit, aut sordium è cerebro D
fluentium eiiciendarum, aut ipsius cerebri ventilandi. Id foramen caruncula quædam naturaliter contegit. hæc adaucta morbum parit, quem encanthida Græci nominant, diminuta fluxionem gignit. Dicit autem factam esse morbum, qui Rhyas vocatur, ob quem humiditas per oculos effunditur ipsique lippitudine, aut cernendi imbecillitate afficiuntur. Et inquit Hippocrates *tunc ad fauces reuulsione vtendum est.* Traditum est autem in libris anatomicis, meatum illum, qui in angulo est, aculo, palato, & naribus esse communem. Et hoc in illis patet, qui oculos collyrio delibutos habentes, eius particulam ex- E
puunt quæ primo per foramen illud in palatum, deinde in fauces descendit Dicit enim, *Oportet materiam reuocare per meatum illum in fauces.*
At

A At quid est hoc quod præcipit Hippocrates reuellere scilicet materiam per cauum illud in fauces? non ne si ad fauces ducetur, & ad guttur perueniet? mox & ad pectus delabetur? atque ita deteriores casus euenient? permittens ergo ad oculos humorē confluere: Siquidem oculus pectori comparatus, multo ignobilius membrum est. Quid igitur faciundum? Respondeo, id facere oportere, si retractione ad fauces vti conuenit: quod si non conuenit, ab hac reuulsione abstinendū, & aliis vtendum. *Et vbi eructatio confert,* Eructationes quidā B spiritus humorem habentes vocant, probationem inde sumentes, quòd eructando salsuginem percipiunt: nam salsugo & humorem habet & spiritum. Quidam dicunt solum humorem: quidam spiritus expulsionem tantùm. Et hoc aut in toto corpore est aut in parte, aut inferius. Et tunc per clysterem nitrum, aut aliquid huiusmodi habentem flatus educimus. aut superius, & tunc per cibos, aut potiones id præstamus. Igitur sic enitendum est. Nam plerunque per sorbitionem cum vase angusti oris id efficitur. Siquidem ab ipso vt pote angusto spiritus in pectus attractus vim coctricem excitat, vt ipsum in exhalationem conuertat, atque sic isti confestim eructant. Persæpe autem hos ita affectos ad eructandum impellimus, si musculos inter co C stas locatos perfricamus, atque distendimus.

36 *Transitus aperiri, vt nares, & alia, quibus opus est, & vt conuenit, & Qualia & vbi & Quando, & Quantū oportet, vt sudores, & alia planè omnia.*

Inuenit plerunque Hippocrates materiam corporibus nocentē: Sed nonnunquam & sola intemperies lædit, nonnunquam & sola materia. Verum post materiam omnino intemperies sequitur. Idcirco & Hippocrates longum de materia sermonem facit. Quapropter D & hoc loco de ipsa agere proposuit, ita inquiens, *Transitus patefactos esse oportet.* Transitus autem naturales meatus appellat, vt nares, aluum, vrinaria vascula: hoc est iter, quod inter renes & vesicam dirigitur, & reliquos occultos meatus. hæc omnia transitus vocat. Quēadmodum & in exterioribus, in vrbibus videlicet, sunt ductus & horum quidam sunt aperti, vrbis purgamenta deferentes: propterea & ipsa morbis vacat. at si huiusmodi transitus occludantur, purgamēta in vrbe remanent, putredinemque. & ex putredine morbos pariūt haud secus & in nostro corpore inuenire licet. Quam ob rem Hippocrates magnam naturalibus meatibus curandis diligentiam adhibet atque ordinatè procedit, nobilitatis ordinem seruans. Nam cum ce- E rebrum sit totius corporis membrorum nobilissimū, ideo à naribus incepit, quæ cerebri purgatoria itinera sunt, quemadmodum & iecinoris renes, vesica, & eius ceruix. Item alui intestina. Et eorum

quæ in pectore continentur, aspera Arteria, & pulmonum cauitates A quemadmodũ & in toto corpore meatus occulti. Quocirca inquit Hippocrates, hos aditus, hoc est à natura factas vias patefacere opus est &, Quomodo oportet, dicit, id est secundum modum congruentem, aut per aluum scilicet, aut per viam, quæ inter renes, & vesicam posita est, aut per sudores. *Vt cõuenit.* dicit, quasi dicat, oportet nos in aperiendo vti cura, aut per purgatoria, aut per cibos, aut per id genus alia. Aperire autem Hippocrates dicit, non ferro scindi vascula, & recludi, sed aut per naturam, aut per artem ipsa inanitatẽ quandam, & exitum habere oportet per *Qualia*, intelligit quando cum ratione aperiuntur viæ & fit materiæ depulsio, vt in Aphorismis ab eodem B traditum fuit, *Si qualia purganda sunt, purgentur, prodest, & leuiter ferunt.* cum dixit, *Quando oportet*, nos admonet, vt naturam imitemur, post concoctionem videlicet, & nullo pacto antè. vbi dicit, *Quantum oportet* docet euacuationem neque minorem neque ampliorem quàm oportet, fieri debere. postea id declarans subiecit, *Vt sudores.* Nam per sudores immodicos euacuationem fieri minimè conuenit, ne vtile atque inutile simul euocetur: innatus calor videlicet, ac vitale robur. Ipse quidem exemplum de sudoribus attulit, tu verò & de ventre, ac alijs similibus, quæ tibi destinaueris, intelligito. Verum in principio sermonis dixit Hippocrates, *Vt nares.* Sciendum est autem C ipsum Narium meminisse, vel quod cerebrum per has expurgatur, vel quia natura per istas corpus euacuat, vt per sanguinis effusionem sed melior est prima causa, at secunda, hoc est fluor sanguinis non est naturæ cognita, sed prima potius. cum dixit *& Alia*, alios exitus intellexit, qui per alui deiectiones, per vrinam, & huiusmodi alia fieri consueuere.

37 *In ingentibus malis facies si sit bona, signum optimum: in paruis autem contraria bonæ significationi significans Malum.*

Ad aliam sententiam transit Hippocrates. Et illi, qui in arte perfecti sunt, quid dicat, intelligunt. Sunt enim quædã mala, quę magna D esse aspectu videntur, sed re ipsa parua sunt: contrà quædam re vera magna sunt, quæ tamen exigua videntur. Id ergo dicit Hippocrates. Nam sæpè multi accidunt morbi, qui difficultatem præ se ferunt: vnde rudis homo turbatur, sed peritus lætatur. quoniam faciem malo signo vacantem intuetur, & vires esse validas deprehendit. eamque faciem bonam. & prospera indicantem appellat. Item sæpenumero contrarium euenit, & morbi, qui parui esse creduntur, conturbant artificem. Faciem enim tantùm aut ob virium imbecillitatem, aut ob exiccationem afflictam considerat. Nam oculorum cauitatem, & pallorem intuetur: quoniam natiuus calor debilitatus E est, & ob exiccationem humores oculorum aruerunt. Faciem verò bonam appellat, quæ minus symptomatis deformata est. Neque enim

A enim eam, quæ prorſus ſymptomatis vacat, probamus, cum & id ſæ
pius præter naturā eueniat. vt pote quando è contrario aquoſo, & ſu
peruacuo humore facies intumeſcit. In paruis per hæc verba Hip-
pocrates innuit mala, quæ ſpecie parua, ſed re ipſa magna ſunt,
Facies bonæ ſignificationi contraria, vtpote non conueniens perni-
cioſa ſignificat.

*37. Apud magnum, vbi mulier poſt Heroum, Arquato ſu-
perueniente.*

B Per ænigma quaſi, ac per ſimilitudinem dicit hoc Hipp. memoriæ
propriæ conſulens. Inquit igitur. *Apud magnum*, aut locum ſcilicet
magnum, aut theatrum magnum, aut eiuſmodi aliquid. nam locū
ignorabat Hippocrates. poſtea ſubdit, *vbi mulier*, cum nomen viri ne-
ſciret: adiecit, *Arquato ſuperueniente*, aut eius faciem, aut totum corpus
Arquato ſuffuſum eſſe ſignificans. Galenus hunc locum declarans
ait, ex his verbis nihil vtilitatis acquiri poſſe. cum nihil certi habea
tur, quo pacto homo iſte auriginoſus euaſerit, an propter expulſio-
nem ſponte naturæ factam bile ruffa ad ſummam cutim detruſa, an
ob felleæ veſiculæ obſtructionem: an propter iecoris inflammatio-
C nem. Iccirco Auriginoſum vocat aut corpus, aut os, aut ipſum virū
felle ſuffuſum: cuius vxor poſt Heroum habitabat, apud magnum
theatrum.

*38. Qui apud Timenei neptem erat, hic atro calore infectus
fuit.*

Quidam codices habent apud Timenei neptem: quidam, cum Ti
menei nepte. Si legimus, *Apud Timenei neptem*, intelligendum Time
nei neptem nigro colore fuiſſe: Si legamus, *cum Timenei nepte*. inter-
pretandum, virum habitantem cum nepte Timenei atro calore fuiſ-
D ſe tinctum. Iterum Galenus hoc loco dicit. nihil certi hinc elici poſ
ſe, quomodo iſte denigratus fuerit: an videlicet id naturæ opus fue
rit, melancholico ſucco ad extima tranſmiſſo, an ob corporis natu-
ram, quod in melancholicum temperamentum conuerſum fuerit.

*39. In Perintho genituræ ſpeciem referens, tale iudicatoriū:
& quæ circa abdomen, talia, quia mictus liberant. neque enim
flatu multo, neque ſtercore multo tenaci deiecto euacuabatur
quod neque magnum erat Hypochondrium. Braßicam ſeptimo
die comedit adhuc ægrè ſpirans. partes circa abdomen purgatæ
E ſunt, rectè ſpirauit, Aluus ipſi deiecit.*

Nonnunquam vix congruentem ſermonem libri inſcriptioni facit
Hippocrates, quæ eſt de Morbis popularibus. Siquidem hoc loco

totius ciuitatis non singularis viri aut mulieris facit mentionem. Ná Perinthus est vrbs Asiæ. Igitur dicit in hac Perintho œdematosi tumores euenerunt, inflationes, sublationes. Animaduertendumque est, ipsum dixisse, œdematosos tumores, non phlegmonas. nam si phlegmonæ fuissent, certè & Febris inuasisset: & quæ dicta sunt ab Hippocrate, nihil opis attulissent. Itaque œdematosos appellat, id est, tumidas inflationes, quæ ex humida & frigida materia constant. ac si ea, quæ in libris aphorismorum dicta sunt, memoria tenemus, has œdematosas inflationes plerunque rugitus non discutit. cum rugitus nihil sit aliud quàm humoris cum flatu agitatio. Significatque materiam, quæ quiescebat, ac sine motu erat: in præsentia moueri, & ad iudicationem festinare. Sed flatus multi emissi hos tumores dissiparunt: sic & aluus fluens tenacia recrementa deijciens, hos tumores consumpsit. Vrina quoque genituræ similis egrediens, morbum permutauit. Sed vrina genituræ similis alba, lenta, & crassa est. Hippocrates autem primo vrinam ponit, deinde tumores: dicitq; per talem vrinam iudicationem, ac morbi permutationem factam esse. Verùntamen non negamus, quin & ab alijs, vt rugitu & flatib. permutatio fiat. Sed quod huiusmodi iudicationes fieri non contingit, nisi quando lotia id genus reddita sunt. Dicit Hippocrates, *Neque enim magnum erat Hypochondrion*, id est, non aderat inflammatio, non œdematosus tumor, non febris. neque enim rugitus, aut flatus, aut alia similia huiusmodi vitia discutere possent. immo potius missio sanguinis aut alui purgatio.

A B C

40 Brassicam septimo die quis comedit adhuc ægrè spirans partes circa abdomen emollitæ sunt, rectè spirauit. Aluus ipsi deiecit.

Inquit Hippocrates, Quidá œdematosus tumor intra Peritonæũ circa abdomen exortus est, neque flatus emissio, neque medici opera malum sedabat: sed æger malo irritatus repente septimo die Brassicam comedit, & sanatus est. Nam calore & acrimonia sua Brassica lẽtũ humorẽ incidit & extenuauit, atq; sic frigidũ tumorẽ dissipauit: vnde & bona spiratio reddita est. Nam tumor iste intra peritonæum ortus erat, & septum transuersum, ac reliquas spirationi seruientes partes in angustias compellebat. atque inde spirandi difficultas orta erat. tumore igitur dissipato bene spirauit. Atqui hęc omnia brassica præstat, non vt cibi, sed vt medicamenti rationẽ habet. Ná vt cibus semper damnatur: quippe quæ malum succum pariat: vt medicina probatur quare & medicamen ad brassica scriptum est. quæ præsertim cruda exhibita ad deiectionem aluum citat.

D E

41. De sanguine sanioso, quod in pauidis talis, aut in his qui vigilarunt. Et: siue bonus siue malus.

Ex

A Ex hac dictione constat, librum hunc memoriæ consulendi causa fuisse compositum. nam cum volumus reminiscendi causa summas breues scribere, sic in tabellis scribimus. Quoniam in alio quodam tractu de hoc agere volo, & de hoc agere statuo. Itaque sic & Hippocrates inquit, *De sanguine ichoroide agere volo*. Sanguis autem duplex est, aut purus, aut cum alijs mistus. Habet enim sanguis, vt etiam cęteri humores, suum serum, quandam videlicet tenuem, & aqueam substantiam quod & in lacte inuenitur. Et quemadmodum lactis serum ob sui acrimoniam ventrem stimulat, & ad excretionem impellit, eadem ratione & humorum serum: Sed aliud magis, aliud minus.
B Id & ichor ab Hippocrate nominatur. Quocirca & Plato de seri natura loqui volens ab Hippocrate accipiens dicit: *Ichor autem sanguinis quidem serum, mitis: nigræ verò bilis, sed acidæ ferus*. Id ergo docere vult Hippocrates, sanguinem ichorosum, hoc est, sanguinem cum pituita, ac vt cum humore melancholico mistum timorem, ac perturbationem inferre, timorem quidem propter humoris refrigerationē. Sic enim alibi dictū est, si timor, & pusillanimitas adest. perturbationē verò inijcit: quia serum commouet & eijciat. propterea ita loquutus est Hippocrates, *in pauentibus, & perterritis*. At si cum bile rufa ichorosus sanguis mistus fuerit, deliria, & vigiliam pariet. si cum
C atra bile, furorem incutiet.

42. *Quibus lienis decliuis est, his pedes, & manus, & genua calent: Nasus & Aures semper frigent. Num propter hoc, quod tenuis sanguis est? Num & natura talem isti habent.*

De Lienis affectu hic documentum tradit. Et hæc est eius sententia, quod quibus lineis deorsum vergit, quasi dicat, si in imis partibus phlegmonem habeat, aut etiam si phlegmone in superioribus facta sit: sed materia ad inferiora descendat, in hoc dicit, quoniam à laborante membro materia ad inferiora labitur cum suis facultatib. id est,
D sanguis, iccirco inferiora, vt pedes & genua, calidi sunt, sed manus & aures & nares frigidæ. Primus autem, qui hunc librum descripsit in multis inueniens exemplarib. manus cum pedibus & genib. posuit, & dixit, manus calidæ: & in hoc deceptus est. subiunxit Hipp. *Num propter hoc?* per viam interrogationis sermonem faciens siquidē in liene vitiato sanguis per nares tenuis frequēter effunditur. Quærit igitur quamobrem hic subtilis sanguis emittitur: num ipse lienis ex subtili humore conflatam phlegmonem habeat. An crassum quidem in splene resideat, subtile verò effluat, splen autem lapidescat?

43. *Suppurationibus vmbilicus terminus. Quibus suppura-*
E *turis ventres turbantur.*

Nonnulli hanc dictionem cum superiore connectunt, quod scil: quando in liene fit suppuratio, tunc superiora frigida, inferiora calida

fieri contingit. Hoc autem verum non est. Nam si materia sola ad- A
sit, hæc symptomata fieri possunt. At nos dicimus, hæc verba cum sequentibus esse iungenda. Quoniam sæpè circa vmbilicum, aut pectinem, aut intestina phlegmone exoritur. postea repente fit eruptio, & sanies per manifestos meatus ad intestina ducitur. Postea verò id tanquam celeris transitus aluum sistit, & excrementa cum pure mista deijciuntur. Quod cùm accidit, phlegmonem hanc suppurauisse significat. Et hæc est mens Hippocratis.

44 *Lienis durus non superius, inferius, teres, latus, crassus, tenuis, longus.* B

Tumorum Lienis differentias hic persequi decernit Hippocrates, dicens, Tumor nonnunquam in superioribus Lienis partibus, nonnunquam in inferioribus generatur, nonnunqnam & longus percipitur, cum & ipse Lienis longus sit. Nam persæpe quæ præter naturam sunt, eorum, quæ sunt naturalia, figuram suscipiunt, sicut in Iecinore quoque plerunque rotundus tumor excitatur. Itaque in Liene modò longus gignitur tumor, modò rotundus: modò crassa materia in profundo redundat, cum terrea pars humoris in intima Lienis penetrauerit. Potes autem & tu sic dicere, Lienis & suprà longus est, & infrà longus, & suprà latus, & infrà latus & interius crassus, & exterius crassus. C

45 *Minus capitis grauedine laborantibus.*

Si cùm grauedo infestat, in Liene morbus exoritur, sanari solet. Grauedo autem & destillatio ab eodem fonte, cerebro scilicet emanant, loco tamen, quem petunt, differentes: siquidem grauedo nares, destillatio fauces inuadit. Igitur aut hoc vult dicere, aut duas tresve D
corporis partes eodem tempore laborare contingit, quarum debilior, materia in eam confluente, magis læditur. Itaque sic nares sunt debiles & Lienis, vt debilior materiam excipit, non facta grauedine, quæ tamen, si fiat, moderatior erit. Et Galenus in libro de Locis affectis idem tradidit, hoc est, sæpe tria membra simul ægrotare, vesicá scilicet renes & vterum. fluente verò materia, horum debilissimum eam suscipere. Archigenes autem ea omnia æque laborare dicebat, quem eo loco vituperat Galenus.

46 *Circa ægrotantem administratio: & de morbo interrogationes. Quæ narrat qualia vt accipiendi sermones. Quæ ad ægrum: Quæ ad ministros, Quæ ad exteriora.* E

Hippocratem de priuatis potius, quàm de publicis morbis agere multaq;

A multaque, & insignia de morbis præcepta ab se inuenta nobis tradidisse, frequenter à nobis dictum fuit. Deinceps hoc loco, medicus quo pacto circa ægrotum se gerere debeat, docere instituit: ac qualem medici curam & administrationem circa ægrum esse oporteat, diligenter explanat. Sed quid est administratio, quam Græci œconomiam vocant? Dicimusque eam esse vsum bonum, & opportunum eorum, quæ domi sunt. Differtque vsus ab acquisitione: vsus enim est congruens eorum, quæ adsunt, dispositio ac gubernatio si acquisitio verò est eorum, quæ non adsunt, adeptio. Quem admodum Xenophon Socratis discipulus in suo Dialogo œconomico
B inscripto declarauit. differre scilicet rei adeptionem ab eiusdem vsu. nam bene partis malè vti licet, vt contra malè parta in bonum vsum vertere. nam sæpe aliquis per scelus pecuniam lucratus est: qua tamê bene vtetur. Alius iustè, propriis scilicet laboribus rectè agendo magnum quæstum faciet, & malè ipso vtetur, in res vitiosas ipsum profundens, vas foraminibus plenum, vt Plato dicebat, imitatus. Quocirca quemadmodum in externis, sic & nobis ista differentia reperitur. Etenim persæpe nonnulli pauca cient: Sed illas vt decet, pronunciabunt, atque inde ob rectam enunciandi rationem, sapientes iudicabuntur. Alii multa profectò cognoscent, Sed vti ignorabunt,
C neque in cognoscendo, neque in curando: in cognoscendo. quoniam cum ad ægrum accedunt, neque præsentia vestigant, neque futura præscire conantur, sed eorum cognationem inquirunt quos logiatros id est, verbis tenus medicos Galenus appellat. In curando verò sæpe vsuvenit, vt quis multa habeat medicamenta, quorum vires, & modum vtendi & quantitatem præbendam ignoret. Quapropter nos & res ipsas bene cognoscere, & ipsis rectè vti scire opus est. Cumque ad ægrum veneris, & eius faciem macilentam inspexeris, atq; , vt in presagiis dictum est, emortuæ persimilem, & in alio faciem tumentem offenderis, ne dicas, multo somno, aut otio faciem emacruisse;
D sed cuiusque causam congruentem assignes: ac de priori dicas, faciem eius propter contenti humoris exiccationem, aut exhalationem contabuisse, aut propter mœrorem, aut curas, aut virium infirmitatem. De tumidam faciem habente, ex longo somno, aut ocio, aut ob redundantes humores id euenisse dicito, ac de his coniecturis loquens nihil pro certo affirmes, sed cum dubitatione percunteris, supernenit ne tibi mœror aliquis? an diu vigilasti? an curis multis oppressus fuisti? aut quid aliud huiusmodi interroges, aut cum disiunctione ita dicas, aut tu mœrore oppressus es, aut diu vigilasti, aut multis curis occupa-
E ris. nam ex his prorsus veram causam nactus eris. Est etiam ipsius laborantis ingenium considerandum, num antequam ægrotaret, esset audax, & confidentiæ plenus: in presentia verò abiecto animo, & humi spectans, nam grauem somnum, violentum soporem, ac veternũ

instare significat. Quòd si modestus anteà fuit, & mitis, in morbo autem ferox, et temerarius euaserit, maximam mutationem factam esse, ac mentem labare indicat. Præterea & aliud animaduertendum est: si non timidum hominem hunc, & prudentem noueris, ei veritatem aperias, dicasque: morbum esse periculosum, sed bene esse sperandum. contrà si stultum, & omnia quamuis leuia formidantem, veritatem ei ne dicito, sed morbum discrimine vacare, et vereri te, ne ipsius intemperantia deterior euadat. atque iccirco oportere ipsum medici præceptis esse obedientem. Iis autem, qui forti animo sunt, & eorum curam habentibus veritas dicenda est, morbum scilicet perniciem minari. Item considerandum est, quibus, dum sanus esset delectabatur, vt si aleæ ludo, curato vt aliqui coram eo ludant alea: si grammatice loqui, fac eos, qui cũ ipso loquentur, grammatico vti sermone. si oratoriè oratoris more. Et eius chariores amicos ad ipsum accedere permittito, alios excludito. Et hæc, quatenus ad ægrum pertinet. Præterea & eius ministros admoneas, vt ei grata respondeant. Quod si quis non verus amicus eum visere velit, ipsũ quiescere dicito, propterea te neminem admittere velle. Siquis autẽ alienus te obsecrans, vt æger se habeat. interrogauerit, & eius fuerit inimicus, ipsum respondeas, bene se habere: at si ex præcipuis amicis fuerit, ei verum referas, ægrotum, scilicet, cum vitæ discrimine laborare. In quibusdam codicibus non sunt scripta hæc verba, Quæ ad externos, sed hæc, Quæ ad exteriora, id est. ad aerem ipsum & locum & huiusmodi alia. Nam si sudor emanaturus expectatur, dic ipsum effusum iri nisi aer refrigeretur. Nam sic & Galenus de quodam prædixit, eum videlicet sudaturum esse, nisi aer restitisset. aere enim refrigerato non effluxit sudor, postea Galenus eum ducens in balneũ patefactis meatibus sudorem euacuauit: affectumq; discussit. Et hęc est præsentis partis sententia: ex antè dictis administratio ad ægrotantem pertinens tradita est. Quę ad morbum spectat, huiusmodi est, oportet medicum considerare, num morbus sit salubris, lethalisve: num concoctionis signa apparuerint, nec ne: num morbus iudicabitur, dissolueturue, inquit Hippocrates, Interrogationes, quæ narrat, hoc est, administratio, quæ & ægro, & ægrotationi adhibenda est, interrogationes sunt, quæcunque narrat ægrotans, quæ animaduertenda esse dicit, si securus est affectus: at si exitialis, non animaduertenda.

47 *Quoniam in calidiore firmiorum, in dextris & nigri. iccirco & extra vena & longè biliosiores.*

Id, quòd fuse Hippocrates in libro Aphorismorum tradidit, hac in parte

A parte breuiter enarrat, Masculos in dextra vteri parte generari, fœminas autem potius in sinistra. huius effectus causam nonnulli congruenter assignauerunt, videlicet propterea, quòd dextræ partes sunt calidiores, sinistrę frigidiores. Nam hoc modo & viri calidiores, & mulieres frigidiores sunt. Sed dextra calidiora esse vnde dignoscitur? respondent aliqui, ex eo, quia sunt robustiora sinistris, robur autem calorem ostendit. At nos aliter dicimus, non propter calorem dextra esse validiora, sed quia bene mouentur, & vehementius exercentur. Hinc est quòd dextra manus, vtpote magis exercitata, dextro pede valentior est. Alij dicunt, calidiora esse dextra, quoniam Iecur

B in dextra parte collocatum sit. Verum nos dicimus cor in medio thorace esse positum, sed ad sinistrum latus eius sinistrum cauum declinare, sed vltra hæc veram causam referamus, quam per corporum animalium dissectiones compertam habemus. Scire igitur oportet venas & arterias magnas ad renes deriuari, qui sanguinem defecandi, quo membra nutriuntur, officium habent sed antequam ad renes peruenirent, ramus vnus ab ipsis ad sinistrum testiculū, & ad sinistrum vteri sinum mittitur: qui sordidum & impurum sanguinem continet. A renibus autem purgato sanguine ramus alter, ad dextrum testiculum, & ad dextrum vteri concauum descendit, qui purum & cali-

C dum sanguinem deuehit. nam purus sanguis impuro calidior est. Hac de causa mares in dextro, fœminæ in sinistro latere generantur. At non modo vteri cauitatum temperamento causa est assignanda, verùm etiam masculino semini calido & ad mares generandos idoneo. Cū his & superior motus numerandus est. absurdū est enim vim formatricem vteri & seminis temperaturæ effectricem esse dicere, horum autem causam esse, non dicere: quandoquidem neque mas, neque fœmina sine ipsa gignitur. Quocirca verè de ipsa dictum fuit. quod voluit aspexit, atque ita omnia facta sunt. Hæ sunt igitur omnes causæ, ob quas mares in dextris, fœminæ in sinistris partibus ori-

D antur. Et huius rei fidem à pastoribus accipe. Siquidem oues & capræ geminos fœtus edunt, & cum prægnantes fuerint eas in dextris mares, in sinistris fœminas gerere inueniemus. Et hoc idem Parmenides affirmauit inquiens, *In dextris quidem pueros, in sinistris verò puellas.* Cæterùm quandoque (licet raro) & in sinistris mares, quemadmodum fœminæ, & in dextris fœminę, quemadmodum & mares procreantur. Quare Hippocrates breuitati studens, hæc verba adiecit, *Quoniam in calidiore firmiorum.* Sed alij dicunt, quia in calidiore firmiora. quocirca cum in calidiore loco fiant dextra, ideo firmiora sunt. At Galenus non ita dixit, sed in calidiore quia & firmiore: quo-

E niam dextræ partes calidæ & firmæ sunt: & fortes, & nigri capilli. Propterea & venæ extrorsum tument. Sed hoc ex accidenti fit. neque enim semper pueri nigros capillos & tumidas venas habentes

generantur. A

48. *Magis concretum est, compactum est.*

Hanc vocem, magis, nonnulli ad nigros capillos, & extra prominentes venas referunt. nonnulli ad inferiora, hoc modo, Magis cōcretum est, compactum est. Nam fœtus in dextris magis concretus est, & magis compactus. Concretio verò aliud est, quàm compactio. Nam concretio est copulatio, & connexio qualitatum. compactio autem est moderata quædam seminis congelatio. Hic fortè quis dixerit, congelationem à frigore fieri, dicimus nos propterea, ipsum B non dixisse congelationem sed compactionem, quoniam congelatio à frigore, compactio à calore gignitur. à quo fit exiccatio, propter quam materiæ compactio exoritur.

49. *Celerius motum est, & quieuit, & tardius augetur.*

Nonnulli verba Hippocratis haud intelligentes, hanc vocem *quieuit* sustulerũt. & ita legunt. *celerius motum est*, tantùm. At Galenus vult eam vocē remanere, *quiescit* videlicet, quæ idem significat, quod C cessauit. Verùm quid per hoc verbum innuit? nam & in secundo libro de Popularibus morbis hoc idem vsurpauit, inquiens, *phlegmone facta est: & quieuit dolor.* hoc est cessauit. quia permutatio, & eruptio facta est in laborantibus vulgari morbo. Eodem modo & hic locutus est, dicens, *cessauit:* Vult autem hoc in loco defectum & excessum maris & fœminæ declarare. Dicitq; mulierē celerius crescere humoris redundantis ratione: qui ad hoc, vt incrementum secundum tres dimensiones fiat, idoneus est, sed citò desinit: quia minor & deficiens. longo autem tempore mouetur, qui est excessus. Sic enim & in libro de natura fœtus dictum est, fœminam duobus & quadraginta D diebus, marem autem triginta conformari: nec non fœmina mensibus nouem, vtero gestatur, quod est eius defectus: Masculus decem quod est eius excessus. Ita verò & post partum fœmina celerius, masculus tardius, ac longiori tempore adolescit. Nam fœmina plerunque vsque ad decimum octauum annum, masculus vsque ad vicesimum quintum incrementum sumit. postea subdit, *Et ad longius tempus, iccirco solidum factum est.* Vult dicere quia firmus, fortis, & calidus fœtus factus est, iccirco tardius crescit, quia non habet multam humiditatem, & longiori tempore ob caloris abundantiam.

50. *Et biliosius, & magis sanguineum. Quia iste calidior est locus animali.* E

A Nemo arbitretur ab Hippocrate dictum fuisse, *Biliosius*, id est, habens intemperiem magnam, & accensionem, & calorem immodicũ: Sed Biliosius dicit reuera calidius, sed non prauè temperatum. & hoc ex illis verbis elicitur, quæ adiecit, *& magis sanguineum*, Nam sanguineum dicitur, aut quod refertum est sanguine, vt iecur, aut quod merum sanguinẽ continet, vt cor: aut absolutè, quod sanguine præditũ est. veluti omnia sanguinea animalia simpliciter & absolutè talia dicuntur. Quemadmodum & ex angue dicitur res priuata sanguine, vt vesica. Hoc autem loco membrum vocat sanguineum, quod sincerum & calidum habet sanguinem. id autem est dextra pars. propterea & adiecit, *Quia calidior est iste locus animali.* Et talis sanguinis causa ex anatome elicitur. Quod videlicet propterea calidiora sunt dextera, quoniam merum sanguinẽ accipiunt, sinistra verò impurum ac sordidum. Atque ita secunda sectio perfecta est.

B

TERTIA SECTIO.

*1. Cutis raritas, Ventris densitas. Cutis coniunctio, carnium incrementum. Ventriculi torpor, *omnium confusio. Vasorum immunditia. Cerebri consumptio. Ideo & caluities. Instrumentorum attritio.* *aliorum

C

Secunda huius operis sectio perfecta est: in præsentia ad tertiam accedens, ac statim à curatione incipiens inquit, explora si cutis raritas adest, si ventris densitas, num ob bonum id fiat. Et Hippocrates quidem de cute & ventre sermonem facit, tu verò in quaque re immodicum excessum euitato. Et nos quidem sic interpretamur. At Galenus aliter sentit. Nam cum in veteribus exemplaribus inuenisset hunc articulum græcum ; quod latinis, hæc, significat, per

D coniugationem explanauit, vt sermo esset prognosticus. vt si adsit cutis raritas, antè significabit adesse alui duritiem, hoc est, ventris suppresionem. Audiuistis enim has euacuationes è contrario inter se habere. & quod si altera ipsarum multa euacuabit, altera tenuiter aget· quemadmodum & contrà. Si cutis colligatio, & densitas adest, aluus fluet. Verùm hoc dicere non est dignatus Hippocrates sed dixit, *Carniũ incrementũ*, quasi dicat id, quod de alimento dictum est. videlicet, quoniá qui raros meatus habent, salubritate fruuntur, vt pote recrementis omnib. exhalantibus, sed graciliores sunt, nempe quod cum superuacuis & vitalis calor effunditur. Quibus autem arcti

E meatus sunt, contrà insalubres ac morbosi sunt, quòd sordes intus manentes cutem intendant. Hæc igitur vult Hippocrates dicere, hæc verba proferent, *Cutis condensatio carnium facit incrementum*. De-

inceps tertia ponitur coniugatio, & fortasse neque coniugatio dicenda est, sed vnum positum malum plura comitantur. Inquit enim, *ventris torpor*, hoc est, imbecillitas. Igitur non conficitur alimentum. Si non conficitur, neque ornatum naturalem assumit chylus, id est, succus à iecore sic inornatus attrahitur, Sed quid est inornatus, hoc est, vt in sanguinem vertatur, inhabilis. Itaque remanet fęculentus in Iecore. At purgatoria instrumenta vi sua in iecur agunt. Verùm quoniam tanquam rem alienam ibi sanguinẽ offendunt, non defæcatur. Inde fit, vt neque Lienis crassum attrahat, neque felis vesica tenue, neque renes serosum: aut quantũ quidem debuerant, attrahunt, Sed reliquum ibidem remanens, sanguinem inquinat. Hic igitur in omne corpus inquinatus digeritur: atq; ita sequitur, vt legitimus ordo naturæ permutetur, atque innouetur Et quoniam sordido sanguine membra nutriri non solebant, perturbantur, atque inde fit omniũ confusio. Cæterum alia despiciamus, & cerebri principis membri mentionem faciamus, non ob ipsius modò nobilitatem, sed propterea, quod cum singula membra alimentũ non sumentia disipentur. & gracilescant. id longè deterius cerebrum patitur, cum natura humidum est, & ab animali spiritu sustentetur, si consumptum fuerit, & extenuatum. consumptum est igitur cerebrum, & ipsum alimoniæ defectu ariditas occupauit, quando caluities oritur. Nam cum naturaliter habet, in sublimè ascendit cerebrum, nisi ipsi alimenti inopia dominetur, & spiritus humiditas exhausta fit. quasi dicat verticem tangit, & capillos retinet. neque hoc dicere vult Hippocrates, humorẽ scil: capillos gignere. eos enim cõseruat, sed à calore gignuntur. Nã quemadmodũ in Ecticis febrib. humiditas ex oleo corpori adhibita calorẽ nõ generat, sed meatꝰ obturãs calorẽ disipari vetat, perinde & hîc oleũ capiti infusũ, capillos augebit, nõ quod eos generet, sed quia irrigat. Itaque si extrinsecus humectaitur synciput, ibi nõ fiet caluitiũ. posteriora aũt capitis non admodũ caluescunt. ibi enim sunt plures musculi, qui capillos tuentur. Partes autem syncipitis, quia macilentæ sunt, ideo caluitium patiuntur. & cerebrum malè habet, & ipsius instrumenta detrita sunt, videlicet dorsales nerui. At forsan non dicit instrumenta cerebri, sed absolutè totum corpus attritum esse. Nam sciens ipse longam iudicationem & attritionem corpus consumere, gracilitatem totius corporis attritionem vocauit. quam à cutis raritate fieri nouit. Sciebat enim Hippocrates corpus nostrum multis foraminibus esse peruium, non continuum. nam sudor emanat, & meatus exterius permanent. philosophi autem effluente sudore, meatus patefieri, desinente considere, & claudi affirmant.

2. *Detractio cursibus, luctationibus, quiete, multis celeribus ambula-*

A *ambulationibus.*

De alia ratione sermonem facit, inquiens, ad summum boni habitus periculosi sunt, si in extremo constiterint, dicitque, cum corpus robustum est, tunc natura est debilis. & carnium detractione tunc vti debes, & per interiora & per exteriora remedia. Exterius quidem per exercitamenta vt puta cursum, & luctam. Et ipse quidem Hippocrates fortè horum meminit. quoniam tum temporis in magno precio habebantur. At tu & locum, & commodum, & consuetudinem perpendito. nam qui exerceri soliti sunt, illos pluribus exercitationibus vti iubeto. ad hæc & partem affectam animaduertito: si B manus, ille potius fodito, & remigato: si pedes, currito. si totum corpus, illud magis lucta & pila exerceto. *Quiescito autem*: id verò præceptum securitatem inducit. Si quis carnes eliquare velit. vt tutò, id faciat, præcipit: id autem est valde perspicuum. vbi enim dixit, corpus esse exercendum, ne quis putet, ipsum perpetuò exerceri debere, subdit, *sed in medio quiescito.* quo & vires instaurentur, & repetitæ exercitationis laborem sustinere possint. Fortasse verò & aliud latenter innuit, quod in libro de ratione victus acutorum morborũ palam docuit, quod videlicet statim à balneo cibus non est dandus, nè cale facta & patentia vasa crudum attrahant alimentum.

C 3. *Ouibus, Elixa Maza plerunque, modicus panis.*

Ita & hoc loco, vbi exercitatione membra incaluerunt, ne cibum continuò dato: vt ne distributus corpus iterum tumefaciat: sed paulisper quiescere finito: deinde ad cibum dandum accedito: & ea quæ interius corpus attenuent, exhibeto. quæ nomine quidem alimenta vocentur, sed effectu potius sint medicamenta. & ordei farinam cum aliquo humore permistam propinato, & quale est Siræum. quod dicitur: aut crudis quibusdam, aut elixis vescatur, qualis est Maza, non panis, qui bene concoquitur, & corpus alit. Itẽ dato carnes ouillas, non suillas quæ valde nutriunt. sed ouillæ reficcant. At nos, D omnibus carnib. vtimur, fortasse ob consuetudinem. Atque ita paulatim naturam instruimus, vt inediam ferre posset, aut propter hoc, aut quia volumus corpus ita fame vexare, vt intereat, carnes enim propterea maceramus, non vt enecemus, sed vt gracilius corpus reddamus. & de alimento hactenus.

4. *Detractionis signum, eandem horam dici seruare. Repente enim trahitur. Remittito labores. aut defluet. Similiter* E *enim totum concidit: vbi verò iam contabuerint, præbere suillas carnes assas oportet. cũ replentur autem, signum, rursus floridum corpus efficitur.*

Deinceps humaniter se gerens Hippocrates inuestigat, quousq; A corpus exercere, & emaciare debes. neque enim semper id faciendum est: sed ita procedendum, vt ne terminos excedamus. Hæc igitur signa tradit, eadem hora seruanda est, qua exerceri consueuit: quoniam si repente exolutæ, & collapsæ sint vires, tunc abstine. quoniam simul incœpit calor educi. Inde & vis ipsa proteritur, atque ita languescens hinc atque inde, membra, tanquam res alienas destituit, atque debilitat. Tunc itaque abstineto. Verùm qua parte facultas lapsa, & debilitata fuerit, eá exercere desinito. neq; enim omne corpus, de aliqua pars tantũ, elanguit. pars igitur languida quiescito sana laborato. Pariter & de toto corpore intelligendum. Nam si diu B tius, quàm conueniat, ipsum exercendo fatigaueris, in contrarium statum abit, & concidit. Et quemadmodum carnis incrementum, sic & decrementum formidamus. Quocirca si vires laborant, his subueniendum est. quare & terminum statuit, quousque alimonia suggerenda sit. Inquit enim, si particulatim cibum dederis, insitum calidũ roboratur. Inde & facies splendet, vnde & à nutritione desistendũ. Iubet autem suillas carnes tostas esse exhibendas, quod bene nutriant, & vires confirmare valeant. C

5 *In exercitationibus signum: sudor stillatim, vt ex aquæ ductibus effluens aut depressio ex elatione.*

Nisi interiectus sermo impedimento fuisset, potuissent hæc verba cum superioribus copulari. Nam vbi dixit, *oportere hunc exerceri*: & eousque donec *vires labare incipiunt*, reliquum erat subiungere, & eousque, donec sudor non paulatim, neque per latentes meatus fluere incipiat, sed velut per aquæ ductus copiosus erumpat, tunc debes exercitationi finem imponere. cœperat enim facultas labefactari: & metus est, ne ad contrarium deducatur, idest, ne ex elatione fiat depressio. D

6 *Mulier, quam primo in cranone curaui, Lienis magnus natura. Febris ardens, valde rubra, spiritus, decimo die sudor multus superius: verùm etiam inferius decimo quarto die.*

Sermonem hunc præterire oportet: Quippe ex quo nihil lucri facturi sumus, suspensus est enim & nihil concludit. Atque ita se habet. *In Cranone erat mulier, quam primo curaui.* hæc dictio, primo quid significat? Num quod primò Cranonem veniens ipsam vidit? Secundò reuersus non vidit? quod vtique inexplicabile est: præterea mulie- E ris nomen ignorans dicit communiter. *Mulier*, subdit, *Lienem magnum habebat*. an naturaliter talem, an adscititium: an tumore, an propri

A propria substantia magnum, non explicauit. Item dicit, *ardentem febrē habebat*, & hoc absurdum est, siquidem Lienis vitio Quartana solùm, non ardens febris excitatur. At si melancholico succo vehementer putrefacto, & in nigrum humorem conuerso propterea febris vrens accensa est, vnde rubicunda facies euasit, cum potius liuido colore infici debuerit? Dicit etiam, *Et spiritum habebat*, hoc est, spirationem difficilem. Sed qualem non declarauit: nisi dicamus, ipsum paruam & crebram respirationem significare voluisse: vt pote thorace Lienis tumore oppresso, atque dolente. Et aliud quoque adiecit: *Decimo die sudorem per superiora*: *Decimo autem quarto per inferiora* emanasse, cuius B effectus causam ignoramus. Verum sequentam Aphorismum interpretemur.

7 *Minus iis, qui ex capite grauedine, & raucitate laborāt, vbi febre correpti sunt, vt puto, recidiuæ fiunt. Quicquid suppurat, non recidit ipsamet enim concoctio, & iudicatio simul & abscessus.*

Non eget alia explanatione, qui aphorismi illius meminerit, fe-C brem conuulsioni superuenire, quam conuulsionem febri satius est. Dictum est enim, quòd si febri, tanquam morbo superueniat, hoc symptoma conuulsio, rem prauam significat, quòd scilicet febris solidas partes occupans eas magna siccitate conuulsionis effectrice squallidas reddidit. At si conuulsioni à repletione prius ortæ febris superuenerit, bonum prænunciat: siquidem febris materiam digerit, eamque attenuans neruorum distentionem sedat. Idem & in præsentia contingit, quippe grauedo & raucitas ex frigido atque humido succo cerebrum occupante proueniunt. Igitur si febris accedat, succi materiam dissipat, atque ipsam ex toto consumit, ac proinde non fit D morbi repetitio. Nam febris vires confirmat quæ firmata humorem concoquit, verùm non solam & puram coctionem, sed etiam perfectè morbo liberat. Vnum modo quærēdum est, quoniam grauedo & à frigore, & à calore gignitur, vt Galenus docuit, si à frigore, febrem superuenire, bonum est: si à calore, minimè. Quare igitur ita vniuerse locutus est? Et primò respondemus, Hippocratem dixisse, *Minus*. Deinde dixit *post febrem*: siquidem grauedinem à calore exortam semper febris comitatur, & si alteram quoque accedere contingat: à frigore autem genitæ, non simul febris adhæret. Item dixit, *à capite grauedinem patientibus*: nam & aliunde grauedo concitatur, ac primùm E dici potest, ipsum id dixisse, quod necessario sequitur, vt si quis dicat, oleum humidum, aut vertebras dorsi: sic & à capite grauedo. Vel dicere possumus, non quamcunque grauedinem à capite prouenire.

Nonnunquam enim os ventriculi malè habet, & halitus in caput sug A
gerens, grauedinem creat. An potius ad iecit, à capite, vt Grauedinē à frigore genitam indicaret, siquidem caput, vt pote frigidum, hanc præcipue generare solet: cui si febris superuenerit, res bene cedere consueuit.

8 *Quibusdam cum venere vtuntur, venter inflatur, vt Damagora: nonnullis verò in eo strepitus. Arcesilao intumescebat.*

Sermone prognostico nuper finito, iterum ad indicatiuum se conuertit. ac sciendum est, multas hîc interpretationes reperiri: sed B
elegantiorem, quæ Sabini est, perpendere conuenit. Igitur cum in sermone Hippocratis has duas voces inuenisset, *Inflatur* & *strepitus*, hoc modo interpretatur: Siquis vti venere incipiat, in ipso coitu multi flatus excernuntur, & huius rei rationem affert. Quod videlicet non in puerili ætate, sed in florida & vigente venerem exercere consueuimus. tum itaque res nouas molitur, & permutationem natura patitur & ab actu venereo corpus incalescit: à calore autem & perturbatione spiritus dissoluuntur, qui ad inferas partes delati, flatus gignunt. Et hæc quidem est Sabini minimè contemnenda interpre- C
tatio. At Galenus inquit, Hoc ab autoribus in libris de arte medica non est traditum. de rebus autem, quæ non reperiuntur literis commendatæ cur rationem assignare volumus? Quod si etiam scriptæ inuenirentur, rarô tamen eueniunt. Proinde Hippocrates adiecit *Damagoræ*. Sed raro euenientium causa non est referenda. At si huius sermonis veritatem ostendere voluerimus, ita disseramus. In parte dignoscendi facultatem tradente dictum est, non quacunque de causa Hychondiacum affectum generari, sed tumor eo loco ex humore melancholico exoritur. Iste melancholicus humor sursum in cerebrum tenebrosos halitus emittit, & quemadmodum alia vi- D
tia, sic etiā formidinē infert. Nā vetera exemplaria non habent, ψόφον idest, strepitum sed φόβον id est formidinem, vel pauorem. Rursum strepitus hoc modo fieri solet: Melancholicus iste succus ad inferas partes iuxta seminaria vascula spiritus exhalat, nouimus autem non modo semen, sed etiam spirituū incursum ad amorem venereum stimulare. Non est igitur, quod dicit Hippocrates *& ipsum oportet per transgressum legere.* Sæpe nanque ex Hypochondriorum morbo ventrem inflari contingit, vt quando timor exoritur: sic & in venere. Itaque non venus tumorem ventris sed contrà ventris tumor venerem concitat. Dicit etiam, & Arcesilao intumescebat. quoniam ex Hy- E
pochondriaco affectu geniti spiritus primum in molem ac tumorem Hypochondria extollebant, aut ex nimia humoris inculcatione etiam

putredo

A putredo oriebatur. ex qua tetri odoris spiritus exhalant.

9 *Flatuosum in scapulas alis similes habentibus simul causa est, Etenim flatuosi sunt.*

Dicit causam habentis scapulas instar alarum eminentes: Sed in multis libris legitur, furfurosis. Fiunt autem furfures, cum è capite squamulæ decidunt. id autem ab erodente humore contingit. Dicũt igitur quidam, acriores spiritus à ventre nonnunquam in caput ascendere, qui sanè ob acrimoniam furfures gignunt. In alijs autem exemplaribus legitur, febriculosis, & aiunt, quemadmodum in humoribus febres ex putredine oriuntur, & quemadmodum in solidis mẽ-B bris Hecticæ, sic & in spiritibus Diarias concitari. At re vera sana lectio ita habet, πτερυγώδεσιν, hoc est, scapulas instar alarum eminenentes habentibus. Et inquit tales ita se habere, qui angustum & pro fundum pectus habent, & graciles prælongasque manus. Ita se habentibus, si spiritus incursus fiat, multa eueniant mala necesse est: quandoquidem cum pectus angustum sit, si quò inuaserit spiritus, pulmones arctat, atque inde phthisis, vel tabes oritur. Neque frustra dixit, simul causa. nam hæc alas referens structura prorsus à frigore ortum habuit: hoc autem frigus pulmones tendens, ac densans disru-C ptionem facere potest: post disruptionem sanguinis sputũ, post quod demum tabem inducere. Verum & ipsa refrigeratio cruditatem efficit: cruditas spiritus parit, qui in pulmones subeunt: qui naturaliter se habentes resistere queunt, ac nihil pati. Quoniam autem refrigerati pulmones difficulter extendi possunt, ingrediens spiritus extendit, & extendens lacerat. Id verò & sequens locutio declarat: eleganter enim dixit Hippocrates, *adiutrix causa*, siquidem & vltra frigiditatem, quæ & ipsa causa est, à flatuoso etiam tabes efficitur. Sed multi codices eam vocem non habent. Si verò habent, talis eius sensus, si spiritus vndecunque aduenerit, facile phthisim, hoc est, tabem indu-D cit: quoniam & flatuosi natura sunt, vtpote frigore spiritum generante.

10 *Frigidum valde venas frangit, & tussim citat, vt nix, glacies: & contrahit, vt pherea, & Gongronæ, adiutrix causa Duritiæ.*

Ecce in Tabidis à frigore fracturam fieri, vides enim ipsum dicere Frigidum venas frangit. At calor & ipse rumpit incidens, erodens, & diuidens. Frigus autem stringens & cogens, ac difficultas extendendi vnde subiecit, *Adiutrix causa & duritia.* Cæterùm non quæuis frigi-E ditas rumpit, sed ea, quæ est valde excellens, qualis est nix, & glacies. Hinc sumens occasionem Galenus inquit, si quid faciendum est, hęc adsint opus est, agentis vehementia. patientis habilitas, & temporis

ſpatium, quo agens inpatiens agat. Hæc omnia hoc in morbo conuenerunt, magna frigiditas, ecce robur, agentis corpus alarum effigiem habens: ecce patientis habilitatem. Multum quoque temque temporis interceſsit. quo à frigore ſpiritus diſtentione vaſa effracturi creati ſunt. Item frigidum tuſsim concitat. quæ omnino in medio eſt. Nam primo ipſum frigus guttur feriens exaſperat, ac tuſſim mouet. Eſt autem in medio, quoniam conceptaculum frangitur, & effluens ſanguis iuxta guttur tuſsim citat. Subdit Hippocrat. *vt pherea & Gongronæ.* hæc verba interiecta ſunt, ſed quæ præcedunt cum ſequentibus continuari debent. Significat autem ſermo iſte vt tu formas tumorũ conſideres, an ſint vt pherea. Quidã primã ſyllabã per ε ſcribunt: quidam per η quod videlicet eminentiæ tales à me in Phera vrbe Theſſaliæ viſæ ſunt: ſi per in Phera Peloponeſi ciuitate. Sed hæc riſu digna ſunt: quoniam veteres Græci ſatyros pheras appellare conſueuerunt, qui cum tumoribus, & his quidem prælongis à pictoribus figurari conſueuerunt. Igitur pherea oblongos tumores nuncupauit. Gongronas etiam dicit per translationem ab ijs, quę in arboribus, præcipuè tamen in oleis adnaſcuntur, ſi præterea rotundæ fuerint. Galenus autem dicit, *Quoſdam noui in Theſſalia, qui rotundos tumores Gongronas vocant.* Quocirca nos monet Hippocrates, vt tumores, ſiue longi, ſiue rotundi fuerint, exploremus. A B C

11. *Poſt mictionem concretio puerulis magis. Num quoniam calidiores?*

De affectu difficillimo, ſcilicet calculari morbo ſermonem facere inſtituit. Sed intelligi non poterit, niſi prius calculi effectricem, materialem, & inſtrumentalem cauſam expoſuerimus. Igitur calculi effectrix cauſa eſt calor adurens, aut frigus congelans. At rectius veteres ſcriptores arbitrati ſunt, calculum à frigore non generari, cum non poſsit. in nobis tantum frigoris abundare, vt concretionem facere poſſit. A ſolo itaq; calore procreatur. eius autẽ materia eſt craſſus humor melancholicus, aut pituitoſus. nam & ſi non multus ſit calor ſed perquam craſſa materia, calculum gignit, & contrà, licet pauca ſit materia, ſed multus calor, idem eu en iet. Id verò & in his quę extra fiunt, cognoſcitur: ſiquidem perſæpe aqua nitidiſsima, quæ aſſiduè in calida olla ferueat, tophum genuit, non ratione materiæ, ſed vi caloris. Præterea nonnunquam aqua ſpurciſsima, & craſſa, ab igne tenui calefacta nõ propter calorem, ſed propter materiam in tophum vertitur. atque ita calculi effectricem, & materialem cauſam iam retulimus. Inſtrumentarias autem renes, vrinę meatus, veſicáque eſſe dicimus. Finalis cauſa hîc aſsignari non poteſt: quæ omnino boni rationem habet. Sed cuius boni cauſa calculus gignitur? niſi ipſum D E

ſi ipſum

A si ipsam calculi creationem finalem esse causam dixerimus? Hæc igitur cum nouerimus, ea, quæ de calculo ab Hippocrate dicta sunt, enarremus. Inquit ipse, *calculus in pueris creatur in vesica, in adultis & ætate vigentibus in renibus.* Et quæ nam sit huius rei causa à nonnullis dicitur, quod videlicet, cum in pueris vrinarij ductus ob humorem latiores sint, per hos delabuntur humores, neque in renibus morantur, sed facilè inde præterlapsi in vesicam decurrunt· atque inibi lapidescunt. At Galenus hoc idem scripsit. & lapillum hunc à frigore prouenire, latenter dicere videtur. Inquit enim, in pueris meliores fieri concoctiones; quippe cum innatum calidum sit validius. Igi-
B tur si meliores concoctiones fiunt, non multum serosum purgamentum generatur: paucum illud renes attrahunt. cumque paucum sit, ibi lapis non creatur. verùm ad vrinæ itinera transiens, eaque solidiora inueniens, eo loco crassescere incipit: inde ad vesicam deuoluitur: quam exanguem & frigidam nactum, adhuc crassescit magis. Et euacuatur quidem, quod est tenue, crassum autem remanet. Secundo accedit aliud, ac tertio, atq; ita inter se coeuntia & coalescentia lapidē moliuntur. At in consistenti ætate nō bene concoctiones fiunt, cū naturalis calor qualitate vehementi excellat, inde fit, vt copiosum recrementum pituosiusque in iecinore colligatur: quod renes at-
C tractum deorsum fluere non permittunt. Nam quemadmodum eliquatum plumbum, vel per angustos meatus elabitur, concretum verò neque per latos penetrare potest: sic & hoc loco sordes multas crassasque renes excipiunt: neque ad vrinæ alueos delabi sinunt. & hæ inibi subsidentes lapidescunt. Nempe illa enarratio vera est quæ dicit, *In pueris plus esse caloris secundum substantiam, in ætate vigentibus secundum qualitatem.* Verùm qui dicunt calidos pueros calidiorem habere stomachum, quàm iecur, & ipsi verum dicunt: quippe cum ipsorum alui sordes biliosas, lotium verò albissimū videamus. Quoniam ætate florentium stomachus frigidior, iecur autem calidior
D est. Igitur si ipsorum iecur magis calidum est, calorem suum cum propinquis renibus communicat. & hanc ob causam iuuenes in renibus calculum patiuntur. At pueri, quoniam stomacho sunt calidiore, suum calorem vesicæ impertiunt, ob idque in ea calculus exoritur. At quare à calore stomachi non generatur calculus. Quoniā calor iste secundum naturam est, à calore autem præter naturam lapis torretur: partim etiam materiam causamúe. Nam etsi nō multa adsit caliditas, sed copiosa materia, nihilominus lapis generabitur. Sunt enim pueri & natura, & temperamento humidiores, necnon & ex deprauata victus ratione, quæ multam colligit pituitam.
E Et hæc de calculo abundè sint. An verò in laxo intestino ipsum esse genitum vnquam visum, aut memoriæ proditum sit, non est præsēti tempore quærendum, Cum dixit Hippocrates, *Post mictionem*

concretio, his paucis verbis quomodo & vbi calculus gignitur, significauit. quomodo ſanè? quia non totus ſimul, ac repente, ſed paulatim coaleſcens efficitur. atque ita paulatim in minimas arenulas cõminutus aboletur. Vbi verò docet, quod videlicet pueris in veſica, iuuenibus ortum habet in renibus? A

12. *Figuræ ſubleuantes magis, vt ſarmenta manu plectens, & contorquens præ dolore procumbens, paxilli extremum ſupra defixum arripiens inhæſit. & ſubleuatus eſt.*

Id tanquam publice propoſitũ edictum legendũ eſt. inquit enim, *Figuras doloris leuamen afferentes à nobis explorandas eſſe.* Monet autem nos hic ſermo, vt eorum quoque, quæ fortuito, ſed opportunè accidunt, meminiſſe in arte debeamus. & exemplum affert inquiens: Vinitorem quendam vidi, qui propriam artem exercens vitis ramũ capiens intorquebat, & ei brachij lacerti reſoluti ſunt, ac prętер naturam propriam debilitati. Vnde magnus eum dolor magnus cruciatus inuaſit, atque ita moleſtè ferens, huc atque illuc membra iactabat. Et fortè quadam paxillum ſuprà caput eius defixum validè apprehendit, & morbo læuatus eſt. muſculus enim caſu reſolutus erat: & inflectendo manus extenta fuit. atque ità ſanata eſt. B

13. *Quem ex Orithypia circa pontem vidi ego crura iactantem, altera tibia minimè extenuabatur: Femoribus autem valde vrina, ac Genitura non ſuppreſſæ ſunt.* C

Sermo iſte declarari non poteſt, niſi anatomicũ documentum acceperimus. Nempe dorſi ſpinam ex quatuor & viginti vertebris conſtare, quæ tripartito diſtinguuntur. ſeptem enim ceruicem conſtituunt. duodecim partem illam, quæ pectori eſt oppoſita, metaphrenon à Græcis appellata: quinque, partem, vbi ſunt Lumbi & renes. Oſphyn Græci vocant. Si quæ igitur è propria ſede mota fuerit, pro differenti luxatione differentia quoque nomina conſequuntur. Si extrorſũ in dorſo, Gibbum dicitur: ſi introrſum, dorſi ſpina flectitur, incuruatio, græcè Lordoſis, aut Lordoma: ſi in obliquum, tortuoſitas. Igitur ſi vertebræ quaſſatæ fuerint, plerunque introrſum prolabuntur, vnde affectus iſte veſicam & ventrem vrget, & in anguſtias cogit. quare & vrina, & inteſtinorum purgamenta, non propter compreſſionem modò, verùm etiam propter expultricis facultatis imbecillitatem retinentur. Alibi enim dictum fuit, inteſtina, & veſicam vſque ad partes inferiores naturaliter agere: vbi verò ſuperuacua ad ima deſcenderunt, tunc vis animalis ſuo munere fungitur. Ibi enim muſculi ſunt conſtringentes, & laxantes, Interdum autem in poſteriora vertebræ è ſuo loco diſcedunt, atque inde fit nerui reſolutio: ac muſculo ceruicis veſicæ D

A sicæ & recti intestini dolorem infert. Itaque musculis illis resolutis nobis inuitis fit excretio. At non solùm id, verum etiam illud declarauimus, quod ex quibus neruis hi musculi partē capiunt, ex ijsdem & pedes. cumque segnities emaciet, propterea & pedes gracilescebāt. & proxima femora potissimum. Tibiæ vtique ex alia in aliam partem iactabantur. atqui istud iactari à motrice facultate proficiscitur. Dicit igitur Hippocrates, *Iactabantur* sese mouentia, sed, vt contingebat, vbi cunque proiecta forent, à facultate non gubernata. Sic igitur inquit. *Quem à montanis laboribus iuxta pontem vidi ego crura iactantem, altera tibia minimè extenuabatur, femoribus autem valde, Vrina vero, ac genitura non*
B *interclusæ erant*. Vt significaret, hominē hūc assiduê lapides, aut metalla cædentem, ac seipsum alleuantem dorsi spinam peruertisse: & propterea hæc mala passum esse. *Minimè extenuabatur*. ea vox, *minimè* idem significat quod hæc dictio, *minus*. huic enim opposuit hanc, *valde: & genitura non suppressa est*. Stercus & vrina ob musculorum resolutionē præter voluntatem effunduntur. At genitura cur et ipsa nolentibus nobis emittitur? neque enim seminaria vascula musculos possident? Respondemus à scriptoribus dictum esse, Abdominis lacertos à vertebris neruos suscipere, qui constringentes seminis excretioni opitulantur, & ipsum quoque ab exitu coercent. Nunc igitur laxa-
C ti ac resoluti nō amplius coercere possunt. Hac de causa genitura nobis inuitis egreditur, cum id sit naturale officium. Dixit itaque, nulla prægressa veneris cogitatione inuoluntariè genituram excerni. cuius contrarium est voluntariè, seu sponte.

14 *In destillationibus malè moratis siue sit excretio, siue non, malum portendit*.

De destillatione prauæ naturæ, sermonem facere vult Hippocrates. sed nemo destillationem malignam dignoscere potest, nisi prius benignam cognouerit. Destillatio igitur est, cum cerebrum admo-
D dum calefactum aut refrigeratum fuerit, ipsiusque humiditas eliquata sit. verùm si in nares materia fluxerit, grauedo vocatur: si in palatum, destillatio. At descendens humiditas pauca esse debet. Est autem alia quoque praua destillatio, vbi calida intemperies cerebrum occupauit, & erodens humor delabitur. Qui si in palatum fertur, Destillationem facit: hic idem, si in pulmonem descendit, mollem & ad patiendum facilem inueniens ipsum erodit. & magnum inde malū sequitur. Est enim acris, & exedendi vim habens materia. Quæ si non reijcitur, & ratione signi & ratione causæ mala est. vt signū quidem, quoniam se à caliditate magna impediri significat: vt causa ve-
E rò, quoniam ibi remanens multiplicatur, & viribus pulmonique officit. Nam pulmonem exulcerat, vires opprimit, ac mortem denique infert.

15. *Quacunque alarum instar habentes natura. laterum propter occasionis imbecillitatem.* A

In præsentia quærit, corporis structura alarum effigiem referens vnde proueniat: occasionem autem veteres appellant principium, & causam. Quęrit igitur vnde huiusmodi structuræ occasionem, id est, causam habeant. Et ad id, quod est commune, se confert Hippocrates, quippe quod ob cordis algorem, & insiti caloris infirmitatem angustum pectus, atque depressum creatum fuit. Huiusmodi autem frigus adest, aut quia cor paruum est, neque calorem effundit: aut quoniam exiguum est cerebrum, ob cuius exiguitatem & spinalis medulla exigua est: à qua & vertebræ paruæ oriuntur. vnde & costarum paruitas gignitur: atque ideo angustum pectus efficitur. Ad hęc quia iecur frigidum est, neque multum sanguinis emittit. Hæc sanè omnia refrigerationem & imbecillitatem, & costarum gracilitatem efficiunt. B

16. *Rigores incipiunt mulieribus quidem à lumbis magis, & per dorsum, & tunc in caput. Verùm & viris posterius magis, quàm ab anteriore parte. Horrent exteriora magis, quàm interiora corporis, vt cubiti, femora. Sed etiam cutis rara. id verò pilus indicat. A quibus autem alijs rigent. fortaßè vlceribus, incipit ex vasculis.* C

In quinto libro Aphorismorũ hæc eadem sententia traditur, quæ & hoc loco propter eos, qui ad hanc artem introduci debent, iterabitur, cum quadam tamen appendice in Aphorismorum libro non scripta: Quæ paulo post rectè ne an perperam adiecta sit, expendemus. Quod nam est autem nunc Hippocratis propositum? Respõdemus de rigoribus mentionem facere, dicentem, in mulieribus rigorem à posterioribus corporis partib. magis incipere. Verùm nos prius quasdam rigoris differentias perquiramus, tres ratione sexus, duas ratione mẽbrorũ: tres itẽ ratione situs mẽbrorũ. A sexu, cũ dicimus, mulieres esse viris frigidiores: à mẽbris, vt cum dicimus, mẽbra quędam carnosa, quædã neruosa: & carnosa calida sunt, neruosa frigida: à membrorum positu, vt cum affirmamus, anteriores corporis partes esse calidiores: cum iecur & cor eò loci sint posita, posteriores autem rigidiores, Vbi hæc præsciuimus, modò quid dicat Hippocrates videamus: inquit igitur, *Cum paria vasa habeant, viris frigidiores sunt mulieres.* Bene dixit autem, rectè se habentibus vasculis. neque enim absurdum est, in viris nonnunquam multam esse frigiditatem in mulieribus minorem. idcirco & viros frigidiores esse continget. D E

Cæte-

A Cæterùm si effectrices causæ pares fuerint, mulieres magis rigore afficiuntur: rigor autem ipsis à lumbis ortum habet, aut quia in posterioribus partibus Lumbi iacent, & ideo frigidi sunt, aut propterea quòd ipsis vterus vicinus est, frigidã intemperiem in ipsos fundẽs: siquidem vteri substantia, vt pote neruosa, frigida est. neruosa. verò propterea dicitur, quia dilatatur, & constringitur: eius verò concauitas generandi gratia calida facta fuit. Ipse quoque vterus in lumbos processus quosdam instar cornuum mittit. Inde sequitur, vt à lumbis in mulieribus rigor initium capiat: cum ipsis proximus locatus sit Item cerebrũ spinalis medullæ interuentu plerunque vteri vitia participat, non quòd ipse à cerebro neruos suscipiat, sed quòd ei vicinus
B sit. Nam membra, quę inter se vitia communicant, alia propter viciniã, alia propter affinitatẽ id faciunt. At quoniã à nobis dictũ est, anteriores partes esse calidas, posteriores frigidas, Quæ nam sunt huius, rei causæ? Respondemus, cum videamus anteriora hirsuta esse, & hoc non nisi ob calorem multum, posteriora verò glabra, & hoc, propter frigus: ideo priores partes calidæ sunt, & carnosiores, & lædentibus causis expositę. Et ob hoc ipsis à natura videndi potentia cõcessa est, quæ pericula prospicit, & ab ipsis eas tuetur. Posteriores autem, vt pote visu carentes, iccirco duriores, frigidiores, densiores, & iniuriis
C minus obnoxiæ sunt. Et hoc est præsentis dictionis propositum *Rigores incipiunt mulieribus quidem à Lumbis magis, & per dorsum: & tunc in caput. verum & viris posterius magis, quàm ab anteriori parte.* Ea vox, *magis,* de mulieribus dicitur, quia sæpius incipiunt in ipsis rigores à lumbis, quam in viris aut quoniam exoriuntur rigores etiam ab alijs membris, sed crebrius à lumbis ob ante dictas causas, sed præcipuè propter vterum. Subdit Hippocrates, *Horrent exteriora magis, quam interiora corporis, vt cubiti, & femora, sed etiam cutis rara. id verò pilus indicat.* Hoc est, veluti antedictorum conclusio: quod scilicet propter supra dicta horrorem patiuntur: aut dixisse, horrent, vt tibi ostendat, se nõ
D de iudicatorio rigore verba facere, sed de eo, qui à frigore excitatur. Exteriora dicit & interiora: vt in cubito, antè & post, vt in humero, & femore. Nam cubiti exteriora calida sunt, vt pote pilis obsita, interiora pilis vacua, quia frigida. Humeri autem posteriora frigidiora sunt & glabra, anteriora calida quemadmodum & femoris, subijcit deinde. *A quibus autem aliis rigent* fortasse vlceribus. *Incipit ex vasculis,* Considerandus est hic sermo, & quid significet. frequenter enim ab anterioribus membris fit rigoris principium, vbi est & mali causa. Et quæ nam est hæc? dicimus ibi esse vlcus, & humorum abundantiam & his de causis inde rigor sumit initium. Quidam codices habent ex
E occasionibus, Quidam, ex vasculis, Quidam, ex contrarijs. Si legamus, ex occasionibus intelligendum est, rigorem incipere ex occasionibus, id est, ab eo loco, vbi est caua & origo mali: Si legamus, ex

Ee

..asculis, intelligendum est, rigorem ortum habere ex conceptaculis A copiosam materiam continentibus. At si legatur ex contrariis, nonnulli sic interpretantur, si in sinistra parte sit vlcus, à dextra rigorem incipere. Sed malè isti loquuntur. Nam tametsi in anterioribus locis vlcus fuerit, nihilominus à posterioribus rigor incipiet, ac prudentibus, & expertis sensum excitabit. Verùm sæpe ob temporis angustiam nos fugiet vbi fiat rigoris initium.

17 *Caput ex ortu & occasione, & plurimis sermonibus paulatim cognitis colligentem, & perdiscentem, an similia inter se sint, Et si non similia inter se sint, ex dissimilitudinibus similitudo fiat vna. Sic vtique sit via, sic & rectè se habentium, probatio & non rectè, redargutio.* B

Hippocratis propositum in hoc pręcepto est, nos commonefacere, Quomodo oporteat medicum ad ægrum accedentem ipsum percontari: & quæ oporteat explorare, & quæ ab ipso præscienda sint, vtq; rectà doctrina vtatur sermonem suum per diuisiuam methodum instituit. Quoniam etiam diuisio diffinitionem demonstrationemque dignitate antecedit, quippe cum diffiniens ea, quæ sunt in diuisione, suscipiat: & ex his deligens congruentem sibi definitionem constituat, vt ex animali, & planta sumit animal, ex rationali, & irrationali rationale: ex mortali & immortali mortale: atque ita diffinit, hominem esse animal rationale, mortale. Demonstratio verò diffinitionem sequitur. Nam si interroges, propter quid homo est animal: respondetur, quoniam est substantia animata sensualis. pariter etiam si interrogetur, propter quid homo est rationalis, & propter quid mortalis? ergo nobilior est diuisio diffinitione, & demonstratione Dicit autem Hippocrates, vtēdum esse eorum diuisione, quæ & naturalia sunt, & præter naturam. Naturalia sunt, ætas, temperatura, habitus, quæ ipse vocat ab ortu. At quoniam tria sunt nobis à generationis principio, hæc iterum subpartiamur, ætatem quidem in pueritiam, iuuentutem, virilem ætatem, & senectutem. morbi verò & si ijdem sint, sed in diuersa materia, & ætate, diuersa egent curatione. Temperaturæ aut simplices sunt, aut compositæ, aut æquales, aut inęquales. Æqualis est æqualiter composita, cuique conueniens. Habitus autem est aut densus meatibus, aut rarus: aut macilentus, aut carnosus. Et hæc est rerum naturalium partitio. At quæ sunt naturæ inimica, sunt aut morbi, aut eorum causæ, aut eorum casus. Et horum singulorum partitio sæpius narrata est. porrò hæc omnia perquirenda sunt: & à generalibus ad singularia procedendum. Singularia enim sunt, quę & cognoscere, & medicari debemus: atque iterum à priuatis communia C D E

A communia exploranda sunt. Propterea dixit Hippocrates, colligentem, & perdiscentem, id est, dilatãte, & vniuersalia facientem. Et hoc modo, inquit, omnia explorare oportet quæ nos ad cognoscendi viam ducunt: & quę bene se habent, ars approbat, & quæ non bene, redarguit. Sed quid est hoc, quod dicit, similia inter se, & non similia? respondemus. Hippocratem dicere à nobis esse considerandum, num imminentes morbi ab intemperie sint euenturi, vt puta caliditatis & frigiditatis: & ipsas ad æqualitatem redigere: hoc est, bene temperatos, & moderatos efficere. Occasiones autem omnes morborum causas appellat, & symptomata, quæ sunt præter naturam. Nam cau-
B sæ sunt morborum occasiones, morbi symptomatum. Symptomata sunt actionum læsiones. hæc autem non vt symptomata, sed vt causæ vires demoliuntur. Et hoc fuit autoris propositum.

18. Sanguinis de naribus effusio aut iis, qui subuirides nigrique sunt: aut iis, qui rubri & virides: aut subuiridibus.

Hippocrates nunc de dignotione loquitur. Nempe fit per nares euacuatio aut naturæ prouidentia, aut morbi improbitate. Igitur in præsentia quærimus, num hęc profusio fiat per venæ ruptionẽ, an per erosionem, an per reclusionem. Itaque si nosse cupis, istarum
C quæq; quo pacto fiat, sanguinem effundentis colorem aduerte. Atque inde causam inuenies, quæ in adolescentibus vrgens venam patefacere valeat. Sed non frustrà hæc duo verba copulauit, biliosum, videlicet, & rubrum. Sciebat enim in adolescentibus ratione multitudinis eruptionem sanguinis fieri: Verùm quoniam adolescentia iuuentuti in qua bilis redundat proxima est, & nonnunquam adolescentium sanguis ob vicinam ætatem biliosior inuenitur, propterea Hippocrates rubrum cum bilioso coniunxit. At si facies sit viridis quod à bile contingit, sanguinem ob venæ erosionem effusum iri
D expectato. Iterum non frustra cum viridi nigrum coniunxit: quoniam Bilis, quæ vera bilis est: viridem faciem reddit. Pernigrum significat liuidum, id autem fieri scito, vbi corpus humore melancholico refertum est. qui ob substantiæ propriæ duritiem ratione iudicationis venarum corrosionem faciet. Hoc autem solum posuit, quoniam in melancholico succo nulla est differentia.

19. Parum remittentem crassum facere opus est. Aridũ. Alijs verò minus craßitudinem facere. Arido autem oportet albo. vt Galla, Alumen.

E Posteaquam de sanguinis è narib. fluore locutus fuit, quoniam si nimius interdum fuerit, sistendus est. modo suam curationem exponit. Sabinus cum sermonẽ hunc intelligere nequiret, lectionem mutauit.

Brachium enim posuit, vbi græcè legitur βραχίονα, & inquit, Hippocratem de reuulsione verba facere quod scilicet, si è naribus sanguis effluat, reuulsionis faciendæ gratia, Brachij vena è directo posita cędenda est. Verũ si lectio ita se haberet, bona esset interpretatio. Sed lectio vera non habet, βραχίονα, idest, Brachium, sed βραχέα, idest parum, quod significat, si è naribus sanguis erumpat, decens est, in medio cursu eum sistere. Igitur non vtcunque sunt admouenda remedia: siquidem est verò consentaneum, grumo concreti sanguinis impacto ipsius cursum interclusum iri. Sed grumum inculcari difficile est. verum vbi paulum sanguinis euacuari permiseris, tunc supprimito. Cęterum pro diuersa effectrice causa curatio diuersa quoque adhibenda est. Nam si erosa vena sanguinem erupisse inueneris, viscosis tenue crassius efficere valentibus vtitor. Dixit Hippocrates *Aridum*. Sed tu pro arido medicamento accipito: quod Gręci ξηρὸν vocant, Si ob multitudinem sanguis effunditur, exiccantia sunt adhibenda. Deinde tanquam aliquis interroget, quęnam sunt arida? Subiecit *Galla, & Alumen*. Multa exemplaria carent hac voce *Alumen*, sed quidam ipsã adiecerunt: quoniam Hippocrates dixerat, *Arido albo*, nam Alumen album est. An potius Album ad sanguinis effluuium referendũ est: perinde ac si dicat Hippocrates, vbi sanguis pituitosior exire cœperit. Nam cum sanguinis, bilis, & succi melancholici mentionem fecisset, pituitam silentio prætererat.

20 *Cũ venere vti incipiunt, aut Hircire, sanguinis profluuio laborant.*

Si verbum hoc *Hircire* declaratum fuerit, totus sermo patebit. porrò isti vocis exercendæ magistri quandam vocis offensãm Hircum appellant, cum grauis & rauca efficitur. Atqui vtriusque causa exploranda est. Sed quare grauis euadat, scire non possumus, nisi quare acuta sit, prius didicerimus. In pueris vtique ac mulieribus ob frigus conceptacula in angustum redigens acuta vox editur. igitur contra ob dilatantem calorem grauis emittitur. Ab humore autem arteriam asperam inundante raucescit. Itaque Hircire ab humore caloreque proficisci solet id quod Hirci patiuntur. Dicit igitur Hippocrates, cũ venere vtendi tempus idoneum iam venit, non dico tempus, hoc est, hora coitus: sed quando ætas inuitat, & quando Hirciunt, tunc sanguinis fluore vexantur. Siquidem in puerili ætate semen in corporis crementum sumebatur, vt pubertas elapsa est, & corpus augeri destitit, tunc semen redundat, & aliud, atq; aliud mẽbrũ petit, atq; arteriam asperam inuadens, vt hirciat homo, in causa est. Et tanquam superuacaneum ob multum feruorem agitationemque in nares ingressum sanguinem protrudit. Siquando verò semen retentum fuerit, acriores halitus ad cutaneam superficiem transmittit, qui mordentes

A horrorem excitant. Dicit autem Hippocrates *venere vtentes flatum excernere*. sed non omnes, verum illos tantùm, qui Hypochondriaco vitio laborant. vt Arcesilaus. Quibusdam verò & venter inflatur, vt Damagoræ.

21 *Mutationes cauendæ sunt.*

Ex iis, quæ in libro de Ratione victus acutorum morborum tradita sunt, sermo iste clarus est. Ibi enim dixit, *Mutationes perturbant, si quis ab exercitatione ad quietem se transtulerit*: verùm hoc verbum addere oportet ἀθρόως, idest, subitò, & comprehensim. Quoniá si quis ab exer-
B citio corporis paulatim ad otium transierit, nullam sentiet læsionem. Sed si repente, ac vehementer. An potius tanquam edictum hoc legendum est, quòd scilicet, Mutationes vitandæ sunt, quæ in artibus, & animi moribus, & victus ratione fieri consueuere.

22 *Cibi paucitas, lassitudinem non inducens sitim non accendens.*

Nonnulli hunc sermonem à superiori disiungunt. quoniam de re diuersa nunc agit Hippocrates, quòd scilicet cum quis parum cibi sumit, ne cadat in sitim: vt ne duabus de causis corpus debilitetur: ne-
C quæ etiam lassitudine corripiatur. Nam vbi fames adest, neque laborare, neque lassescere oportet. At Galenus in libro de victu acutorum morborum hunc aphorismum cũ superiori sermone continuat: quod scilicet omnis vehemens ac repentina mutatio corpora perturbat. Verũ si omnino mutatio faciẽda est, ad id, in quo minus peccetur, fieri debet. vt pote non ex somno ad vigiliam, sed ex vigilia in somnum Sic & in proposito sermone minus noxiam mutationem eligito, non ex pauco cibo in copiosum, sed ex copioso ad paucum: & à potus abstinentia ad potionem, quæ sitim extinguat: & à lassatione ad lassitu-
D nis sedationem. Hæc inquam potius, quàm contraria deligito.

23. *Omnis extenuatio cutim laxat: deinde distenditur, refectio contraria facit. cutis corrugatio concidentis extentio refectæ. Horrens, læue, vtriusq; signum subbiliosum, subrubrum Sic detrahi mammas: graciles autem sursum trahi, aut circũuelli. Et si quispiam non arbitretur propter hoc, sed carne creata id fieri. Magna repletio. Iugula manifesta, venæ conspicuæ.*

Iterum sermo ab Hippocrate habetur de carnium detractione. & quæcunque hoc loco tradit, de sanis intelliguntur. & inquit, redun-
E dante carne omnino detractione vtendum esse: vel & si ob prauos humores corpus emacruit. id, quod Galenus facere voluit. Mulierẽ enim quandam emaciatam omnes alij medici alimento reficere vole-

bant. ipſæ cum accepiſſet, ei iam nouem menſium ſpatio ſuas men A
ſtruas purgationes fuiſſe retentas, & venas extrorſum ob ſanguinis multitudinem inflatas eſſe. Sanguis enim ad membra quæque dilabitur, quæ ipſum tanquam rem alienam diſcutiunt: Hanc ob rē præter aliorum medicorum opinionem mulieri venam ſecuit: & vitioſos humores exemit: continuoque corpus recreatum eſt. atque ita & detrahere, & reficere in tempore opus ſuit: & quæ vtrique actioni contingant vides. Nam ſi multitudo carnium adeſt, vbi ipſam conſumere orſi fuerimus, caro minuitur: quæ cum anteà cutem extenderet, deinde laxiorem eſſe permittit. Si diutius hac detractione vſi fuerimus. iam dominante ſiccitate cutis tenditur. in refectione B
hæc eadem, ſed mutato ordine fiunt. ſiquidem carne augeri incipiente madeſcens cutis laxior efficitur. inſigniter autem multiplicata, cutis circumtenditur. Quapropter detractionem corporis contractio, id eſt, rugatio, refectionē verò læuitas cutis ſequitur. Etenim quandoque in detractione natura infeliciter agit, non in refectione. in qua læue, & æquale corpus eſt, in detractione horridum, id eſt inæquale: quippe cum in horrore quædam corporis inæqualitas oritur. Veteres autem inæqualitatem horrorem appellant. A colore quoque corporis habitus dignoſci poteſt: nam in detractione vexata natura pallore cutem inficit: ſi magis labefactetur, liuore defor- C
mat: at in refectione corpus rubore perfunditur. Floridus enim, & ſecundum naturam color dominari incipit. In ijs, quæ ſequuntur, Hippocrates ſigna inuenit, quæ diuerſo modo accepta diuerſa ſignificant, & ambigua ſunt. Dicit enim iugula euidentia & venę conſpicuæ ſunt: ſed iugulum, hoc eſt, os ipſum, & venæ ratione gracilitatis apparent: ea verò detractionem ſequitur. Item ſic interpretari poſſumus, *Iugula manifeſta* ſunt, hoc eſt, carnes iugula contegentes. & venæ eo loco ratione ſanguinei humoris eas replentis grandiores ſunt, atque inde conſpicuæ. hoc autem refectionem ſequitur. De- D
mum ſecum dubitat Hippocrates, num laxari mammas, & conuelli propter iſta contingat. Quandoquidem toto corpore extenuato, & ipſæ extenuantur, vt in vetulis fieri cernimus: augeſcente autem ſimul augeſcunt, vt in puellis: aut quia lac habeant, aut non habeát, id mammæ patiuntur. Nam ſi ratione lactis id fieret, ad præſentem ſpeculationem nihil attinet: ſed ſi toti corpori patienti & ipſæ conſentiunt. vt pote quemadmodum totum corpus afficitur, ſic & mammæ afficiuntur.

24. *Herodicus febrientes necabat circuitibus, luctationibus, fotibus calidis. Febriculoſum malum inimicum fami, circuitibus multis, curſibus, frictioni. Laborem labore. ipſis venarum* E

A *rum rubor, liuor, viriditas costarum dolores laxi. Sitim, prohibet oris clausio, taciturnitas, aura cum potu frigidæ introductio.*

Medicum quendam accusat, qui febre laborantes ob inscitiam perimebat. Quippe cum febris male moratus morbus sit (reliqui enim morbi vni parti. at febri spiritibus, humoribus, solidisque membris officit) cuius discussio longa quiete magnaque refrigeratione præstatur. Herodicus autem ipsis motum currendo, & luctando impe-
B rabat: & ignem super ignem accendebat. ad hæc & frictionib. vtebatur. Deinde secundum humoris in corpore latentis naturam in facie color emicabat, modò pallidus, modò rubicundus, ad extremū. prorsꝰ liuidus. Hæc enim faciens Herodicus nō lædebat modò, sed etiā necabat, cum & febris ipsa totū corpus, sed maximè pectoris visc'era infestet. Siquidem eo loci febris causa iaceat: ea de causa ob febrem costæ malà habuerunt. Imperauit etiam motum: & eo magis ibi dolor increuit: nam currentes videmus ob difficilem spirationē secundum latus dolore cruciari. Idcirco mortem inferebat, Herodicus. Verùm fortasse quispiam dicere posset, costarum doloris mo-
C tum non fuisse in causa, sed aliud vitium, quod ibi præfuisset: propterea adiecit Hippocrates hanc vocem, *laxæ*: quoniam cum prius essent laxę, & vitio carerent, nunc deprauatæ sunt. Herodicus itaque curatione perperam vtebatur: sed diuinę prouidentię voluntate interdum non peribat, qui se huiusmodi laboribus exercebat. Igitur nos eundem febricitantem ita curabimus: vndequaque intus & extra refrigerabimus. neque ipsum multa garrire, ne ob hoc magis incalescat, permittemus. multum aerem frigidum, vt inspiret, iubebimus: vtque frigida potione vtatur, præstabimus: non quidem vi-
D no, neque mulsa, sed solo hydrorosato. quod vocant, aut hydromeli. At si aer per se frigidus sit, ipsum admittemus: sin secus ab haustrali cubiculo, in boreale ægrotum transferemus. Id faciendi si facultas non dabitur frigidam aquam in conclaue deferri, eaque pauimentū irrigari, & rosarum folia humi spargi, vt omni ex parte refrigeretur, curabimus. Herodicus hæc non faciens miseros febricitantes iugulabat. Neque eius nomen est, quem nouimus Prodicum appellari. Herodicus verò artis medicæ peritus erat: quem & alibi laudauit Hippocrates. Neq; de hoc ipsum in præsentia reprehendit: sed quia malè agens in febre tali ratione medendi vteretur. quòd si rectè ipsa vsus esset, vtraque de re ipsum laudaret, & quòd medicinam be-
E ne edoctus esset, & quòd egregiè ipsam exercere nosset.

25. *Occasiones, vnde cœperunt ægrotare, consideranda. Siue*

capitis dolor, siue Auris, siue lateris, signum dentes. & in quib. inguinum phlegmone. A

Ab huiusce dictionis intelligentia & Hippocratis ars mirabilis apparet, quòd videlicet, quæ sermone docet, non soli experientiæ cómittere audet, præterquam quod & materiam nobis largitur. Siquidem inquit, nisi præcognito morbo, nunquam eum profligare poteris. postea quá verò cognoueris vitium, vlterius explorato: an per te & primò, an per conuenientiam genitum sit. & absolutè loquendo somnes occasiones. vt in aure, in latere, in capite. Neque enim vtcunque medicamentis credendum est. Nam quemadmodum à multis alijs, sic & ab Apollonio cognomento Mure appellato, de facultatibus medicamentorum scriptum est. Et inter alia pastillum vnum ad quancunque intestinorum difficultatem exposuit, ipsam & à bile & à pituita salsa putrefacta oriri posse ignorans. At tu hęc in quibus que morbis indagato. Exempli causa in capitis dolore, quomodo scilicet doleat. nunq̃ enim nisi prius sublata causa discutietur. Porrò Caluaria à diuersis causis afficitur, ab exhalationibus, ab humoribus, à flatibus, ab intemperie sine materia, ab instrumentaria immoderatione. Et pro vnaquaq; istarum causarum, ipsa curatio varianda est. Frigida Anethino oleo mouenda: si flatus adsit, chamemelino digerendus: sin acriores halitus erunt, ptisanam miscebimus: si pingues humores, nitrum. Neque hæc solum in membris altius conditis sed etiam in exterioribus facienda. vtpote in dentibus. nonnunquá enim calefacimus, nonnunquam ipsos varijs ablutionibus refrigeramus. Hæc eadem & inguinum inflammationibus consideranda. Ná si id genus inflammationis ex antegressa causa, vt pote ex Anthrace ortum est, prauæ naturæ habendum erit: si verò ab externa, ab vlcere videlicet, mitius erit. Atque ita cunctas istas indagationes, occasiones appellauit. B C

26. *Nascentia vlcera, & Tubercula febres indicantia: quibus hæc non accidunt, iudicationis priuatio. Quibus intus remanserunt, ijs certissima, & celerrima recidiua.* D

Clara est hæc oratio: nam sępè numero accidere consueuit, vt per tubercula & vlcera ægrotus morbo liberetur. Igitur si in morbis hęc euenerint, bonum est. Siquidem continuò febris extinctionem fore portendunt, si non euenerint, malum: quia materiam intus reside re significat. Si qua ex his, sed non quantum oportuit, facta sunt, tunc vtique modica subleuatio sequitur: verùm morbus omnino, & is quidem pessimus, reuertetur: quoniam à præterito morbo vis concussa fuerat, cumque exiguum leuamentum interuenisset, natura sese refecturam sperabat: sed morbus tempore quietis inuadẽs eam grauiter occupauit. Ergo quomodo malignus esse non debet? E

Et

A Et hæc est prima enarratio per quam dicimus, in febre, quæ per papulas, & vlcera iudicari consueuit, hæc nisi apparuerint, malum indicari. Est & altera magis particularis interpretatio: quæ non de duobus dicitur. latet enim frequenter in intimis partibus vitium quando scilicet interius tumor ortus est, qui phyma vocatur. Huiusmodi phyma per vlcera discuti, & iudicari solet. quocirca si corpus vlcerabitur, res prosperè cedet: si non vlcerabitur, infelix exitus erit. At si non, quemadmodum morbo conueniat, vlcus fiet, periculum instat, morbus enim repetit: Nempe quæ à Galeno traduntur, hæc sunt. Si morbus minimè malus fuerit, nullumque peccatum com-B missum sit, semel expulsus nequaquam reuertetur: verùm si non improbus fuerit, & in eius curatione aliquis deliquerit, haud ita malus repetet: si in prauo morbo erratum non fuerit, minus repetere solet: at si in morbo periculoso vehementer peccatum sit, omnino, & cum pernicie iterum inuasurus est. Cæterùm vt verum fatear, hæc secunda interpretatio præsenti loco minimè quadrat: cum de febre mentio facta sit, nos autem de ea nihil dixerimus, sed tantùm si in tumore, phymate vocato, vlcus exortum fuerit.

27. *Rotunda sputa delirium prænunciant.*

C Sputi crudi, quod in laterali morbo, cum violentia, & tussi & difficili spiratione reijcitur, in præsentia meminit. id nonnunquam rotundum emittitur, si humor pleuritim faciens viscosus fuerit. & magis, si vis expultrix infirma fuerit. iste nanque per asperam arteriam transiens, & propter facultatem propellere nequeuntem. & propter ipsius lentorem inibi retentus adhærescit. Itaque eo in loco diutius moram ducens ab ipsa aspera arteria figuratur, & globosus efficitur. sic enim & ipsa circularis est. tale autem fit sputum, dum à calore circumaffatur. Quare Hippocrates dicere debuit, rotunda sputa calorem indicare, sed ipse dixit, *Delirium*, cum hoc ra-D rò admodum videatur. Quam ob rem neque huiusce euentus causã assignamus: nisi dicere velimus, calore sputum adurente vapores in caput ascendere, ac si fortè cerebrum imbecillum fuerit, insaniam, patietur.

28. *Hemorrhoidum fluore laborantes neque pleuritide, neque pulmonis vomica, neque phagedæna, neque Furunculis, neque Terminthis, neque Lepris forsan neque alijs, seu vitiliginibus. Medela quidem multis importunè adhibita talibus non tardè capti sunt. & sic perniciosè. & quicunque alij abscessus,* E *vt fistulæ.*

Præsens oratio, quæ naturæ prouidentia fiunt, quomodo admittere oporteat, nos admonet. docetque, vnam corporis particulam

aliquo malo vexatam reliquas in tuto ponere. Nam sæpe numerò crassa materia redũdat in corpore. & hanc natura patefactis extremis intestini recti vasculis per inferna expellere orsa est: & Hæmorrhoidavocatã excitauit. Si conceptacula interiora adaperuit, sanguineã dysenteriam genuit. Itaq; si Hæmorrhois excitata est, vitia illa ab humore crasso pendentia non orientur, non pleuritidis, non pulmonis vomica. quoniam per hæmorrhoida humor omnis depulsus est. neque Fagedęna. hanc nonnulli ingentem famem; quam Græci Bulimon vocant, & caninam appetentiam significare putauerunt. Sed reuera putredinem declarat. verùm etiam neque Furunculi generãtur. obseruatum est hoc vocabulum. Dothien, quod latinè furunculum interpretamur, apud Hippocratem inueniri. exploditur enim ab istis alienorum operum censoribus. subdit Hippocrates, *Forsan autem neque Lepris, neque vitiliginibus capiuntur*. Vbi enim sunt vitiosi humores? non temerè ab ipso hæc dictio *Forsan* apposita est. Nã corpore prauis humoribus referto ipsa natura euacuare aggreditur, siue per hæmorrhoidas, siue inter euacuandum cessatione interposita nõ amplius per illas vias euacuat, sed quaqua versus materiã extrudit: vitiliginemque, & lepram inducit. Idcirco inquit Hippocrates, si Hemorrhois probè fluit, forsan neque lepra fiet: at si natura id non præstiterit, tu Hemorrhoidas prouocare debes: Has si natura excitauerit, sed plus quàm deceat, per eas euacuet, corpus refrigerat. inde ne aqua intercus oriatur, metus est. Tum verò congruenter curatio adhibenda est, & vascula non omnia, sed aliqua sunt occludenda. vt quia non tota multitudo detracta est, intercutẽ aquã deuitemus. & quia ex toto aliquid educitur, corpus ipsũ repurgetur. Alia quoq; curandi ratio tentari debet, hoc scilicet pacto, si hæmorrhoida compressisti, quod per ipsam prius effluebat, per alios ductus emittere studeto, vt per venæ sectionem, per exercitamenta, per vrinæ citationem, ne multa retenta materia exitialem morbum inducat. Et quæcunque de Hæmorrhoidib. dicta sunt, eadem & de qualibet euacuatione dicta putato. vt exempli causa de Fistulis. Nam in libro de Præsagijs dictum est, pulmonis vomicam & ipsam in collum eruptionẽ esse facturam, & erit bona, cum eousque permanebit, donec fistulorum vlcus fiet. vt omnis humor effundatur. Neque frustrà eo loco fistulæ mentionem fecit, sed quoniam & hæmorrhoidũ meminerat. in quibus enim fistulæ gignuntur, in his etiam plerunq; hęmorrhoides oriri solent.

29 ***Decubitus quidem in quibus facta tollit, ante hæc facta prohibet. Alterius loci excipientes, aut dolore, aut grauitate, aut alio quodam modo liberant, aut cum alijs communiones.***

Multi

A Multi codices Græci hanc vocem habent σκέψις hoc est ἀπόσκεψις id est
Latinè decubitus. Sed Galenus inuenit, σκέψις id est, consideratio,
& tanquam veriorem scripturam istam approbans inquit: *Cum ve-*
teres Græci hæc duo elementa η & ε eodem charactere notarent, qui nunc solùm
alterum elementum tantùm η scilicet significat, multi errores à librarijs cōmissi
sunt, non secundum autorum mentem, literarum permutationem facientibus.
Quocirca & accuratè huiuscemodi scripturæ considerandæ sunt, in quibus ele-
mentum η in ε transmutantes, aut è contrario scribentes lectionem castigare que-
unt. Idem & in elemento ο & ω faciendum est. quoniam vtriusque fi-
guræ vno iam pridem charactere signabantur. Dicit igitur Hip-
B pocrates, considerationem esse faciendam, quòd quemadmodum
iudicatio in morbo facta ipsum tollit, sic & futurum morbum si præ
cesserit iudicatio, ipsius aduentum impedire potest. & id maximè fi
eri posse affirmat. Igitur & tu futurum morbum arceto per iudica
tionem, aut per abscessum. abscessus autem ab ignobilibus ad nc
bilia membra ne fiat, sed contrà à dignioribus ad viliora. Deinceps
quam ob causam à membro ad membrum abscessus fiat, narrat Hip
pocrates dicens, aut propter ægri loci validam expultricem id fieri
aut propter humoris deorsum vergentis grauitatem, aut propter im
becillitatem, aut propter calorem, aut propter dolorem, aut propter
C partium cognationem. Nam pleuritico affectu exorto cum feris
accidentibus, repente facto in testes decubitu morbus mitior euasit.
quippe cum per venam cauam inter pectoris ac seminales partes ma
gna intercedebat cognatio. ipsa nanque iecur transgressa, & in
duos magnos ramos diuisa, alterum ad inferas partes, alterum ad
superas iuxta cor & mammam protendit. qui & ipse bipartitus alte
ram partem sursum mittit, alteram deorsum. Inuenit autem * à
crure ascendentem venam, & cum ipsa copulatur, & venas Amphis
bænas appellatas generat, ex quibus vna in testes fertur: in mulieri-
bus quidem ad vterum, in maribus verò ad ipsos testiculos. Hoc
D igitur in loco per venas fit communicatio. Item alia per neruos cō-
mittitur. quemadmodum capitis cum stomacho, & stomachi cum
capite. Propter inclinationem non item sanguis exit, sed pro hu-
moris cognatione talia expuunt. Nonnunquam aliquibus sangui-
nem detrahi conuenit, opportunè in tali: in alijs verò, vt in tali
non conuenit. Tanquam de morbo laterali sermonem facit Hippo
crates, quo adhuc manente sanguis per Hæmorrhoida fluxit, & rur
sum coercitus est. Inquit igitur Hippocrates, si Hæmorrhois ex to
to clausa est, non propterea debes dicere, cum sanguis suppressus
sit, ideo sputum rubicundius eijcietur: nam secundum humoris
E affinitatem expuetur. Quoniam si ætas erit florens, tempus anni
æstiuū calidior, ac siccior victus ratio, Pleuritis erit magis biliosa, &
sputum flauum. Proinde non in omnibus luteum, aut rubrum

putum eff undi neceff e eſt. Sed effectrici cauſæ conueniens, flauum à bile, rubrum à ſanguine. atrum à melancholico humore, album à pituita. diuerſa enim humoris permiſtio diuerſos quoque colores gignit. pallidum, album, nigrum, ruffum. & id genus alia. A

36 Impedimentum in cruenta ſpuentibus tempus anni, plegmone lateris, bilis.

Præſentis ſectionis admiratione digna, quamuis obſcura concluſio, & quod dicit, hoc eſt pleuriticus morbus ex ſanguine prouenit, quid igitur vetat, quod in ipſo per ſputum eiicitur, eſſe rubicundũ? Altera pleuritis à bile proueniens. flauum enim ſputum tunc reiicitur. Quare pleuritis bili imputanda eſt. Tanquam verò aliquo interrogante, vnde tu pleuritin à bile pendere nouiſti? temporis anni mentionem fecit: omniumque eiuſdem ordinis cogitationem tibi ſuſcitauit. Eſt verò & altera interpretatio. Dicit Galenus, ſe diutius hanc Hippocratis ſententiam non intellexiſſe: Sed cum pleuriticis mederetur, inquit, quendã pleuriticum affectum inueni affectui ab Hippocrate deſcripto perſimilem, à principio localibus remediis, quæ calida erant, vſus fui. & proderam. calida verò auxilia bilem vocauit Hippocrates. Et hæc tempeſtiuè adminiſtrabat, propterea adiecit, *tempore*. Et abſolutè hæc eſt eius ſententia, pleuritin à ſanguine aut bile calidiora remedia opportunè adhibita ſedare poſſunt. B C

Finis tertiæ ſectionis.

QVARTA SECTIO

1 Quibus ponè aures iudicationis tempore genita non ſuppurauerint, hoc inanito reuerſio fit ſecundum rationem reuerſionum. Reuerſione facta iterum efferuntur, & permanent quemadmodum febrium reuerſiones in ſimilem circuitum. In iſtis ſpes eſt, in articulos abſcedere. D

Tertium præſentis operis commentarium abſolutum eſt. Modo ad quartũ aggreditur, in quo omnifaria documēta traduntur. ſtatimque ab initio de abſceſſu verba facit, atque ita dicit: A craſſa materia febres oriuntur & per abſceſſum earum iudicatio futura eſt. Igitur ſi abſceſſus interdũ iuxta aures exortus fuerit, bonum ſignificat: verùm non quiuis abſceſſus ſalubris eſt, ſed ſi magnus fuerit: & ſecundum febris vehementiam: ipſumque diuturnum & conſtantem eſſe volumus, quo illuc ſpatio temporis materia confluere diſcat. Nam ſi continuò laxus & mollior fiat, materiam in profundum reuertiſſe conſtat, ac ne morbus repetat, verendum eſt, ſic igitur inquit Hippocrates. E

A pocrates, si abscessus in febre genitus fuerit, & postea recesserit, denuo febrem accendens, iterum abscessus in eundem locum, vbi prius fuerat, redibit, & secundum proportionem reuersionis febris, erit & ipsius abscessus reuersio. At si tertio febris repetet, non omnino tertius abscessus eundem locũ inuadet vbi duo primi extitere. Verùm qua de causa bis materia è loco abscessus ad interna recessit? quoniam locus ad eam suscipiendam prorsus erat inhabilis. Auris itaque cùm materiam non admittat, ea ferri ad articulos edocetur. An igitur hoc dicit Hippocrates, scilicet quòd febris, quæ prius secundum aurem abscessum fecerat, nunc ad articulos ipsum transmutat? B An quod febris cum apud aurẽ abscessum fecisset, ipse abscessus postea in articulos decubuit? In reliquo sermone paradoxum refert. Nempe quod quo die cessabit febris, in simili oritur abscessus Nam si in die iudicatorio febris cessauerit: in iudicatorio & abscessus fiet: si in intercidente, in intercidente: Addendum est verò aut tumores, aut conuexitates, aut abscessus. ipsi sanè febrim per iudicationem dissoluere possunt, si magni, ac diuturni fuerint, diuturnum autem per hoc verbum, suppurauerint, declarauit, vt scilicet moram ducentes in aliam naturam vertantur, ac puris formam suscipiant.

C 2 *Vrina crassa, alba, qualis Archigenis, in febribus à lassitudine, quarto die interdum exit, & abscessu liberat. Si verò & vltra hoc, sanguis è naribus profluet affatim & copiose.*

Postquam de abscessu disseruit, iterum de ipso sermonem facit. Porrò febris cum lassitudine fit, sed non quàlibet lassitudine. nam lassitudo aut fit ab externa causa, quam medici primitiuam appellant, de qua Hippocrates non loquitur: aut ab interna, quam iidem antecedentem vocant, & hæc aut vlcerosa est, aut tensiua, aut ossium lassatiua. D Vlcerosa quidem à tenui materia exoritur, à crassa reliquę. De quibus in præsentia loquitur inquiens, si febris à crassa materia fiat, & hanc in articulos delapsam abscessum facere, nisi aliud significetur, rationi consentaneum est. Nã si quarto, aut septimo, aut omnino iudicatorio die vrina crassa, multa, & alba reddita sit, tunc materiæ transmotionem factam esse nouimus. At si sanguis eruperit in articulos abscessum minimè decubuisse asserito: præsertim si copiosa eruptio morbi magnitudini respondens, quæ omnem infestãtem humorem euacuauerit, facta sit. Propterea eam dictionem apposuit ἱκανῶς idest affatim, vel satis. Galenus interpretatur satis, id est E quantum existimat medicus satis esse, cum scilicet facta fuerit sanguinis effusio, aut vrinæ emissio tanta, quæ satis esse videatur, vt factum non esse abscessum, sine dubio affirmare possis. *Vrina crassa, al-*

ba, qualis Antigenis. Duę hoc loco interpretationes inueniuntur, vna est, *qualis Archigenis*, id est, verè ipsius ita patientis, altera id est alicuius Antigenis consanguinei. A

3 *Cui à dextra parte intestinum dolebat: cum articulari morbo laboraret, erat quietior: postquam verò id curatum fuit, erat dolentior.*

Sermonem hunc nonnulli cum superiori copulant, ipsum ridicule sic interpretantes, cuidam febris orta est, & post hanc aures abscessus inuasit. Quem autem ego vidi laxum intestinum habentem, intestinorum aut inguinis ramice laborantem, huic ego secundum dextram aurem abscessũ exortum conspicatus sum. Galenus autem & causam refert cur flaccidum intestinum habens, & iuxta dextram aurem abscessum habeat. Verùm & hoc inquit, Quendam intestini coli morbus inuasit. Quoniam enim primorum intestinorum Colon maximum est, per excellentiam intestinum vocatur. Istud autẽ Colon dextrum & leuum latus distinguens occupat, sed magis dextrorsum vergit, cæcum autem intestinum in sinistrum spectat. Ipse autem colicus affectus à bile, sed plerunque à pituita fieri solet, & ipse à crassiore succo proueniens in articulos irruit. Inde fit vt, cum morbus colicus mitescit, articularis exacerbetur, cum exacerbatur colicus, Articularis mitior fiat, ob humoris videlicet transmutationem. B C

4 *Agasis virgo cum esset, crebro erat spiritu: Mulier facta à partu dolens non valde, diu onus graue sustulit. protinus quidem in pectore quiddam crepuisse visum fuit postero autem die Asthmate laborauit, & dextra coxendix indoluit. Hæc cum doleret, tunc & Asthmate vexabatur: dolore sedato, tunc & Asthma sedabatur, spumantia excreauit, ab initio florida. quæ cum quieuissent: vomitui bilioso tenui similia erant. Dolores autem præcipuè, cum manu laboraret.* D

De alio vitio sermonem facit. Sed inprimis declaranda sunt nomina. appellat Hippocrates græcè pycnopneumaton eum, qui crebriorem habet respirationem. Asthma vocant Græci paruam, & frequentem respirationem. Est autem sermo iste anatomicus. Sic autẽ partiri debemus. In tria spina diuiditur, in ceruicem tergum, & Lumbos, secundæ tergi vertebræ octaua scilicet ac nona ad musculos intercostales, & ad manus neruos emittunt. His ita præmissis. Agasis filia, siue vxor, (hoc enim non distinxit) in crebram spirationem, obstructo pectore incidit, à cruda verò pituita obstructum erat ac dum fuit virgo, id malum non percepit, nupta verò quiddam fortuitò E

A tuitò paſſa eſt. Nam cum eſſet vxor, & domus curam gereret, manus opera vtens laborauit: atque inde manus dolere cœpit: doloremque cum muſculis intercoſtalibus communicauit: illi autem in anguſtum redacti tuberculum effregerunt: quod ex varijs humoribus conſtabat. Quamobrem & rubrum, & album expuebat. poſteà verò humoribus attenuari incipientibus. etiam bilioſum reijciebat. Igitur lacerato tubetculo humores in pulmonis inanitates, & in aſperam arteriam confluxerunt,& crebram minutamque ſpirationem reddiderunt. Inde malum ortum habuit. atque ipſum profligare humanum eſt. Ipſam ergo ab omnibus malum ſuccum gignentibus, &
B craſſum alimentum præbentibus abſtinere iuſſi. Exemplum mali ſucci eſt allium,craſſi alimenti ſunt carnes enumeratę:ipſam quoque ab omnibus clamores, & iracundiam excitantibus cauere pręcepi. Hæc enim ſciſſuram, ſi non ſit, facere, iam factam augere ac dilatare poſſunt. Mulier autem cum euaſiſſet, & puerpera facta eſſet, ex eo partu,& ex motione à ſeminarijs locis pectoris membra aliquid materiæ ſuſceperunt,& tuberculum ad rupturã apte ſe habebat. Et dextra coxendix dolore tentata eſt. Verum non propterea ſcimus, (id, quod nondum diximus) an locus ille ab aliquo antegreſſo vitio debilior effectus ſit. Dicimus ergo, quia grauiditas præceſſerat: fortaſ-
C ſe lumbi, qui coxendici adiacent, oppreſſi ſunt, & ipſa quoque colliſa eſt,& abſceſſus fractio ſecuta eſt. Et pectoris partes magna cognatione cum ſeminarijs coniunctæ vexatæ ſunt. Igitur & iſtæ perturbatæ fuere: & coxendix his adhærens dolore affecta. propterea & ipſa dolente ſimul dolebant, & dolore lenita ſimul leuabantur.

5 *Cui in capite tumor depaſcebatur, primò alumen vſtum profuit. Habuit alium priorem abſceſſum fortè quoniam os abſceſſurum erat, ſexageſimo die abſceßit. ſupra aurem in ſum-*
D *mo ad verticem vulnus erat.*

Mirabilis eſt hic ſermo, ſed non habet adiectum finem. vlcus enim factum eſt.verùm ſecundum Hippocratislegem, nullum vlcus niſi vino, madefacere oportet. At ſi vlcus quandoque cum alio malo affectu fuerit, inflammatione ſcilicet,aut eryſipelate,ſi madefiat, id non ratione vlceris, ſed ratione mali,vlceri coniuncti,factum ſerit. Vlcus autem ſi in carne, aut alia humidiore particula ortum fuerit, ne eius loci temperiem mutemus veriti,nequaquam ſiccabimus. ſi in neruo, aut ſicciore parte genitum fuerit, tunc audacter ipſum exſiccabimus.In capite circa ſynciput vlcus factum fuit,valde ſiccanti
E bus vſi fuimus. Nempè alumine, & eo cremato nobis vtentibus abſceſſus quidam & vlcera circum caput fieri incipiebant. Erat enim & vlcus, quod depaſcendo ſerpebat,& os abſceſſurum eſſe cog-

nouimus, quod concussum abscessum patitur. & quod sperabamus, A
os tandem eiectum fuit: an vtiliter, an noxiè, id non expressit Hippocrates: an ab vlceris initio, an ex quo labefactari os cœperit, neque hoc ab ipso dictum est. *sexagesimo*, item an ab vlceris initio sexagesimum velit intelligi, an ex quo abscessus secundum aures fieri cœpit, minimè declarauit.

6. *Cola habet cani similia, maiora tamen. ex Mesocelis suspensa sunt: hæc verò ex neruis à tergo in ventrem.*

De similitudine sermonem vult facere. Dicimus enim hanc hominis partem, vt exempli gratia, vterum capræ aut vrsæ vtero similem esse: sic igitur & hoc loco dicit Hippocrates, hominis intestina B quæ cola vocauit, canũ intestinis esse similia, præterquã quòd humana grandiora sũt. Habent autẽ & Lactes, quę Mesenteria à Gręcis dicũtur. Inde & Mesaricæ venę dictę sunt, quoniã in Mesenteria intestinorũ ingrediuntur eaq; distendunt. posteà quærit, vnde Mesenteria originem ducant, Et inquit, ea ex intestinis esse suspensa: sed ex diuersa constare substantia neruosa scilicet, non ex neruis motui voluntario seruientibus, neque ex tendonibus: Sed ex colligantibus, qui ab osibus egerminant: ab osibus inquam, qui vertebræ sunt. vertebras dico, quæ in lumbis positæ sunt. id verò significauit dicens, *in ventre cola*, id est, intestina habet: non apposuit autẽ quis. Pulchrè verò Galenus ait, *subintelligendum est Homo*. cuius enim Hippocrates, nisi humani corporis, cum & ipse homo sit, curam gerit. C

7 *Laborantibus gratia. vt mundè parare poculenta, & esculẽta, quæ videt, molliter quæcunque tangit. Alia, ne valde lædant, aut ne noxa non facilè emendabili, vt frigida, vbi hæc opus est.*

Omnium curam gerens Hippocrates, nunc eximiũ quiddã nobis tradit, & inquit: Si rectè medicari velis, ægrum tibi obtemperantẽ habere debes. Nam si tibi morem geret, tu & ipse aduersus morbum pugnantes eum superabitis: at si tibi repugnabit, morbus victor erit. Ægrotum autem sic obedientem habere poteris, si eum tibi amicum, & beneuolum reddideris. Interdum enim imperante medico, vt aliquid sumeret, recusauit ægrotus, quod tamen aliquo ex affinibus persuadente suscepit. & hoc ideo, quia ipsum amabat antea. Eum verò tibi beneuolum reddes, si qua in re ipsi gratificabere: gratificaberis autem, non pecunias exhibens, sed aliquid eius cupiditati ob morbũ excitatæ concedens. Nam si exempli causa frigidam aquam vehementius concupiscat, eamque tu cras, aut perendie iam ei præbere statueras, nihilominus, vt eius concupiscen- D E

tiæ

A tię ſatisfacias, diem conſtitutum præuenire debes. Nam ſi cum vo-
luptate accepit, omnino eſt calor in ventre. à quo & coctio & ſan-
guinis effectio, & cætera egregiè adminiſtrantur. † Quam ob rem *Hic aliqua*
& Hippocrates dixit, *paulo deterior*. Porrò ſunt & alia, in quibus *deeſſe viden*
per omnes ſenſus ægrotanti gratificari debes. Nonnulli enim ſunt *tur.*
qui mũditia lætantur. Tunc verò debes faſcias omnino puras adhibe
re & præcipuè ne ſordibus ſtimulentur, cauere debes. Deinde & colo
res albos, & candidas herbas, & argentea vaſa, aureaque in eius con-
ſpectu ponito. Eſt præterea & alia mundities, qua delectatur ægro-
tans, ne phiala, in qua purgatorium medicamen, aut alia potio con-
B tinetur, ſordida ſit. Tu quoque mundus eſto. Nam ſi æger vlcera, ſa
niemq; attingat, tibi manus affricás detergit. At Hippocrates mundi
tiam dixit, quæ in cibo potuque habetur. Hæc vtique ad ſenſum dun
taxat pertinent, nõnulla verò & animũ quoq; exagitant: ne ad ægrũ
igitur eius inimicum introducito, vt ne ipſius aſpectu conturbetur.
Quòd ſi fortè intrauerit, educito: verum dicas: bonum eſt ægrotũ
quieſcere, itaque omnes egrediamur: ſicque vnà & inimicus exi-
bit, ac paulo poſt amici reuertuntur. Quæ de ſenſu viſus dicta ſunt.
eadem & de ſenſu odoratus referenda. Si talibus delectatur, bene o
lentibus vtitor: præſertim ſi eius affectus huiuſmodi odoramenta
C requirat. Haud aliter & de tactu dicendum,, ſiue duris ſiue mollibus
gaudeat. ac ſi manuum opera vſurus es, id celeriter, & quam fieri
poteſt, indolenter facito. hoc autem & ab artificis dexteritate, & ab
inſtrumenti acumine proueniet. atque iſtæ ſunt gratiæ ad tactum
pertinentes morbum patienti concedendæ. Cæterùm Hippocra-
tes mollium tantum meminit. haud neſciens, ſiquid durum illi iu-
cundum ſit, molle quoque eidem videri. Quin etiam eius artem a-
nimaduerte, nouiſti enim ab extremis media contineri. propterea
cum viſus mentionem feciſſet inquiens, *mundè*, & tactus, dicens,
molle, tibi mediorum quoque notitiam inſinuauit. ſubdit, *alias etiam*
D *laboranti gratias concedito*. vt quę à frigido. Quidam interpretantur,
id eſt, ipſis pomum, aut aquam præbeto. At Galenus communẽ
ſermonem facit, quòd ſi poſt tertium diem eras ipſi conceſſurus † *aliqua deſũt*
balneo, ipſe verò balneorum amator, à te ſibi concedi roget, tunc cõ
cedito. Sed inquit Hippocrates, Si concedemus rem ipſi gratam fa-
ciemus, Galenus verò inquit, melius erit, ſi minatus fueris, &
dixeris † hinc ad decem dies te loturus non fueram. verùm vt tuæ † *quædã de*
cupiditati morem gererem, te lauacro vti permiſi: tu igitur mihi quo *ficiunt*
que gratificare, ne poſthac in reliqua victus ratione ordinem inſtitu
tum deſerere velis. Hæc ſunt morbo gratiæ laborantib. concedendæ.

E *Introitus, ſermones, Figura, veſtis ægrotanti, tonſura, vn-
gues, odores.*

Sunt & aliæ, quæ à medico sumuntur, gratiæ ab introitu ipsius medici. Ipsi verò introitus vel à frequentia, vel à temporis conditione, vel à modo considerantur. à frequentia, ne raro accedas, vt ne eorum quicquã, quæ in morbo eueniunt, te lateat, sed pro vt opus erit, subuenias. à temporis oportunitate, considera quando intrare debes: num accessionis initio, vt quomodo se habeat morbus, perspicias, an in summo vigore, vt ægro morbi sæuitia laboranti opem feras. an in declinatione, vt alimentum præbeas. modum etiam, quo introire debes tecum cogita, tacitus ne, an vociferans. id autem, pro ut se præsens affectus habebit, faciendum erit. Nam si vigilia vrgente ipsum dormire cupias, pedetentim ac silens introibis, si graui somno ac sopore opprimatur, ac ne recrementa natiuum calorem extinguant, suspiceris, tum clamans, & vociferans ipsum expergefacito. atque huiusmodi introitus medici esse debent. Quærantur præterea sermones, quibus cum ægro vti debes. Nam si Geometra sit, geometricos sermones proferas, si grammaticus, grammaticos. si delectetur obscœnis, tu verò illis vti nolito, sed in alios ipsum abducito. aut ijs colloquijs vtitor, quę ad ęgrotantem pertinentia, te afferre conuenit. vt exempli gratia, te ipsum nobis obedientem exhibe. siquidem lignum nisi carpentario cedat, frangitur: sic æger medico renitens perditur. Sunt præterea & alij quidem sermones. nam si ad ægrotantem minimè quiescentum, sed se iactantem, & nimio calore flagrantem accesseris, ipsum solare, dicasque, nihil putre habes in corpore ac bene speres te seruatum iri. neque dicas, moriere & malè habes. quòd si te iureiurando affirmare, quod dixisti oporteat, periurio vti ne dubites. nam boni causa id facies, neq;, quod Calianax medicus fecit, tu facito. Nam ingressus ad ęgrum ipsum multis malis circumfusum offendit. Et ille clamabat, malis me obsidentibus intereo, & tunc iste virtutem ostentans puerilem sermonem enuncians ægro asperè. & intenta voce respondit, *Et Patroclus obit, te qui præstantior ipso.* Quam ob rem ille animum despondens paulo post è vita migrauit, & corporis tui figuram atque gestus ô medice considera, num ne audax atque impudens. an humilis & demissus intrare debes. Quippe cum istorum neutrum sit abs te repræsentandum, audax enim odio habetur, abiectus contemnitur. Item quibus delectetur, explora. & ipsum per talia imitare. considera & vestem. hęc enim in primis à viro prudenti erit aduertenda. ea tali sit colore, quali ęger oblectatur. Hęc verò maioris sunt momenti, ne frequenter videlicet ab humeris tuis deuoluatur, ne fortè dum manu artem exerces tibi ferreum instrumentum excutiat, ne dum arterię motum, quem pulsum vocamus, exquiris, impedimento futura sit. ne fœdis maculis sordeat, cum puris, ac mundis ęger delectetur. Hęc vtique sũt pluris facienda: nunc ad ea, quæ tanti nõ sũt, descendamus. Considerãda.

A ſideranda ſunt, quæ ad tonſuram medici pertinent. Rectè autem fecit Galenus, qui anteà de his tam diligenter curam habuit. In primis num oculi bene habeant, animaduertito. Si caput benè ventilari cupis, ne permittas multos in eo capillos creſcere: ſi tibi caput extinſecus ab aere læditur, tunc cæſariem nutrito. Verùm & in hoc, quod decens eſt, potius quærito, & ægro quod gratum ſit facito. Neque quod Antoninus Cæſar, & Lucius faciebant, tu quoque facere ſtudeas. Siquidem Antoninus eis, qui ad cutem raſi erát, gaudebat. Omnesque ad eum detonſis capillo & barba læues accedebant. At Lucius comam gerentibus delectabatur: omnesq́;
B cum eo barbati & comati verſabantur. Examinentur verò & vngues vt nonnulli interpretantur, id eſt, ſcabioſi ne ſunto. Figuram medici, dicebat Hippocrates, vt quidam volunt, ne ſit videlicet mancus, neúe claudus. At rectè Galenus inquit, Hi talia dicentes impatibiles eſſe debent, & medicus immortalis. Ignorant enim ipſum eſſe hominem, & communibus calamitatibus obnoxium. Aliter alibi dictum eſt: Vngues neque longitudine digitum ſuperent, neque breuitate deficiant: neque admodum duri ſint, ne pulſus obſeruare impediant. Item ad vſum neceſſarium eos accommodes. Nam ſi fre-
C quenter infuſis per inferna vſurus es, ac ſiniſtræ manus indicem ano iniecturus, ne ipſi vnguem magnum ineſſe ſinito, ne feriat, neue vlceret. Si ferrum è vulneribus exempturus es, pollici, atque indici dextræ man⁹ grandiores vngues cõcedito. Odoris præterea ratio habenda eſt. multos enim grauis odor conturbat. & in alijs fœtidum vlcus putres vapores exhalat. Porrò fœtor à cibis haud ægrè tollitur, ſi natura ipſum gignit, mitior fieri poteſt. Si medici os Allium cepamúe redoleat, ea ne comedito. Si male olens ſudor emanet, ipſum odoratis vnguentis, & aromatibus corrige: & ad ægrum bene olentes herbas ferens accedito. præſertim ſi ipſe talibus oblectetur. Neque iterum facias. quod Quintus medicus fecit. qui cum
D fortè multo vino madens ad phreniticum inuiſendum acceſsiſſet, ille vini odorem ab ore Quinti rumpentem ferre non potuit, ſed ei dixit, odor vini à te epoti me vehementer affligit. Ille verò admodũ ruſticè reſpondit, ego febris tuæ fœtorem tot dies æquo animo tuli & tu oris mei iniucunditatem horæ ſpatio ferre non potes? Hę ſunt gratiæ morbo laborantib. concedendæ. quę paruæ faciendæ videntur, cũ tamẽ & nobis & ęgroto magna impertiãtur: nobis quidẽ, vt ipſe curanti medico reddatur obediens, patiẽti verò corpori ſanitatẽ.

9 *Aqua decocta, cum vt aerem admittat, tum vt ne plenum*
E *ſit, & operculum habeat.*

Si omnis generis documentorum hoc in libro doctrina traditur,

& aeris,& locorum,& aquarum naturam in præsentia declarare opus est. De aquis igitur nunc sermonem facit. Tres autem sunt aquarum ordines. nam quædam bonæ sunt, quædam vitiosæ: quædam mediocres. Si quales bonæ sint, docuerimus, contrariæ: hoc est vitiosæ patebunt. hic ambabus cognitis mediocres quoque innotescent. Aqua igitur optima visu, gustatu, odoratuque dignoscitur. Visu quidem alba, perspicua, pura, nullam habens permistam materiam cernitur. Odoratu autem bene olens sentitur,Bene olentem aquam vocat Hippocrates, quæ non fœtet, quæ grauem odorẽ non habet. Gustatu cognoscitur,si potabilis,si dulcis.Dulcem voco qualitate vacantem, non nitrosam, non sulphuratam, non Bituminosam, talis vtique est aqua bona,cui verò aliquid istorum deest, mediocris vocatur. Qualis est aqua Nilotica,quippe quæ pellucida, nulla qualitate infecta, & boni odoris est, sed limosa. Qua de causa in renum morbo vexatis, ea vti formidamus, ne sua crassitudine calculum gignat.proinde Ægyptij colatorias situlas excogitarunt. vt crassamentum aquæ superius maneat. Itaque in febrili morbo iã inclinante, & concoctione apparente si aquam propinare volueris, si vitiosa fuerit,prius coquito. Quinetiam si munda fuerit,coctionis indiget: quo siquid fortè vitij insit, decoquendo corrigatur: verùm quod frequenter in corporibus, idem & in aqua facimus. Nam cum adest hectica febris, corpus refrigerare & volumus,& timemus:quoniam refrigeratio densa cum sit, intro penetrare nequit: proinde corpus ante calefacimus, & foramina dilatamus, quo refrigeratio penitus intrare valeat.Hoc idem & in aqua agendum est. Quippe in exurenti febre vbi eam potui dare volumus, vt corpus refrigeret, prius ipsam calefacere debemus, vt eius meatibus rarefactis, acre frigus per ipsam subire, frigidioremque efficere possit. rursum verò aquam densantes, vasculum niue, aut glacie sepientes circumdamus. Harum si facultas non adest,vasculum in puteum dimittimus, idque altius ne aquam putei attingat,suspendimus.aqua enim,cum partibus crassioribus constet, meatus præcludit, neque frigus intrare permittit. Sed vasculum ita suspensum, vt vapor ingrediens frigefaciat, dimittimus.atque cum & vapor ipse locum satis amplum non habeat,situlam non contegimus. vetaret enim vaporis introitum. verùm si contegere volumus, ne vehementer operculum imprimamus, neque diligenter occludamus, sed leuiter operiamus quo vapori subire liceat, neque immundum quicquam incidat. Cumque obtegimus,re aliqua frigida tegamus, vt puta lactuca, rosa, vitis folijs, & id genus cæteris. Et hæc est huius loci sententia. quæ sane obscurè tradita est. Docet autem, Aquam decoctam multas debere conditiones habere, primo aerem admittat, id autem fiet, si vasculũ non fuerit plenum,si tegmen non habuerit. Hanc vocẽ. *Non* adiecit

Hippocrates.

A Hippocrates: quia vas vtique tegendum est, sed non exquisitè claudendum. Verùm satis erit, si ei leuiter operculum sit impositum.

10 *Quoniam ex sanguinis profluuijs aqua subcutanea laborant, si qualia conuenit purgari, purgentur, & leuiter tolerant.*

Sermo iste priori affinis est. Nam paulo antè dicebat: *Hæmorrhoidas patientes neque pulmonis inflammatione capiuntur.* Deinde tanquam alicui dubitanti. num quid sine modo euacuationem fieri permittã respondet, *minimè*, Quoniam ab euacuatione corpus refrigescit, carnes aquosę reddũtur, & Hydropicus morbus aduentat. Quod si quã do corpus excrementis refertum sit, copiosam fieri euacuationem permittito: quo ad omne infestum elabatur. vnde aphorismum infert, *si qualia purgari conuenit*, sed in libro aphorismorum adiecit hoc verbum, *confert*, quod hîc subticuit, tanquam manifestum sub intelligens. nam si leuiter ferunt, & conferre necesse est.

B

11 *In Aeno leguminibus vescentes assiduè fœminæ. mares cruribus capti sunt: atque ita permanebant. Verum & eruum comedentes. Genuum dolore vexabantur.*

C

Dictio hæc libri inscriptioni consentit. popularis enim morbus est, vt ciuitas declarat, quæ annonæ caritate in eam calamitatem lapsa est. Hippocrates autem loci mentionem facit, vel quia memoriæ propriæ consulens hæc scripsit, vel vt ex loco tibi etiam morbi malignitatem ostenderet. Aenus autem quæ Thraciæ oppidum est, fame laborauit, quod cum frumento abundaret, & alijs vrbibus impertiebat. Inquit igitur, in Æno, vbi frumentum erat copiosum, eiusdem inopia repente inuasit, neque ad breue tempus, sed, diu, vt etiam tempus magis famem augeret. Quare isti vesci pane, assueti, in penuria legumina comedentes inde ob subitaneam mutationem vim naturæ conturbarunt. pauperes autem, fortasse verò & opulenti neque legumina edendi copiam habentes, fame inualescente ad brutorum alimenta conuersi sunt, eruo scilicet, & glandibus pro cibis vescentes. Atque inde vires labefactatæ sunt. neque enim membra tali succo nutriri didicerant. Quocirca facultatibus membra prę sertim extrema, regere non valentibus cruribus inualidi fiebant. Nam spatio temporis praui succi & flatus redundantes ad imbecillas partes, & pręcipuè longè à fonte caloris absentes confluebant, & in caua loca irruebant. atque inde genuum doloribus torquebantur. Dicit *Fœminæ & mares*, Quoniam fames nulli parcit, sed mares iuxta & fœminas inuadit, ex quo magnam corruptionem, & stragem

D

E

indicauit, & in calidiores, & in laboriosos, & in frigidiores, & in desi diosos, & in purgatos, & non purgatos. Et in domi se continentes & foras exeuntes. A

12 Euidenter vigilans calidior, exterius autem frigidior: Dormines è contrario.

De quibusdam corpori euenientibus hoc sermone differitur. Nempe insitum calidum interius colligi in somno, proterea quia à superficie recedit. Inde fit, vt intima caleant, extima frigeant, in vigilia calido exteriora petente, secumque recrementa educente, penetralia refrigerantur, summa incalescunt.. Id verũ esse ex hoc constat, quòd dormientes, vt pote superficie inalgente, pluribus tegumentis egent, quàm vigilantes. Et per somnum coctiones interius calore coacto celebrantur, quod in vigilia non fieret. Numquid igitur putãdum est corporis superficiem eius intimis partibus vnquam esse calidiorem? minimè. Nam quantuscunq; calor ad exteriora perueniat, semper tamen in corde & Iecinore insitum calidum multò copiosius abundabit. Quamobrem profunda cum superficie non confert Hippocrates, sed quodque sibi ipsi comparat dicens, superficies minus caloris habet in somno, quàm in vigilia. B

C

13 Percalidis natura refrigeratio, Potus aqua quiescere.

Nunc ad naturam se transfert Hippocrates, & inquit, quoniam puer multo sanguine refertus in lucem editus fuit & crescentia mẽbra vigebant ac deinceps ætas procedebat, & temperatura mutabatur, & acrior secundum qualitatem calor euadebat: atque iam florenti ætate accedente calor ipse dominabatur: igitur ei medebimur. Sed morbi genus explorandum: vt ex dissimilibus similitudo fiat. & hoc refrigeratio præstabit. Quænam autem sunt refrigerantia: quædam intus, quædam extra. intus frigida potio, vt pote aqua, non vinum. Extra verò Quiescere, ne ira exagitetur, ne corporis labore fatigetur. Aqua est eorum numero, quę ad vtrumq; pertinẽt. Nam & frigida potui datur, & eadem frigida pro lauacro administra rur. D

14 Somnus in frigore vestibus operto.

Hanc dictionem quidam à proximè posita seiungunt propterea hanc vocem ἐμψύχει tanquam vnam particulam orationis capientes per literam μ scribunt, & interpretantur, *somnus refrigerat*. Nam si corpus sit acriori calore, in somno cum fiat coctio, & rationi congruenter cum alimentum conficiatur, humiditas distribuitur, & singula membra probè nutriuntur. & hac de causa stragulas vestes, vt cali- E

A vt calidũ tueamur, circumijcimus. Et ab alijs aliter fit explanatio: videlicet, non ſemper ſomnus frigidus eſt, ſed plerunque eſt materia, vnde ſomnus oritur. Qui materiam quidem calefacit, & diffundit, ſed coquendo ipſam non ſuperat. Quæ exuberans calorem obruit, & extinguit. Inde verus eſt Aphoriſmus ille, *vbi delirium ſomnus tollit bonũ eſt*. Alio quoque modò ſomnus refrigerat: longus ſcilicet. quia ſuperuacua diſcuti non ſinit, quæ calorem ipſum occludentia ſuffocant, At vera explanatio ita ſe habet ſuperiorem ſermonem cũ hoc copulat, & hanc vocem ἐμψύχει pro duabus accipit, & primam per nõ per μ ſcribit, & per priorem ſermonem dixit, ſi intemperies calida eſt,
B ei frigidam aquam, & quietem impera. impera & ſomnum, vt facta coctione, calor naturalis adauctus eum, qui naturæ aduerſatur, extinguat. ſomnus autem in frigore fiat loci ratione, ne fortè aeris circumfuſi tepor corpus calefaciat. At ſi ſomnum refrigerantem locus efficiat, cauendum eſt, ne intima refrigeratio ſubiens membra percellat, ac, ſi à calore liquata fuerint, vehementius offendat. Quocirca ſtragulis veſtibus aduerſantibus vtendum.

15 *Somnus ſedentarius, ſtantium dormitatio.*

Deeſt huius particulæ interpretatio.

16 *Imbecilli victus frigidi, validi autem calidi.*

Eorum memorem eſſe oportet, quæ in libro de Ratione victus in acutis morbis tradita ſunt, cibaria illa eſſe imbecilla, quæ graui carent odore, quale eſt triticum, & ordeum: valida verò, quæ grauiter olent, quales ſunt cæpæ, porri, Allia. Huiuſmodi ergo valida & calida ſunt. Imbecilla verò frigida. An potius dicendum eſt, quia calida citius coquuntur, ideo robur facultatibus afferunt: frigida quia tardius, idcirco imbecilla dicuntur.

D

17 *Aquarum arte vacantium quæ ab Aethere excreta eſt aut cum tonitru, tempeſtiua, procelloſa verò mala.*

Hæc oratio cum ſuperiore cognationem habet: verùm Hippocrates ordinem non ſeruat, vt nihil prætereat. Oportuit enim hunc aphoriſmum eo loco poni, vbi dixit, *Aqua decocta* præſens autem ſermo alteram aquarum partitionem indicat. Nempe aquarum aliæ arte vacant, aliæ arte paratæ ſunt, & arte vacantes eas vocamus, quas vt natura genuit, ſic potui damus, artificioſas autem,
E quæ aliquam ab arte varietatem acceperunt. Quemadmodum multi longos ac tortuoſos ductus moliuntur, per quos oberrans, & circumfluens aqua, quicquid cœnoſi habet, in fun-

do relinquat. Inquit igitur Hippocrates, si aqua vti velis, pluuiatilem te deligere oportet. Itaque de pluuia, tonitruo, & fulgure nobis philosophandū est. Quocirca rectè Hippocrates in libro de locis, aere, & aquis opinatur, calorem ex singulis corporibus tenuem partem eripere, & hanc in sublime per aerem efferre, & nubibus occurrere: quam illę admittentes intra se concludunt. Atque ibi crassescens exhalatio vicissim deorsum labitur, ac pluuiam creat. Praeterea nubes aqua prægnantes, & onustæ inter se concurrunt, & in angustum compelluntur. Spiritu autem incluso erumpere conante, fragor & crepitus editur, qui tonitrus appellatur. Spiritus verò ille in medijs nubibus illisus splendidior emicat, vnde fulgetra, quę vocatur, efficitur. Et hac de causa æstiua aqua bona est. Quandoquidem sol è regione verticis nostri capitis imminens, quod rapit, id extenuare, & excoquere potest. Inde & ipsam aquā Aetheream, id est, perspicuam reddit. Et hæc æstate neque madefacit, cum humidi ab æstiuo sole extenuatio præueniat. At Hyemalis aqua omnium deterrima: propterea quia neque à sole coquitur. ideo & ipsam nymbosam appellauit: quippe quæ à frigore conuoluitur, & concrescit. Quę cum tonitru cadit, mediocris est: nam si prorsus in nubes tollitur, crassitudine spissatur: at si spiritu attrito & illiso calescenteque attenuatur, bonitatem adipiscitur. Verùm Hippocrates damnans ipsam procellosam, hanc tempestiuam, id est, bonam appellauit. quicquid enim tempestiuè fit, bonum est.

A B C

18. *Aqua vorax, vigilia vorax.*

Iterum de aqua ab Hippocrate verba fiunt. Nam cum sermo de aqua sit contentiosus, propterea frequenter de ipsa differitur. Istam inquit Hippocrates esse voracem, vtpote quæ ipsa vtentes comedones reddat, cum plura comedere nos cogat. Quemadmodum & vigilia copiosius edendi auiditatem nobis inijcit. Verba quidem Hippocratis hanc sententiam significant. Tu verò perpendito, an re vera aqua appetentiam excitare, nec ne possit. Neque enim id semper euenit. Sed quando ciborum appetitus à calida intemperie labefactatus est. tunc enim aqua exhibita calorem extinguere, & cibi desiderium validum efficere potest. Alioqui frigidus ventriculus appetere idoneus est. stringit enim frigus, & cogit alimentum. & notitia vacuitatis vasorum nobis insurgens alimenti sumendi cupiditatem excitat. Verùm enimuerò & vigilia famelica quædam res est. primo quidem membra exiccat, & ex accidenti humectat: quia pituitā gignit, quæ genita, speciem appetentiæ repræsentat, Cęterùm & alioqui vigilia calorē ingenitum ad extima declinat & multā corporis digestionē facit: inde exoritur appetitio. Appetitio verò pręter naturam est, quæ ex vigilia cum exercitatione prouenit.

D E

19. *Percali-*

A 19 *Percalidam naturam calido tempore in frigore cubile crassam facit, in calido extenuat.*

Hæc oratio ante dictæ quædam particula est. Dicebat enim, per calidæ naturæ refrigeratio, Aquæ potio, quiescere. verum non modo hæc, sed etiam cubile quodam modo refrigerat. cubile dico, nō in calido, sed frigido loco positum. quod non ex calida, sed frigida materia constet. non ex lana, (calefacit enim) sed ex lino, quod frigefacit, præterea ne sit sordidum cubile, cum sordes calorem augeant, sed bene mundum. Quandoquidem calidum cubile emaciat carnes, frigidum crassas efficit: quia calorem extra dissipari non sinit.

B

20 *Exercitatio sanitatis, non satiari cibis, promptũ esse ad labores.*

Hæc verba non ad sanandi, sed ad præseruandi rationem pertinent. nam intra limites sani corporis dicuntur, Inquit Hippocrates, si tueri sanitatem cupis, multa ne comedas, vt ne appetentiam obtundas. Sed quemadmodum si quis corpus exercens ab labore adhuc exerceri potens laborare desistat, sic & tu modo sanitatem cōseruabis, si cibum capiens, adhuc appetens eum sumere desines. Ad hæc ad motiones corporis ne sis impiger. idest, ad mediocres exercitationes, quò per eas superuacua expellas, hæc enarratio est mirabilis. At Galenus aliter hanc dictionem interpretatur. Quoniam fortè ad contra se habentes accessit Hippocrates, & inquit, calidum stomachum curauit, frigidum non curauit. Demolitur enim facultates, cum sit intemperatus Quocirca per cibi parsimoniam ipsi medebere. Vereor enim ne nimius cibus non confectus frigidam intemperiem vehementius augeat. Item nolo ipsum alacriter sese exercere. Hoc enim calorem excitare potest.

C

D

21 *Inter vigilandum siti pusillæ somnus medetur: siti vero ex somno vigilia quibusdam.*

Ad curationem facit hæc sententia. De siti enim loquitur Hippocrates. Ea verò & à calore, & à siti, & à salsis cibis crudis in stomacho retentis exoritur. Sed quæ alibi, & alia de causa sitis fit, maligna est Itaq; sitis si à cruditate fuerit excitata, somnum inducito: siquidē in sōno dũ alimentũ coquitur, sitis extinguitur. Vel & aliter, Fortasse à labore mēbra acriora, & calidiora euaserunt. † In vigilia namq; recedente affectus ipsius calore, & sitis euanescit: aut etiã aliter, somno diutius manente plures halitus geniti, & acriores effecti, sitim pariunt, tunc ipsos expergefacito. Nã inter vigilandum calor foras erum

E

pens vnà fecum & vapores exturbat, atque ita fitim demit. A

22 *Quib. plurimum caloris ineſt, hi vocaliſſimi ſunt, frigidus enim aer plurimus. Ex duobus autem magnis magna, & quæ creantur, exiſtunt.*

De vocis magnitudine vult agere. Ea verò nequaquam fieri poteſt, niſi facultas ſit valida, & inſtrumenta latiſſima, & ſpiritus abundantia. ſi quid horum deſit, vox magna non æditur. propterea muliebris vox ob ſpiritus inopiam magna non eſt. Igitur inquit Hippocrates: *Si innatus calor ſit plurimus, & frigidus aer, ac multus attrahitur:* qui in ſpiritus abundantiam impendit. Quæ ad facultatem attinent, neque meminiſſe Hippocrates dignatus eſt. Quoniam ſi multum ſit innatum calidum, & ſpiritus abundet, omnino & facultas rectè ſe habebit. Facultas inquam quæ inter coſtales muſculos conſtringit. Tria verò ſunt vocis inſtrumenta, Guttur, Lingula, Fauces. B

23 *Ventriculo calidi, frigidi carne graciles q; iſti venoſi, & iracundiores.*

Id præſumens, de quo habetur hîc ſermo, dico, calidum duplex eſt, aut ipſa qualitas, aut corpus calidum. Et hoc aut ſecundum naturam calorem habet, aut præter naturam. Si ſecundũ naturam, aut ingenitum, aut acquiſitum. ſecundum naturam quidem, & ingenitum calorẽ habet cor: ſecundum naturam autem, & influentem carnes. Caloris verò præter naturam alter eſt propinquus, alter longinquus: qui & re ipſa præter naturam eſt, propinquus eſt in vigenti ætate: lõginquus, qui eſt in febre. His ita expoſitis, calorem contra naturam in ſtomacho eſſe ſupponit, & inquit: Si eſt calidus ſtomachus, in nidoroſum cibos corrumpit: Inde ad carnes aduenam calorem habentes alimentum tranſit. Illæ verò ipſum deprauatum ſentientes, tanquam rem inimicam repudiant: Et ea de cauſa carnes emaciantur. quibus emaciatis nudatur: venæ conſpicuæ fiunt: Aut quoniã ſanguis ad nutrienda membra non diſtributus, vt pote redundans, venas inflat. Quapropter & iracundi fiunt. Nam ſi ventriculus calet, gula inflammata eſt. Aorta quoque participans cordi bilem im[illegible]rtit: atque hac ratione iracundi euadunt. C D

24 *Terra ſiccitatibus ſqualente Auium genus Benè habet.*

Probabilitatem huius dicti ſecundum varios interpretes ita debemus explanare: Dicunt enim quidam, cum eſt aeris magna ſiccitas, aues eum deferentes terram, vt pote humidiorem, petunt. Sed hoc loco Hippocrates deridendus eſſet, qui de corporibus huma- E

nis

A nis differens, auium mentionem fecerit. Alij verò asserunt, fieri terræ squalorem, quando pluuiæ frequentes non cadunt: quamobrem multa corpora intereunt, ad quæ voranda in terram volucres descẽdunt. Sed veram interpretationem Galenus refert. Videlicet: quandam similitudinem hic tradit Hippocrates, & inquit, quod quemadmodum aues sicciores hoc tempore propter similitudinem abundant, sic & conseruatio fit à simili, corruptio verò à contrario.

25 *Cum Hircũ sapere incipit, vter exterius testis apparuerit. si Dexter, Mas: si verò sinister, Fœmina.*

B

De hirco vult sermonem facere. Dictum est autem alibi, hunc esse vocis affectum, cum magna sit & rauca, magna à calore, rauca ab humore: propterea hoc adolescentibus euenit, præcipuè ob seminis exuperantiam, quòd in corporis crementum absumi non potest. Hanc verò locutionem per Hyperbaton, id est transgressionem legere oportet, quòd scilicet quando Hircus affuerit, Dexter quidem testis masculorum ferax, alter verò fœminarum. Explorato igitur, vter extra emineat. id est, vter extuberet. Nam si dexter testis extumuerit, quemadmodum in fœminis dextra Mamma, iam constat,
C quod ob seminis abundantiam in viro & sanguinis in muliere masculus gignetur. Si contrà eueniet, fœmina. Quoniam mares in dextra parte, fœminæ in leua creari solent. vt per sermonem anatomicum, quem supra posui, explicatum fuit.

26 *Oculi vt valẽt, ita & corpus. Et color in deterius, aut melius labitur. æquum est autem, vt se habet alimentum, perinde quod extimum est, sequi.*

D Oratio hæc Dignoscendi rationem tradit. & Physiognomo conueniens est & ipsam per verbi transgressionem interpretari oportet quod totius corporis statum faciei color tibi declarare potest. Nam facies liuida defectum animi, quemadmodum rubicunda sanitatem significat, vt que calor faciei, sic & oculi significant. idcircò & animi mores ex oculis percipiuntur. Quoniam in cerebro manens anima tanquam per fenestras in oculis apparet propterea & semper se mouentes oculi petulantis animæ, humum intuentes modestæ, ac probæ indicia sunt. Et nos corporis affectum ex ipsis quoque oculis deprehendimus. Siquidem &
E spiritus & humores per omne quidem corpus discurrunt, sed per oculum, vt potè rariorem partem, elucent, propterea morbo arquato laborantibus oculi pallore infecti sunt. *Aequum est autem vt*

se habet alimentum, ita & quæ extima sunt, sequi: Nonnulli scribunt, A
τροφὴ id est, alimentum, quod videlicet, quali cibo corpus vescitur, talis & oculorum color innenitur. Sed re vera scribendum est τροπὴ id est, mutatio. Quemadmodum enim corporis constitutio mutatur, tales & oculi exterius apparent.

27 *Signa mortifera per cutem nares, calidus vapor prius nares frigidum spiritum reddunt.*

Cum morbus iamdudum vexauit, sed mors in propinquo est. Hoc enim ex antegressa periodo, & ex corpore labefactato, atque B
inutili reddito innotuit. Igitur calor in aerem cognatum dissoluendus est, vt quæ debentur, suis affinibus quæque reddantur, ex halãte videlicet, & ad exteriora dilabente calore. propterea inquit, *calidus vapor per cutem. Expiratio per nares frigida est.* Nam ventilandi necessitas extincta perijt. Aut quia calor non amplius in suo naturali domicilio moratur, sed extrorsum ad cutim conuersus est. Neq; enim solent nares calorem, qui ad cutem fertur, introducere. frigidus quidem aer per nares efflatur, quoniam sicut pruna moriente fuligo effertur, sic & à calore languente fuliginosus vapor exhalat.

28 *Ad sanitatem labores cibos antecedant.* C

Quispiam fortasse cum sederet, ingemuit, & condoluit laboranti, lethale signum esse credens, vbi de sanitate Hippocrates loquitur. Nonnulli hæc verba, *Ad sanitatem*, cum superioribus coniunxerunt: sed re uera cum inferioribus copulanda sunt. propterea quod cibos exercitationes præcedere debent. quo fuliginosa recrementa exturbentur, vires maius robur acquirant. & conceptacula patefiant. Reliquum est vt exercitationis species ex anteacta vita inueniatur. Ægrotantibus exercitia non præcipit Hippocrates, qui hac de causa Herodico vehementer conuitiatus est. D

Finis quartæ sectionis.

QVINTA SECTIO.

Naturæ morborum medicatrices sunt.

Quarta sectione absoluta modo ad Quintam enarrandam accedamus. Atque iterum licet auido cuiusque generis documentis ad satietatem institui. Nam protinus à proœmio naturam vult laudibus celebrare, & inquit: Tametsi dicimus, Artem medicam nobis sanita E

tem

A té largiri,nō tamē per ſe id facit: ſed natura eſt,quę cūcta negociatur. & corporum curam gerit. Quare & natura ſine arte aliquid molitur: Quippe cum videamus, Naturam interdum vaſculum aperientem, ſanguinemque largiter effundentem morbum profligaſſe,ipſam verò medicam artem natura minimè ſuffragante nihil prorſus efficere. Etenim cadaueri etiamſi remedia adhibeamus, nihil quicquam proficimus,quia ſcilicet neque gubernatrix natura.neque eius miniſtrę facultates interſunt. Natura igitur & per ſe, & vnà cum arte nos à languoribus liberat. Verùm id vnum in dubium vertitur, cur in ſingulari numero non eſt locutus Hippocrates, ita videlicet. *Natura*

B *eſt medicus morborum*? Nonnulli quidem ſic reſpondent, cum plura ſint animalia, & ſingulorum animalium ſua ſit propria natura, quæ non ſolùm rationalium animantium, verùm etiam rationis expertium medicatrix eſt. Et propterea vniuerſè locutus eſt. Sed iſti malè ſentiunt. Neque enim Hippocrates poſthabitis ratione præditis animalibus, Brutorum curam habuit: Verùm naturæ nomen apud Hippocratem multa ſignificat: ſiquidem Naturarum temperaturæ quædam ad æſtatem, quædam ad hyemem benè ac malè ſe habent. Naturam quoque pro corporis conſtitutione interdum accipit: vt, cum dicit. *peribant autem quotquot natura erant anguſti pectoris.* Item na

Naturæ nomen quid apud Hippocratē.

C turam accipit pro vi corpora adminiſtrante,quemadmodū vbi dixit, *Naturæ animaliū ſunt iuſtiſſimæ*. de qua in pręſentia ſermonē facit. At cū alia natura ſit in cerebro,alia in corde, alia in iecore, iccircò in numero plurium dixit, *Naturæ*, Alia eſt enim cuiuſque iſtorum Natura. Nam cerebri, eſt animalis: cordis, vitalis: iecoris, Naturalis: & ſingulis diuerſæ inhærent poteſtates. In cerebro, ſenſuales, & motrices,& principes: in corde, iracunda, & pulſatrix: in iecore, vis attrahendi, retinendi, alterandi, & excernendi, Atque inter has quædam nobiliores, quædam ignobiliores inter animales nobiliores ſunt, quę

D principes vocantur: Inter naturales alteratrix. Hæ ſunt vtique corpus noſtrum regentes facultates. Et quoniam plures ſunt, ideo plurium numero Hippocrates vſus eſt dicens, *Naturæ*. Forſan & hoc loco Naturam appellat talem quandam ſtructuram: & quoniam quodque membrum multa habet propria, ideo numerum multitudinis protulit. In cerebro enim talis eſt fabrica, quæ tres veluti ſpecus continet: cor verò coni figura præditum eſt. Iecur autem cauas & conuexas partes habet. Et quantum ad hanc quæſtionem attinet. res pulchrè explicata eſt. At conſiderationis pelagus nos excipit: Nam ex quibus naturam extollimus, ab iiſdem artem deprimimus . Quippe ſi natura eſt illa quæ res

E ſibi inimicas profligat , ac ſanitatem parit , quis artis medicæ vſus erit ? immo fruſtrà inuenta videbitur . Ad hæc ita reſpondebimus: Natura eſt efficiens, ars autem ſubminiſtrat, quemad-

admodum & in cæteris artibus fieri solet. Medicus enim sanitatem facit. non homo non animal. quia si id verum esset, oporteret omnem hominem, omne animal, bonam valetudinem inducere. Ipsa quoque medicina non per se adhibita, sed per auxilia ad sanitatem inducit. Quare si medicus manibus aliquid efficit, non medici, sed præ animi alacritate etiam manuarij opificis munere fungitur. Nam & Philippus magnus imperator arma gerens ob strenuitatem militaria munera obibat. Igitur si medicus & hoc manuarium officium præstat, pluribus suppeditantibus eget, fabro scilicet ferrario, & cote ferramenta exacuente. Si herbarum indigeat, herbario ei opus est. Item fascijs & ligaturis medicus vtitur, propterea & textor ei prorsus ministrare debet. Igitur qualem se Textoria ad artem medicam, talem se ars medica ad naturam præbet. Solùm enim ministrat: Et naturæ interdum omnia exequenda permittit: interdum verò in aliquo suffragatur. Hæc autem natura facit non ratione vtens: neque enim rationem habet natura; neque per cogitationem quicquam operatur: neque à propositionibus ad conclusionem proficiscitur. Nempe ratio artifici obsequitur: artificis autem, atque scientiæ instrumentum est natura. Et quemadmodum in Horarijs videmus ascendentem aut descendentem aquam diuersas horas demonstrare, cum tamen aqua non sit rationis particeps, sed Artificis rationi obediat. Et sicut ars medendi se habet ad naturam, ita & natura ad scientiam. & quemadmodum natura est arte nobilior, sic & scientia ipsa natura. Nempe si quis natura, & non per scientiam sit modestus, ac temperans, obscœnis sermonibus poterit petulans ac lasciuus fieri: Verùm si quispiam per scientificas (vt ita dicam) rationes temperantiam assecutus fuerit, hic planè constans, & immutabilis erit. Postea quàm igitur & Artis, & Naturæ, & Scientiæ dignitas inuenta est, quomodo sit laudanda natura deprehendamus, vt ob eius laudem sententiã mutet Asclepiades, qui eam arte carere arbitratus est. Id autem naturæ præconium satis est, quod languorum curatrix est, nonnunquam ex toto, nonnunquam arte subsidium ferente.

2. *Adinuenit natura sibi ipsi accessus, ephodos non cogitatione partim quidem, vt conniuere, partim verò & Lingua subministrat, & id genus alia quaque inerudita, & indocta natura quæ opus sunt, efficit.*

Aliud quoq; dicit Hippocrates, naturã sibi ipsi quoq; ephodos inuenire tam in languentib. quàm rectè valentibus. Ephodos vocat actiones, vtputa excretiones, & quicquid in corpore natura nihil præmeditans, sed sponte, ac nihil edocta operatur. Rem ita se habere inueniemus, si Galeni librum de partibus humani corporis dignoscendis

A dis legerimus. Ibi nanque Galenus prægnantem capram acceperat: vt dissecto vtero quæ ad grauiditatem pertinent, oculis contemplaretur. Sed negociorum multitudo impedimento fuit, atque Hœdũ capra peperit. Postea admiratione digna videre licuit: nam à partu in Hœdo humiditas redundabat: & hanc ipse à se discussit. At quis per Iouem eum docuit, Dorsi lacertos ad motum ciendum fuisse genitos? Item aliud admirabile visum fuit. Galenus Hœdum capiens à matre separauit, eique varia obtulit alimenta, ex arborum fructib. ex melle, & ex lacte confecta. ad ea Hœdus accedens odora-
B tus est. Item quis eum admonuit. Nares olfaciendi gratia fuisse creatas? cætera quidem omnia disiecit, & ad lac libenter accessit. eoque nutritus est, & ore commanducauit. Denuò, quis percunctetur, quisnam eum docuit lacte nutriri? & dentes mandendi causa fuisse fabricatos, cum prius in aluo materna per vmbilicum alimoniam sumeret. Atque inde mirabilia succurrebant. Dentium enim aliqui incidebant, aliqui frangebant, aliqui explanabant. Cum tamen edentulus in lucem editus fuisset. Lingua præterea & in dextram, & in læuam partem vt mandaretur, cibum impellebat. Deinde retrò, vt deuoraretur, & ante, vt vox formata exprimeretur.
C Quis oro, istorum omnium doctor fuit? ad hæc cœpit vngue se scabere, à quo edoctus vnguem ad scabendum esse idoneum? Quapropter adeo miratus est Hippocrates, vt dixerit, *reuera animantium naturæ sunt indoctæ.* At si Natura indocta est, quomodo benè instituta esse dicitur? Respondemus, ab alio ipsam esse indoctam, sed per se ac sponte esse benè institutam. id quod de Themistocle fertur: Quippe qui cum nihil à quoquam prius didicisset. vir tamen fuit ratione pollens, ac domi proprijs ingenij viribus eruditus. Sic & natura inerudita, sponte sua tamen, & à nemine instituta congruenter, vt actiones Hœdi testatæ sunt, omnia facit. Atqui & hæc
D non Galeno tantummodo, verùm etiam ipsi Hippocrati perspecta fuere: quippe qui hoc indicans dixit, *& Lingua verò subministrat.* Et id genus alia. Narrat autem & aliud indicium, quod Hœdo contigit & nobis etiã, quod cõniuere, seu nictare dicimus. Hœdus nãq; re quapiam molesta in oculum delapsa palpebras claudebat. Et quis eum commonefecit, palpebras ad crystallini humoris custodiam fuisse paratas? Nobis quoque id frequenter vsu venire solet. Nam persæpe conum intueri volumus, ac necessariò minimè conniuemus intentis oculis aera spectantes. Et ex hoc immodico intuitu chrystallinus humor à solis splendore dissipatus afficitur: continuoque ipsũ
E oculum conseruare nitentes palpebras occludimus. Quis ergo istarum rerum magister fuit? Quapropter ob hæc omnia dignitas naturæ declarata est, & Asclepiadis falsa opinio redarguta.

3. Lachrymæ. Nariũ humor, Sternutamenta, Aurium sordes, oris saliuæ reiectio, spiritus introitus exitus, oscitatio, tussis, singultus, nõ eiusdẽ omnino modi: Lotij, deiectionis, & flatus, & huius utriusq; alimoniæ, & spiritus, & fœminis, & in alio corpore sudores, scalptus, pandiculationes, & quæcũq; huiusmodi sunt. A

Dictionem hanc à superiore nonũlli separant, & Hippocratem Naturæ laudes absoluisse inquiunt, modo, quod reliquum est, ad dignoscendi rationem tradendam ipsum accedere. Verùm quoniam ipsa dignotio à casibus sumitur. casus autem triplices sunt in actionum noxis, in affectu, in excrementis, de omnibus differit, & dicit, *Lachrymas explora, sternutamenta, tusses.* Hæc enim tibi dignotionem indicare possunt. Sanè pulchra est hæc explanatio. At Galenus hos sermones non disiungit: sed naturam adhuc celebrat, declaratque, quomodo in omnibus corpori prospicit, & cunctarum animi partium curam gerit. Et nõnunquam phreniticum affectum per lachrymas discussit, aut per mucum. aut per sordem. Vnde scire debemus, in hominibus aurium sordem, si dulcis est, esse lethalem, si amara, minimè: quemadmodum & in ore saliua: hanc verò dupliciter interpretari possumus, aut eam, quæ in ore ipso genita est, aut quæ alibi genita in os confluxit, & per ipsum reijcitur: perinde & sternutatio partes animales vitijs liberat. Siquidẽ humorẽ & spiritum in cerebri finibus collectos expultrix facultas insurgens exturbat, & cerebrum repurgat. Quid dico cerebrum, cum & locus, per quem materiam sternutatio propellit, emundetur? Et hæc quidem ad animales partes attinent. Item Natura vitalia membra custodiens respirationem dedit, ac tussim molita est. Namque humorem in pectore conclusum quandoque hic motus euacuat: verùm neque partes corporis medias natura posthabuit, sed per oscitationem in maxillarũ lacertis detentum spiritum dispergit. Nũquid verò naturales locos aspernata est? neutiquam. Singultum enim gulæ inhærentia, molestiamque inferentia excutiens machinata est. Hæc autem non sunt eiusdem prorsus modi: quoniam alterum est vitale, alterũ naturale. At Galenus inquit *& si ego tusses & sternutationes laudaui, noli tamen tu protinus eas omnes bonas esse existimare: verùm si à naturæ prouidentia oriantur, bonæ, si à morbi malignitate, prauæ censeantur.* Quinetiam quæ à morbo fiunt, à natura quoque, sed irritata proueniunt, Hac de causa Hippocrates particulari voce vsus est inquiens, *omnino.* Nã si prorsus à natura fierent, essent naturalia, si à natura stimulata, præter naturam. Ad reliqua post hæc, se transfert Hippocrates, magna quidẽ, sed quæ propterea quod quotidie fiant, negliguntur, dico quę nutritionis intersunt; si quidem natura hominem in fluxu, & effluxu consta

Aurium sordes dulces B C D E

A re animaduertens, per aduentitium nutrimentum immortalitatem ipsi largita est. At quia nutrimentum ipsummet sibi concoctionem dare non potuit, iccirco stomachum concoquendi autorem ipsi dedit cumque solidum cibum stomachus non conficeret dentes cibũ præparantes molita est: incidentes. quos incisores dicimus: frangentes, quos caninos vocamus: complanantes, quos Molas, seu molares appellamus. Sic demum præparata cibaria deorsum ferri debuerunt, hoc munere lingua ea depellens fungitur. Deinceps, quod restat, per gulam non tanquam per inanimam partem, sed rectis fibris ob attrahendi potentiam adiuuantibus delabuntur. At-
B que hoc pacto cibi in stomachum deferuntur. cum quibus aliquid reiectanei necessario inest, quod solidum est: quoniam quæ concoquebantur, solida erant. Inde ianitor illud emittens post suscipientia vasa lata adinuenit. concoctio quidem, vt locus postulabat, facta est, succus ex ea genitus, quem chylon Græci medicinæ scriptores nominant, ad iecur ferri vult, & eum venæ quas vocant Mesaraicas, attrahunt: quem iecur vbi suscepit, in sanguinem vertit: huius recrementum est tenue. Id Renes attractum per meatus vrinarios in vesicam tanquam in Latrinam transmittunt.. Nempe rem adhuc maiorem animaduerte, Naturam hæc vrinæ itinera obliqua fabricasse,
C quo ipsa vrina intrare quidem, exire verò nõ possit. Postremò tertia concoctio per omne corpus halitus dispergit, membra quæque nutriens, porrò halitus quocunque dissipatur, sed cutem nactus densiorem in sudorem vertitur. Vides nimirum quot à natura ad lotium & flatum excernendum condita sunt: Item & alium meatum ad stercora. vnde & plura membra istorum susceptricia facta sunt: Vt enim rem in pauca conferam, pars continens rem superuacuam, aut necessariam, aut humorem, aut spiritum, ant solidam substantiam cõtinet, humorem ventriculus, spiritum rectum intestinum. At spiritus iste vel remanet, vel expellitur: Si expellitur, corpus ab eius no-
D xa liberatur: si remanet, vel quiescit, vel agitatur, & ea quæ secundũ naturam coniuncta erant, disiungit. Et hæc quidem vno in membro. At spiritus, qui per totum corpus dissipantur, in sudorem abeunt. Nam Hippocrates sudores naturales esse cognouit, quod Dioclus negauit, pandiculationem quoque spiritus excitant. Sin halitus mordacior fuerit, pruriginem facit. Quæcunque autem de viris diximus, de fœminis hæc eadem dicta sint, illis tantùm, quæ ad vterum attinent, adijciantur.

4 *Hominis Anima semper producitur vsque ad mortem, sin autẽ ignescat, simul cũ morbo Anima etiam corpus depascitur.*

E Mirabilis hic sermo magnopere animam delectat. Nam de anima differit, de anima inquam non incorporali, non ingenita, sed vt medicum decet, Animam vocat vitalem potentiam. Nempe si de Na-

tura disputans eam mortalem affirmare non est ausus, quanto minus, si de immortali sermonē faceret? Sed spiritū dicit, vitalē facultatem. Hæc igitur semper producitur, sed nonnunquam producitur, vel generatur, nonnunquam verò augetur, producitur quidem ipsa vsque ad mortem At si quando morbus ingruat, simul ignescit cum corpore. Atque ita fit mors animæ, quæ depascitur : *depascitur* autem dicit, non, *nutritur* : Quemadmodum & pabulum est nutrimētur, sed quæ minuitur, exeditur, & perditur: Verùm vnum tantùm est dubitatione dignum, Quare dixit, *Ignescat*, Non ne etiam refrigeratus spiritus mortem infert? Respondemus, quod nouit Hippocrates, quod est amicum & familiare, id maximè infestare vnde mor- B bi à sanguine orti atroces sunt & periculosi, propterea cū nostra corpora calore delectentur, ab eo magnopere læduntur, à frigore autem difficulter. Quapropter, spiritum excalfactum esse dixit Hippocrates, quippe cum humana corpora maxima ex parte febre intereant.

5 *Morbi simul nutriti in senecta & per maturationem, & per solutionem, & per rarefactionem finiuntur.*

Præterquam quod obscurus, forsan etiam falsus est hic sermo: siquidem his tantùm, quę ad enarrationem, aut ad reminiscentiam ab ipso scripta sunt : nos fidem adhibere oportet. Itaque cum ab C ipso alibi scriptū sit, *Raucitates, & Grauedines in longè senioribus non maturantur*, hoc autem loco dicit, simul nutritos morbos in senecta per maturationem finiri. Sed qui nam sunt isti? illi videlicet, qui ab Aurigine, aut erisipelate generantur. Hos curare si non potueris : ęgrè ferre nolito. Nam senectute adueniente ab ætate oriens pituita, Bilē eluens ipsam educit & hoc resolutionē appellauit: aut cum bile mista bonam temperiem facit, & hanc maturationem vocauit. Vltimū verò solùm non est dignum Hippocrate, cum dixit, *per rarefactionem* Nā quomodo in senectute raritas, in qua refrigeratio inest, & siccitas? D An dicendum est, vim contentricem labefactatam non amplius mēbra constringere, sed ea laxa dimittere, quocirca in senibus non prę virium robore, immo præ imbecillitate sudor emanat. Et hoc rarum vocauit Hippocrates.

6 *Medicatio Antinoo contrariū meditans, nō consentire affectui. Frigidū & auxiliatur & corrūpit quacunque à calido.*

Præsens oratio ad curationem facit, ostendens contraria contrariorū esse remedia. Quoniā paulo antè cuidam Antinoo vocato sanatio fuit, quod affectui aduersatus fuit, atque ideo facillimè curatus est. contraria nanq; contrariorum medicamina sunt. propterea Frigi- E dum & interficit, & opem affert : quemadmodū pariter & calidum. Frigidū namque calido morbo appositum morbo quidē opitulatur,

corpus

A corpus verò interficit. Eadem de calore dicenda sunt. Hæc sanè est huius orationis sententia. Verùm oratio ista speciem habet solœcismi, *Medicatio Antinoo*. Ipsam verò ita explicare conuenit, Qui rem aliquã enarrant, propter multas eius cõditiones plerunque nihil aliud scribunt præter ipsum laborantem, aut rei principium, aut simpliciter aliquid, quod reliqua in memoriam reuocat, cuius significatum posterius inuenitur. Et res tota exponitur. Sic etiã fecit Hippocrates, signum enim ipsius scripsit hoc, *Medicatio Antinoo* per quod volo significare, quomodo Antinoũ curaui, & scribere nõ præueni, perinde ac prædixerit, per contraria curaui. Quocirca B subiungit, *oportet igitur non consentire affectui.*

7 *Excandescentia attrahit & cor & pulmonem in seipsa: & in caput & calida & humidum: Lætitia autem relaxat cor.*

Ad naturæ dignitatem administrationemque declarandas multa verba fecit Hippocrates. Atque iterum pręsens oratio ad medẽdi rationem pertinet. Sed videtur esse ridiculus. hanc enim sententiam præsefert, quòd videlicet, excandescentia cor & pulmonem in caput rapiat, quod vtiq; derisione dignum est. Sed de excandescentiæ notitia disserere vult. Est autem excandescẽtia vehemens, & fera ira C cundia. Explicare igitur debemus, quæ nam sint signa excandescentiam factam esse indicantia. Verùm istorum signorum quædã omnino sub sensum cadunt, quædam arte sola comprehenduntur. Sensui euidentia hæc sunt, Rubor in facie, calor in capite, tumor in collo. Hæc verò omnia iram consequuntur, quæ nihil est aliud quam feruor sanguinis in corde. Hic verò sãguis, cum sit calidus & humidus, sursum vapores emittit, & eorum omnium iam dictorum opifex est. Alia verò ab arte sola percipiuntur, vt Arteriarum motus, quem pulsum vocamus, maior, respiratio crebrior, cordis motus velocior, & rubor per totũ diffusus: sed in pectore maximè, cum ibi sit mali D causa: & in capite, quod eò vapor ascendit. Et hæc quidẽ excandescẽtiã indicant. Lętitia verò cor deligatũ relaxat, & omnia dicta symptomata delet. Vnũ modo animaduertere oportet, Hippocratẽ scilicet, nõ rectè lætitiam excandescentiæ postposuisse. Nã Lætitiæ Tristitia opponitur, Est enim Lætitia in tẽpore animus elatus pro patria, aut pro cognatis, Tristitia igitur erit, animi appetitũ in tempore non excitari. At excandescentia est Animus vltra terminos elatus, ac de negocio ad rem non faciente, hoc autẽ modo non opponitur Tristitia.

8 *Labor Articulis, & carnibus cibus, somnus visceribus.*

De alio sermone in præsentia disputat, ac statim Laboris mentio- E nẽ facit. Laboris autem nomen apud Hippocratem multa significat, laborẽ, dolorẽ, vt in illo aphorismo: *Duobus laboribus vnà fientibus:* & vt in eo, *in quo morbo somnus laborem præstat*. Et exercitationem, vt

quando dixit, *ex labore*, & difficiles morbos, quemadmodum cum di- A
xit, *Vbi labor peracutus est*, Hoc loco pro exercitatione accipitur, & inquit: Quoniam musculi ad motum ciendum facti sunt, ideò exercitatio ipsis cibus est, id est, alimentum & vtilitas est. quoniam motus roborat. Desidia tabefacit. Pulchra quidem hæc est, sed affectata interpretatio. neque enim ausus esset Hippocrates vtilitatẽ cibum appellare. Verùm neque hanc orationem ita explanare conuenit, quod videlicet cuique membro actio sua vtilis sit, siquidem musculis exercitatio prodest, quoniam tunc concoctione facta nutriuntur, somnus verò non semper iuuat. Quippe qui bilioso corpori, aut excrementis referto nullam præbet vtilitatem, sed quando cibus sum- B
ptus est. vt calore eius concoctioni vacante, viscera nutriantur. Quocirca sermonem hunc sic intelligere oportet. Laborem musculis, & carnib. esse vtilem, visceribus aũt somnum, vbi cibus datus fuerit.

9. *Animæ deambulatio, cogitatio hominibus.*

Omissis ad medendum pertinentibus, iterum ad animam se transfert Hippocrates, animam inquam, non, quam suprà diximus, hoc est, calorem naturalem, sed animam verè materia vacantem, atque immortalem. Dupliciter autem sermonem præsentem interpretari possumus: aut enim legimus, id est περίπατος Deambulatio, aut C
περὶ πάντος id est, super omnia, vel de omnibus, hoc modo intelligimus, quod cogitatio sit hominibus, vt rebus omnibus anteponant animam. nihil enim pluris, quàm hanc æstimare homo debet. Si legimus, Deambulatio, talis erat sensus Hippocratis, Quemadmodum corpus exercetur, sic & anima exerceri debet, pluribus autem modis exercetur anima: sed vna exercitationis species est Deambulatio. Multiplex exercitium est cogitatio. cogitatio inquam, non vt de quæstu acquirendo, aut de muliere cogitet, sed vt veritatis notitiam exquirat, & distinctionem veri à falso. Hæc enim sunt exercitamenta. Et maximè rationalis animæ cogitatio D
est. Inde factum est, vt Socratis & Platonis Domicilium φροντιστήριον id est cogitatorium diceretur. non quia simpliciter cogitarent, sed quia veritatem cogitando inuestigabant. neque temerè adiecit: *hominibus*, sed propterea quod nouit hominem per hoc iudicari, quod scilicet parte animæ iracunda obediat, rationali verò dominetur. Hæc sanè ad philosophos pertinentia dicta sunt. Verùm & ad nostram medendi facultatem sermonem hunc deflectere possumus. Nempe si tu ad ægrotum ingressus eum in soporem intempestiuè delabi, & obdormiscentem offenderis, scito ingens malum impendere. Materia nanque in cerebro redundans inexcitabilem so- E
mnum parturit, & apoplexiam futuram minatur. Quocirca tu debes eum ad cogitandum excitare, & ad iram prouocare, vt per eam

calor

A calor efferuefcens humorem extenuet, atque difcutiat. Atque ita ad medicos pariter, & ad philofophos fermo ifte referendus eft.

10. In vulneribus ſanguis concurrit. Subueniendum, vt vacuum impleatur.

Huiufmodi oratio curatrix eft, cum de vulnere loquatur. Vulnus autem appellat Hippocrates continuitatis folutionem. aut quam cō tufionem vocamus. Contufio verò eft, cum interius à vafculis fra ctit fanguis in cutim effufus eft, ipfa verò cutis integra & indiuifa remanfit. Verùm in continui folutione non folùm fanguis in venis affecti mēbri cōtentus, fed etiam ex omni corpore exhauritur. Nam B vafa inter fe communē adapertionem habere Anatome demonftrauit. atque hoc modo totum corpus inanitur. Aut non apertionis ratione, fed quoniam illò, tanquam ad partem imbecillam illapfa materia euacuata eft, atque ita inane corpus euafit. Quapropter vacuum replere debemus, ipfum corpus explentes, ac nutrientes, & patefacta vafcula occludentes. Et de foluta continuitate hactenus. De contufione verò hæc præcipienda funt, vbi facta eft contufio aftringentia & repellentia fuperdato ac omni corpori calida, quæ à loco læfo fanguinem abftrahere valeant, imponito.

C *11. Si doleat Auris lana digito circundata vnguen calidum infundito. Deinde lanā interius in volā inijciēs Auri ſubijcito, vt ipſi aliquid effluere videatur, poſtea in ignem proijcito dolo.*

Per hæc verba demonftrat Hippocrates fe nihil, quicquid occurrat, negligere. Nam de Aure vult fermonē facere, quæ vifu res exigua apparet, poteftate autē magna eft. quippe quæ membrum neruofum & exquifito fenfu præditum eft: cerebro vicinum, eiufque craffum recrementum euacuans. Aurem multa mala infeftant, maximè intēperies, actiuæ præcipuè. Quapropter in eam auxilia ex oleo anethi D no caftorioque, & cæteris calefacientibus, fi frigida intemperies erit, infundenda funt, fi calida, remedia ex Rofeo. Nonnunquam verò & adipem Anferinum & Taurinum liquantes inftillabimus. Igitur, inquit Hippocrates, fi dolere auris inceperit, ipfam inunctione perfundito, quæ non vi, fed tactu calida efto. Auris enim cum neruea fit ne refrigeratione lædatur, verendum eft. Inde Lanam manu capiēs, & Auri fubijciens, quod ex ea manabit, excipito, & ad carbones ardentes deferto: quo videlicet id, quod ab aure defluxit, in ignem cadat. Hæc fanè perfpicua funt. at reftat ne aliud declarandum: id fcil: *Fraudem facito.* Quæ verba nonnulli ridiculè admodum interpretan E tur. Dicunt enim, tum debes ægrotum fallere. præfertim fi ob Auaritiam eum medico præmiū foluere pigeat. Nam ipfi laboranti dicere debes, grauem ac periculofum affectum effe in aure, ac propterea

magnam curã,& diligentiam esse adhibendam.ne malũ redeat,& ce A
rebrũ inuadat. profectò interpretes isti deridendi sunt, vtpote nihil
Hippocratis grauitate dignũ enunciantes. Videmus enim quæstus
causa artem facientes scientiam suam in seruitutem redigere. Alij ve
rò probabilius ita declarant, plerunque aliquod exiguum vlcus ines
rit, ac nisi victu bonũ habitum reddente vtetur, periculum subire co
getur. Si verũ igitur laboranti dixeris,auris vlcus despiciens præter
id, quod esset conueniens,delinquet. Tunc vtiq; ipsum fallere debes
inquiens: Magno ac fero vlcere laboras, & nisi probã victus rationẽ
seruaueris,in vitæ periculum incides. Quapropter & in methodo cu
randi,quandoq; in laxi intestini morbo à pituita exorto recta curati B
one vti nequiuimus: quę per contraria erat adhibenda,per castoriũ
scil: aut rutaceum oleum:dolor enim magis irritabatur. ideo,quoni
am eius sæuitia vehementer vrgebat, mitigatione vti coacti fuimus,
hoc est, per opium sensum hebetantes,ac stupefacientes. atque hoc
pacto affectum decipientes. Idem in præsentia asserimus, eadem in
auris curatione facito. quod si præstare non possis,sed materia & do
lor premat,tũ stuporẽ inducito:& sic nõ ægrũ, sed dolorẽ decipito.

12. Lingua lotium significat. Lingua virides biliosæ. Biliosũ autem à pingui. Rubræ verè à sanguine: Nigræ à nigra bile: Aridæ à fuliginosa exustione: & ab vterino membro. Albidæ verò à pituita. C

Signa quædam nos docere vult Hippocrates,& aiunt quidã,quòd
vt quę sunt in corpore vrina significat, perinde & lingua.Nonne in
flagrantib.febrib.eam nigrescere cernimus? Verùm autẽ dixit Gale-
nus à multis humores ὀρὸν id est, serum appellari. & adiecta litera,
οὖρον id est vrinã. Igitur inquit Hippocrates, Linguæ colorẽ, qualis
nam sit humor in corpore,indicare posse. Nam si alba est,à pituita id
fit: si rubra, à sanguine: si atra,ab atro humore. aut à flaua bile per
combustionem in atram versa:si viridis,à bile. Consueuit autem Hip D
pocrates & pallidam,& flauam bilem appellare,inter ipsas tamen in
terest.plus enim humoris flauum habet,quàm pallidum.Et hi quidẽ
bilis colores sunt naturales; Vitellinus autem,ac æruginosus pręter
naturam Deinde veluti dubitanti,vnde omnino bilis ortũ habeat:
respondet,ex pinguib. Pinguia vocat aũt,quę sunt dulcia Hæc sunt
generalia de bile dicta. Restat dicendum,Linguam interdum pumi-
cis similem euadere,quod à fuligine proficiscitur. Quemadmodum
& in febre lingua exasperatur. Itaque ne mireris, si humorum
in ore ventriculi positorũ colores in lingua quoque perspicui sunt.
Quemadmodũ & in vtero redũdantes succos tibi lingua prodere po E
test. Quippe quæ corio tecta non est, & instar spongiæ fistulosa ac fa
cile ascendentes exhalationes suscipiens.

13. Vrina

A 13. *Vrina cibo & potui concolor: atque talis, vt consueuit, vbi humiditas, colliquatio.*

De colore nunc sermo habetur, qui obscurus est, ni huc afferantur, quæ de iudicatione traduntur. In eo enim tractatu, vrinã varijs coloribus tingi, & nonnunquam ab his, quæ ore sumuntur, infici dictum est. Siquidem nigrum vinum quandoque propinatur. quo neque in stomacho, neque in Iecore confecto, Renes attrahunt, & atrã vrinam excernunt. Interdũ verò non ratione potus, sed ob internos humores. propterea in febribus vrinam tanquam humorum purgamentum contemplamur. Et alba pituitę nota esse dicitur, flaua bilis.

B At nonnunquam vrinæ color à corporis eliquatione mutatur. Nam persæpe carnes cũ vrina mistæ eijciuntur. Quæ si pulticulę similis sit à renib. hoc vitiũ est. si foliosa, ab vrinaculis: si furfuracea, à vesica. Hęc igitur innuit Hippocrates. Et per Hyperbaton totũ hunc sermonem legere cõuenit: videlicet, vrina euacuatur, cõcolor aut eliquationi corporis aut humidę potioni, aut iis, qui intus sunt, quasi dicat humorib.

14. *Lingua extensionibus concolor. Quocirca ex istis succos cognoscimus. si salsæ carnes gustanti redundantiæ signum est.*

In medio illud interiectum est. quod reliquum erat, supra dictis

C adijciatur. Nempe quod Linguæ colores multa significant. Extensionem autem dicit, cum aliquid per vomitum, aut per tussim reiectum est. cumque per os extruderetur, omnino aliquid Linguæ adhæsit, eamque colore expulsæ materiæ similem effecit, id scilicet, quod in Lingua remansit. Et hæc quidem de Linguæ coloribus hactenus. Pręterea & gustabiles qualitates explorat. quippe cum gustatorium instrumentum lingua sit. Et quali humore totum corpus, tali & ipsa lingua redundat. Sed tum magis qualitas humoris apparet, cum ipse in mandendo agitari cœperit. Atque hinc efficitur, vt morbo regio

D laborantes, mel ipsum quoque amarum esse opinentur. Atq; idcirco hoc loco dicit: si quis carnes comedat, & salsas ipsas sensu percipiat, salsus humor in corpore abundat. Dixit Hppocrates, *Redundantiæ*, vt humorem dominantem significaret.

15. *Si Mammarum papillæ, et rubrum viride sit, ægrotat conceptaculum*

Sermo iste, quoniam vterum appellat conceptaculum, suspicionẽ præbere videtur. Dicit autem, Quemadmodum lingua per suum colorẽ corporis humores nobis ostendit, sic & Mãmarũ papillæ vteri affectus manifestant. quoniã hæc membra maxima inter se cognatione iunguntur. Quã ob rem Mãmæ rubicundæ sanguinis: flauę, bi-

E lis abundantiam significant. vtque rem in pauca conferam, vt se habet vterus, ita & Mammæ, sed non, vt Mammæ, sic & vterus. Verũ id contingit, cum aliquo sibi proprio malo ipsæ affectæ sunt.

16 Hominibus purgamentum aurium dulce quidem mortiferum, amarum autem minimè. A

Et hæc oratio quiddam ſpuriũ ſapit. Neque enim prorſus vera eſt, ſed hoc pacto ipſam explanare oportet, videlicet quòd omnibus lethalibus notis vnà conſpicuis ipſa quoque aurium ſordes, ſimul cũ illis atteſtari aliquid poteſt: eſt enim craſſum cerebri excrementum. Quod ſi ante coctionem expulſum fuerit prauum ſignum eſt. Declarat enim cerebrum ſummopere frigefactum concoquere nequiuiſſe, id ſi dulce eſt à calore tale efficitur. Igitur ſi dulcis ſordes in aures eiecta ſit, cerebrum ad contrarium ſuæ naturæ affectum abiiſſe demõſtrat. quod vtique periculoſum eſt. At quidam hic controuerſiam mouent, ſi dulcis ſordes perniciem præfefert, cur non & amara? quæ profectò à calore potentiore gignitur? Reſpondent iſti, amaram ſordem, quia ſecundum naturam talis eſt, ideo non eſſe lethalem. Quatenus ergo ſecundum naturam ſe habet, mortifera non eſt, cùm in ſtatu naturali ſit. At cerebri amarum & calidum excrementum quo modo naturæ congruenter ſe habere poteſt? Ita & hanc obiectionẽ refellunt dicentes, hanc materiam ab intimis partibus non amaram extrudi, ſed dum per ſolidum & anguſtum auris membrum penetrat, eo loci inculcatam calefieri, putreſcere, & amariorem euadere. B C

17 Solum vertere in quo, educatus eſt, in longis morbis conuenit.

Perobſcura oratio eſt, niſi hoc pacto declaretur. Si quando longinquus morbus inuaſerit, vt pote Comitialis, aut Quartana, & venã ſecare ars præcipiat, & vena ſecta nihil profuit, reliquum eſt, vt medicus ſecum loquens dicat, multis remedijs vtendum eſt, hæc enim aſſiduitate proficient, quemadmodum (vt dici ſolet) gutta cauat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo. Verùm in libro Aphoriſmorum dixit Hippocrates, omnia cum ratione facientem remedia mutare nõ decet, vtque ſimpliciter dicam, remedia non mutabimus, ſed circuitibus vtemur: circuitus autem vocant medici actiones, quæ ſæpe in orbem fiunt, ac repetuntur, à Græcis periodi nominatæ vt ſectio venæ, purgationes, localia quæ dicuntur auxilia. quæ iterum, atque iterum adhibentur. atque ideo circuitus, circuliue appellantur. cùm itaque ijs hoc pacto vſi fuimus, nihilque ſubſidij perceptum eſt. Tũ maiorem eſſe morbum, quàm remedia, & aerem inſpiratum affectũ roborare putandum eſt. Et tum quidem è regione in regionem abeundum eſt, & conſtitutio, & aer ſimul permutandus. Hoc eſt ergo, quod hic dicitur, quod ſcilicet, debes terram mutare, in qua educatus es, non in qua te mater peperit, Neque enim abſurdum eſt, ſi D E

quis

A quis Byzantij natus, & Alexandriæ nutritus huius aerem cauere,& aliò ſe recipere debeat, Alij verò ad altiorem ſenſum hunc ſermonē referunt: videlicet, ſi prædictis omnibus adhibitis morbus pulſus nō fuerit, ne amplius curationem tentes. ſed verendum erit, ne Deorū ira morbus iſtum inuaſerit, ac ſi ipſum ſanare conatus fueris, ne magis diuinum numen ad iram prouoces. Sed ipſum languentem ad delubra, & alia loca ſacra deducito, in quibus deos facilius placare, & eorum pacem impetrare poteris.

18 Imbecilliora cibaria breuem vitam habent.

B Multi hoc loco ſcribunt, σῖτα idest, cibaria. Dicunt enim eſſe cibos aliquos validos, aliquos imbecillos. Validos vocant. qui bene nutriunt, quales ſunt Gallorum teſtes: imbecillos parum nutrientes qualia ſunt olera, & legumina. Et inquit, cibos noſtrum corpus bene nutrientes plus temporis in corpore vitam habere, quoniam diutius in eo morantur: imbecillos autem, vt pote non nutrientes citò extrudi, & parum tēporis in nobis viuere Rectè autē dixit Galenus, hanc eſſe ineptam, & malè affectatam narrationem, cum dicimus viuere, aut non viuere cibos: ſed ſcribere oportuiſſet, corpora. quippe cum inualida corpora breuem, robuſta diuturnam vitam degāt, C quoniam vires validæ noxijs cauſis reſiſtunt. Et hæc vtique, quantū ad artem ſpectat, vera ſunt: Verùm ſupremam eſſe potentiam non ignoramus quæ ſæpius hæc artis medicæ documenta fruſtratur, Tempore namque peſtilentiæ Giganteæ molis corpora intereunt, infirma verò incolumia ſummi opificis numine ſeruantur.

19 Cùm adſunt œdmata, venæ in auribus poſteriores incidendæ ſunt.

Tota iſta locutio falſa eſt. Nam œdma eſt vitium quoddam circum Ilia, aut inflammatio, aut fluxionis affectus. Dicit igitur, in ta- D li morbi ſi ponè aures venas ſecueris, opem feres. Sed quænam cognatio, quæſo, eſt ilium cum auribus? præſertim cum eius loci vaſcula gracilia ſint, & capillorum ſimilia? & nihil effatu dignū profundere valentia?

20 Venus à pituita morbis remedio eſt.

In hac ſectione Hippocrates à naturalibus præceptis exorſus & vſq; ad indicatoria progreſſus eſt, præſens igitur ſermo indicatiuus, aut potius curatiuus eſt. Siquidē luxuriȩ, quȩ venus appellatur, mētionē facit, qua natura interdū vtitur, & ſi hoc Epicuro diſpliceat, nos E tamen ea vtimur: quāuis ille ipſam repudiet, ſed nos admittentes, veritatē amplectimur. At ille, vt pote naturalis philoſophus, animam corporis ſordibus inquinari nolebat: Nos verò, vt medici, quoniā interdū corpori per venerea ſanitatem conciliauimus, ipſis vti nō re-

cusamus. Porrò qualitatē, quā in corpora nostra venereus coitus inducit, explorare debemus: Omnes planè ipsum exiccare vno ore fatentur. quippe quòd semen tunc effunditur, cuius effusio siccitatem gignit. De altera verò oppositione: quidā ipsū calefacere, quidā refrigerare dixerunt. Dicentes autē ipsū calefacere has rationes adducunt: quia tū fit diffusio, & tumor in facie, & sæpe vasculorū apertio: & hæc omnia calefactionē sequuntur. Qui refrigerare ipsū asseuerant, aiunt, vnà cū semine vitalē spiritū euacuari: inde refrigeratio exoritur. At Galenus sapiēter vtrūq; fieri dixit, calefacere quidē venerem secundum qualitatem, refrigerare autē substantiam. Itaque dicit Hippocrates, si multa pituita redundat in corpore, curatio ea per venerē facienda est. Nā calefactio illa fundere, & expellere pituitā valet, phlegma vero, nō inflammationē, sed humidū frigidūq; succū appellat, ab hoc ergò morbos venereus actus sedare potest. Verū id Hippocrates nō significat, in morbis à pituita exortis venere esse vtendū. neq; enim in ipsa perturbatione, atq; discrimine concubitum esse adhibendū præcipit. Sed quoniā plerumq; benè valere corpus videtur, & pituita interius, veluti in thesauro collecta est, ac morbū excitandi periculum impendet, tum temporis futura mala prudenter effugiens, rem venereā imperauit. Sic enim maximè profutura est.

21 *Eos qui calido ventriculo sunt, validi potus & cibi perturbant.*

Perspicua est hæc oratio: Nam de calido stomacho mentionem facit. atq;, vt dici solet, calidum vocat. Nā & ipsa qualitas, & corpus incalescens dicitur calidum, & hoc secundum qualitatem, aut secundum substantiam Nunc verò de parte secundum qualitatem calefacta sermonem facit. Nam ventrem cibi conceptaculum calidiorem supponit. Nempe huic ventri valida cibaria inimica sunt. valida autem, graue olentia vocat. Sed quæ grauem habent odorem, eadem & calida sunt. Igitur si calido ventri calida præbueris alimenta, ignem igni adiunges. atq; inde labefactantur, & concidunt vires. Idcirco huiusmodi cibos virium perturbatores nuncupauit. Nam si calidi cibi vim naturalem demolientes non coquuntur, reliquum est, vt corrupti ventrem perturbent, & alui fluorem moueant.

22 *Atræ bilis simile Hæmorrhoides effundunt.*

Perobscurus est hic sermo. Id verò indicat, quòd Nigra bilis nonnunquā abundat. Nigrā verò bilē appellat, melancholicū succū: hūc si extrudere nequiueris, Hęmorrhoidas prouoces. Siquidē per has crassior, & magis melancholicus sāguis euacuari solet. Itaq; locutio ista defectiua, est, cū imminētes ab atra bile morbos proponere debeat. Quocirca, si corpus ad simile, id est, ad naturalē, & tēperatā valetudinē restituere volueris, ipsi Hęmorrhoidas aperire studeas, vtq; pau-

A cis absoluã, hoc dicit Hippocrates, corpora à Nigra bile ęgrotantia ad simile reuocans per Hæmorrhoidas sanato.

23 *Increscentes morbos Mistio refrigerat. Refrigeratio, quæ in ventre inferiore sunt, durat.*

Increscẽtes morbos nominat Hippocrates comitialẽ, in pueris crescentibus genitũ. Qui si in vigenti ætate ortus fuerit, tolli nõ potest si in puerili, profligabitur. Accedit enim integra ætas, & eius calor: qui frigidã pituitã dissoluit. Ad hæc virili ætate iã absoluta: & auctr, ce facultate exoleta, redundans pituita incipit excerni: & propter mistionẽ frigidus ille humor extenuari, atq; dissolui potest: atq; ita refrigeratur. Refrigerari autẽ dicit Hippocrates, idest, interire, atq; aboleri. Etenim cũ naturæ nostrę calorẽ, & frigus, sed magis frigus insidiari nosset Hippocrates, (siquidẽ natura nostra bene calida est) propterea rei cuiusq; interitũ refrigerationem appellat. Hoc loco igitur ita locutus est, videlicet, Mistio pituitã refrigerat, nõ quòd ipsã frigidã reddat sic enim morbũ comitialẽ vehemẽtiorẽ faceret: Sed quoniã humorẽ dissoluit, ac dissipat. Quod restat deinceps obscurũ est, cũ dicit, *Refrigeratio, quæ in ventre sunt, durat.* id est reliquias duriores reddit. cùm superficiem frigus denset. Vnde dictum est ventres hyeme calidiores. Quippe calor interius conclusus sordium cibi succũ exhaurit, easq; magis duras efficit, aut alia est ratio: quoniã videlicet frigus in penitiores partes ingressum per respirationem & anum, intestina, sed magis recti lacertum ferit, qui vi frigoris densior euadens purgamentis euacuationis iter occludit. Ea intus retenta durescunt. aut etiam vt dici solet. Boreas aluum durat, vt pote qui frigore membra coarctans humorem exprimit. Ex quo magis alui recrementa præ siccitate durescunt.

24 *Veratrum epotum si celerius purgare vis, lauare, & cibũ sumere oportet.*

D Perspicuus est sermo, pręceptum generale ad corpora purganda esse oportet. Facilitatem autem defluxus paramus, continentem locũ dilatantes, & rem contentam extenuantes, verùm si hoc in omni purgatorio, multo magis in veratro tanto malefico medicamine faciendũ est. At quomodo facilis fiet purgatio? partim per externa, partim per intra corpus assũpta. Horũ exemplũ sunt escę, illorũ balnea. Hanc obseruationẽ docens Hip. inquit *veratrum epotos.* Altera quoq; interpretatio inuenitur: quòd si quando veratrũ dare circiter meridiẽ cõtingat, sed ante occasũ circiter horã secundã aut tertiã, Balneo ipsũ vti iubebo: quemadmodũ & in his, quibus vena secanda est, fieri consueuit. frequenter enim & ante sanguinis missionẽ eos lotione perfundimus, quo materia liquata fundatur, & vascula ipsa dilatentur. perinde & in veratro exhibendo facere debemus. Nam

decem, aut quindecim diebus antè eius propinationem, oxymel, ac A
cibos attenuare valentes præbeamus. eo autem die, quo purgatorium daturi sumus, eius corpus lauabimus, vt humorem modo diffundamus, si eum repente crassiorem factum esse verebimur. Deinde si eo assumpto, & iam commoto euacuatoq; humore, ne veratrũ ad substantiam ventriculi se conuertat, suspicemur, aut ab oris ventriculi exquisitũ sensum ne conuulsionis ratione animi defectus impendeat, cibum dabimus prauitati medicaminis repugnare valentẽ. Sed neque verè & propriè cibum damus: sed nomine tantùm, facultate verò medicinam: qualis est lactuca, aut ordei succus, neq; hunc admodum copiosum, verentes, ne fortè medicamenti vim adeo labe B
factemus, vt euacuatio nihil profutura sit. Quocirca recentiores sola mulsa vsi sunt. Vtramque interpretationem Hippocratis verba suscipiunt: cum dixit, epotum, pòst assumptũ veratrum, dandum esse cibum. cum dixit, Lauare, & cibum sumere, ante assumptionẽ muniendum esse corpus significat. Et per hunc sermonem qualitas, non multitudo indicatur. neque enim vberius alimentũ præbuisset.

25. *Sanguis per quietem magis intrò se recipit.*

Hæc sententia suprà dicta est. Vigilantium scilicet extima esse calidiora, intima frigidiora. Quiescentium contrà. siquidem in somno C
introrsum vergit sanguis: ideo vestibus, vt puta refrigerata superficie, tegentibus egemus. Neque est dubitandum, quare suprà calorẽ insitum, hic verò sanguinem dixit. Nam qui vnum memorat alterius quoque mentionem facit.

26. *Rigor à superiore ventre, Ignis autem ab inferiore magis.*

Hoc in primis scire oportet, hanc sententiam plerunque esse veram vt ista dictio, *Magis* testatur. Dicit Hippocrates Rigorem à supero ventre, Febrem ab infero initium sumere. per superum ventrem intelligit stomachum; per inferum intestina. non, vt quidam asserũt D
superiorem ventrem esse Thoracem, inferiorem esse ventriculum: aut superiorem quidem cerebrum, inferiorem verò Thoracem. sed intellexit stomachum, & intestina. à stomacho enim incipit rigor. neque de hoc est dubitandum. Suprà dixit, Rigorem à lumbis incipere, nunc autem Rigorem à stomacho incipere asserit. Nam superius anteriora posterioribus subiecit, hoc loco autem posteriora anterioribus & inquit, Nobis liquet, à stomacho, & intestinis rigorẽ ortum sumere, sed magis à stomacho: quoniam si ab intestinis rigor fiat, à frigore ipsum gigni clarum est, & hoc frigus à frigido membro vnà sentiri. Sed stomachus, vtpote neruosior, frigidior quoque E
est. Iccirco & rigorem sentit, cum perfecto sensu eum natura præcipuè donauerit. At intestina purgamentorum sunt receptacula: vnde

 putredo

A putredo & calor fieri solet. Itaque si ciborum corruptio in proximo ventre, aut humorum in vicino membro facta sit, statim illa simul sentiunt. Atque inde propterea, vt plurimum febris accenditur.

27. *Attractio, Pulmo, Aridus æstus: Euacuatum sicca somnus multus.*

Attractionis hoc loco meminit. Attractionem vocat respirationẽ, at ex ea maximè inspirationẽ, quoniam per eam aer attrahitur. Dicit ergo Hippocrates, si cui repentè crebrior accidat respiratio, in partibus pectoris omnino calor delitescit: & exiccat. Volens autem pectoris partes indicare, pulmonem nominat, neque temerè. Nam si B Pulmo natura humidus siccitate affectus est: quid de alijs siccioribus particulis sperare debemus? *exhaustum extenuat somnus multus* Exhaustum vocat corpus admodum siccatum & inanitum. quod somnus vuidum reddere consueuit. Atqui non somnus, sed per somnum facta concoctio. & sanguine vescens quodque membrum irrigatur. Humectat autem nonnunquam, si post cibum administretur. quo videlicet calor alimenti confectioni incumbat. Quòd si in corpore inani, & exiccato somnum imperabimus, tum calor non inuento succo ad ipsam bonam humiditatem consumendam vertitur, & exiccat. Atque ita somnus exiccare per accidens, præsertim si mul C tus est, inuenitur. Nam si exterius corpus siccesl sit, nihilominus rosidum quendam vaporem intus retinet: quem longus somnus absumit: multus verò bonam humidam substantiam depascitur.

28. *Frigidissimus cibus Lentes, Milium, cucurbita.*

Nulla interpretatione verba hæc indigent, id solum dicere opus est Hippocratem fortè hic fuisse negligentem, qui frigidissimum esse alimentũ Lẽtẽ dixerit. Nã satis erat ipsam dixisse frigidã. Quippe quę naturaliter contrarias habet qualitates, quemadmodũ & alia multa, secundũ diuersas partes diuersis tẽperaturis affectus. Quale est malũ D medicũ, quod in extima parte calidi est temperamẽti: atq; ideo pars illa calidior est, frigidus verò est eius acidus succus: Sic & Miliũ exiccat durum, humectat tenerum. Sic & Lens calefacit, & refrigerat, propterea supprimit aluum vt frigida: subducit, vt calida, sed in cortice calorẽ, in substantia frigus habet.

29. *Vlcera egerminant, si quis non purgato corpore laboret.*

Aliam quandam sententiã nũc exponit Hippocrates. ac, ne vnquã excrementosum corpus exerceamus, nobis imperat. ne fortè ab illo motu extrorsum euocata materia solidam, & impenetrabilem cutem inueniat: atque ibi inhærens corrodensque eam exulcerat: E atque ita Hippocrates ab effectu efficiens declarauit. Neque enim vlcera, sed materia vlcerum effectrix erumpit. Et ipse vtique mitissimum vitium enunciauit. At tu longè maiora etiam adiungas, quod

videlicet non modo vlcera iſta exercitatio facit, verùm etiam ſtrangulatus & Anginas. A

30. Mulier capra elaterio, aut cucumere ſyluatico veſcentes pueris purgatio.

Quemadmodum à phyſicis ſermonibus in hoc ſecto exorſus eſt, ſic & in phyſicos deſinere vult Hippocrates. Et ipſum ita loqui putes Hactenus virorum & mulierum curam geſsimus, de pueris minimè qui neque laudare quicquam, neque condemnare ſciunt. At ipſos negligere inhumanum eſt. Quare & ipſorum curam geramus. Igitur acceſsimus aliquando ad puerum, qui lactens erat, & magna obſtructione tenebatur, eam per purgationem tollere cupiebamus. Sed B eius ætas nos impediebat. Verùm curatio non erat ambigua. Nam mihi dubitationem Hippocrates ſuſtulit. Etenim matri purgatorium mihi notum exhibui. id fuit elaterium. Elaterium autem eſt ſuccus, aut lachryma cucumeris anguini. perſæpe autem mulier lactans aut propter aliquem affectum, aut quia non conſueuit, purgatorium ſumere nequit. Tunc ego capram adduco: eamque purgatorijs herbis, vt Pergami fieri ſolet, nutrio. Illic enim Aloem, ſcammoniamque depaſcentes capræ, lac vim purgandi habens generant. ergo purgatorias herbas capræ exhibeto. Qualis eſt agreſtis cucumis, & huius lac ſorbens infans purgabitur. Itaq; cũ res ita ſe habet, C phyſicus hic ſermo eſt, quoniã alimentũ nõ ſolũ eſt ex his, quæ patiũtur ſed etiam ex his, quæ agunt, & nos alterant. Ecce enim herbæ lac mutauerunt: quemadmodum diuerſum ſolum fructuum vires permutat. vt in Perſide regione arbor perſea mortifera eſt, hic verò vbi ex hac humo prodiit, ad nutriendum idonea eſt.

31. Calidiori quod comeſum eſt. refrigeratio intus, exterius labor. Sole, igne, veſte, æſtiuo tempore: contrario antem contraria.

Calidam naturam nunc curare vult. Ipſam autem curat intra extraque refrigerans. Intra per cibos, extra verò non, vt quidam dicũt per ſolem, veſtem, ignem, & exercitium, vt indicet, quod per accidens fieri ſolet, videlicet, quomodo calor diffletur. Sed Galeno hęc interpretatio non placet. cum dicat, in calida natura Hippocrates exercitia non admiſit, ſed quieſcendum eſſe præcepit: verùm ait interius quidẽ refrigerato, exterius verò æſtiuo ſole, aut veſte, aut labore. quippe quę ventriculo calido laborẽ afferunt. frigidũ autẽ interius calefacito, exterius autẽ exercitatione, ęſtiuo ſole, ac veſtib. ſanato. D

32. Cibaria quadã ſanè celeriter vincuntur, quadã verò tardè.

Clarus eſt hic ſermo, neque propterea ipſum ſcripſit Hippocrates E vt te doceret, cibos aliquos ſerò, aliquos citò ſuperari, (id enim omnibus in confeſſo erat) ſed vt ne, quæ in ſanis breui tempore conficiebantur

A ciebantur, eadem & in ægris sic confici putares. Verùm pro cuiusque natura facultate tolerante, pro temporis, in quo datur occasione, vnumquodque aut lentè aut celeriter superatur & coquitur.

Quintæ sectionis finis.

SECTIO SEXTA.

1. Carnes attractrices ex ventre, & extrinsecus, significat B *sensus, Quoniam expirabile, & inspirabile.*

Secti sexti enarrationem aggredientes iterum admonemus, Hippocratē ante omnia celebrasse, corpora nostra à natura administrari. Quippe quę ipsa corpora fabricauit, neq; lapicidá imitata fabricauit & deseruit. Sed nos sibi domiciliũ cōdidit, quos inhabitans ipsorũ curá gerit. curá, inquá, per naturales facultates gerit. Quas Erasistratus negauit: posuit Galenus: concessit Hippocrates. Hoc enim loco eui dēter attractricē cæteris naturalibus viribus præpositam extollit dicens, *carnes attractiuæ* sunt, id est, attractoriam vim habent, non quē- C admodum Erasistratus dicebat, quod videlicet per venas, tanquam per tubos in omne corpus sanguis distribuitur: atque ita venis vt inanimis in quoddam veluti folium sanguinem effundentibus membrum alitur. Hoc autem non vult Hippocrates, sed attrahendi potentiam in carnibus esse asseuerat. Carnes autem vocat, non Lacertorum duntaxat substantiam, sed omnem teneram in corpore materiam à cartilaginibus & ossibus distinctam. omnis ergo caro trahit, & ex vicina cauitate trahit. *trahunt membra.* cumq; hoc assiduè fiat: appetitio in stomacho præuenit. At nouit Hippocra D tes administrationem naturalem, & necessariò factam. Etenim naturalis administratio ab exterioribus intrò vult alimentum attrahere: vt cum sumitur in stomacho cibus, ibique in succum versus in iecur effunditur, & eo loco in sanguinem mutatur. Natura igitur ab interioribus ad exteriora mittit alimentum. Sæpe verò aliquo casu cibi penuria contrarium euenit, Et iecur alimoniam sibi debitam è cute detrahit. Itaq; aut hoc dicit: quod ab intestinis attrahere naturæ ascribit, ab extimis, casui & necessitati, aut vtrumq; & ab intimis, & ab extimis ipsi naturę. Diximus quomodo carnes ab internis foras extrahunt. Verùm & spiritus ab externis intrò fertur, vt in respirando E contingit. Nam in respiratione spiritus introducitur. Dicit autem Galenus: non modò spiritum, sed etiam humorem interdum ab externis ad interna traduci. Nonnunquam enim quispiam lon-

gum iter emensus adeò exaruit, vt ingenti siti crucietur, quam A
celeriter in balneum descendẽs mitigauit, & extinxit. ex quo liquet
cutim primò, inde & vicinas carnes maduisse, quo effecto per con-
tinuam successionem humectatio ad appetitorios meatus peruenit,
& ariditatem sedauit. Dicit autem Hippocrates, adeò perspicuè ali-
qua extrinsecùs ad interna ferri, vt neq; ratione id affirmare opporte
at. cum inspirabile, et expirabile animal sit: qualẽ esse respirationẽ
dicimus. Et per inspirationem attractricem vim extulit: per expira-
tionem verò expultricem, porrò extremarum facultatum attrahen-
tis, videlicet, & expellentis meminit Hippocrates, quo tu medias B
quoque, idest, contentricem, & alteratricem simul intelligas.

2 *Calidior venula sanguinis multitudine exustum procreat, il
licoque secernit. Et quibus quidem pingue, bilis flaua: quibus
verò sanguis, Atra.*

Quidam sermonem hunc à proximè scripto disiunxerunt, & in-
quiunt, in eo naturalia præcepta, in hoc indicatiua tradidisse Hippo
cratem: & ardentem febrem duplicem supponere, quemadmodum
ipse in posteriore de victu acutorum libro declarauit. At Galenus e-
um cum superiore coniungit, & inquit, Hippocratem, cum in spira- C
tione vim expultricem inesse dixerit, quomodo prorsus fiat expira-
tio, demonstrare velle. Verùm prius nomina explicare debemus.
Nempe hæc vox *calidius* duo significat, aut sanguine refertum, secũ-
dum quod significatum corde Iecur calidius dicimus, & quod pau-
cum quidem sanguinem, sed purum habet, & hoc modo cor Iecore
calidius affirmamus. in quo significatu nũc accipitur. Venas autẽ ap
pellat Hip. geminũ conceptaculorũ genus, & quod ex corde & quod
è Iecore proficiscitur. Hoc loco de Arterijs loquitur, quare, inquit
Galenus, non exquisitè Hippocrates loquutus est, multum sangui-
nem in arterijs esse dicens. Explorat igitur Hippocrates, vnde oria-
tur efflatio, Dicitque in corde & arterijs sanguinem, spiritumque cõ- D
tineri. Neq; enim Erasistato, sanguinem arterias continere negan-
ti, credendum est. Itaque cum multus in eis sanguis sit, & biliosa ibi-
dem recrementa generentur, à quibus excitatur, eaque extrudit ex-
pulsoria facultas. *euacuat autem illico.* neque hoc frustra adiecit Hip-
pocrates. Quippe qui nouit expellendi potentiam aut quantitate,
aut qualitate stimulari, sed quantitatem, vt pote in humoribus po-
sitam segnius, qualitatem, quod tenuis sit, celerius excludi. Ergo in
arteria cum qualitas magis abundet, ideo confestim superuacuum
discutitur, atque hoc modo fit efflatio. Quare, vt oratio clarius elu- E
cescat, ita ipsam legere oportet, *calidior venula biliosum producit multitu-
dine sanguinis. Et quibus quidem inest pingue, flauam bilem, quibus verò san-
guis*

A *guis Atram.* & hoc interponitur. Nam cùm dixisset, ob biliosa purgamenta expirationem fieri, scire postulat animus, vnde bilis oriatur, asserit, ex sanguine. Sed eius pinguis pars bilem, crassa melancholicum succum generat.

3 *Mentis, Memoriæ odoratus, & aliorum etiam Famis instrumentorum exercitatio, labores, lauacra, cibus, Potus somnus, venerea omnia moderata.*

Quoniam diuersitatem habet hæc oratio, inprimis hoc dicere oportet quod in ea deficit A præpositio, sic enim legendum, & intel-
B ligendum est: *à mente, à memoria, ab odoratu.* Nonnulli explanatores eam in tres partiti sũt, vnam sic facientes à mẽte, à memoria, ab odoratu, à fame, & ab alijs: alteram, Instrumentorum exercitatio, idest, instrumentorum cura per vsitatam exercitationem habeatur: tertiã, reliqua omnia verba. Alij in duas distinxerunt, in primam sic dicentes, Mente, Memoria, odoratu, & alijs instrumentis, & Fame, &c. secundam, omnia quæ sequuntur, incipientem ab ea voce, *Exercitatio*: quam veluti præscriptionem esse voluerunt, & reliqua ei subintulerunt. Alij verò totum hunc sermonem pro vno accipiunt. At Galenus de sectionibus curiosus non est, sed verborum sententiã
C scrutatur, & inquit: *Quæ hoc loco dicuntur & physica & indicatiua esse possunt*, physica quomodo? vt cum vis esse medicus physicus, considerato eam particulam, *A mente*, vt scias eam inter sensus & famem mediam esse positam: & quo temperamento delectatur: & quod per eam ab animantibus rationis expertibus segregamur. Hæc enim cõmodum ab incommodo, & bonum à malo distinguit, vbi quæ ad mẽtem attinent, cognouisti, memoriam accedito, ipsamque sicciori temperatura gaudere percipito, & post mentem seu rationem esse locatam, quæ illi bene se habere visa sunt tamquam in thesauro cu-
D stodientem. Ad animales actiones demum peruenias, ex quibus sensus proficiscuntur. Sed multi, ac inter se differentes sensus sunt, & horum quidam ignobiles, quidam nobiliores: omnium verò medius & positu, & dignitate odoratus est. De sensibus quoque sciendum est, visui quidem ignem attribui. inde fit, vt colores apprehendat: Auditui aer, inde sonos agnoscit: Gustatui aqua, propterea sapores percipit: Tactui terra conceditur idcirco tactilium, & molliũ & durorum Iudex est. At quoniam quintum non datur elementum, quod olfactui ministrare debeat, quoddam aliud natura machinata est. Nempe Quemadmodum odoratus inter auditum & Gustatum medius collocatur, medius autem inter aerem & aquam
E est vapor, hac de causa odoratus vapores internoscit. Hæc vtique in facultatibus animalibus inuestigato inde ad naturales te transferto. Sed ex naturalibus fames pręcedit, ideo eius Hippocrates meminit,

atque illud animaduertito, famem esse quiddam ex inopia totius cor- A poris, & consensu appetituque stomachi compositum. Ac ne in singulis breuiloquus Hippocrates immoretur, dixit, *& alijs*. quo tu & naturales, & vitales potentias, & quicquid à natura factũ est, diligenter explores. Postremo & reliqua naturalia scrutare, videlicet, instrumentorum exercitationes: vt membra quæque vsitatis muneribus exerceas, vt puta Lacertos motione, ventriculum cibi in chylum, quem vocant, mutatione, iecur sanguinis creatione. Neque adeo sis demens, vt ventriculum sanguinem generare cupias. Hæc autem cuncta naturalia contempleris, nõ vt ea solum tibi cognita sint, sed vt eorum cognitorum valetudinem tueare. tueberis autem per moderatos labores, & venerem, & cætera enumerata. Atque ita quidem B hic sermo physicè interpretandus est. Quod si eum, vt indicatiuum accipias, hoc modo interpretabere, Ad ægrotum accedens, si eum probè sanare velis, Dignotio antecedat necesse est, omnis verò dignotio à casibus oritur: at casus quisque aut animalis est, aut vitalis, aut Naturalis. itaque casus à mente proficiscentes sic considerato, si prius iste taciturnus cum esset & modestus, nunc aliena & portentosa loquitur, & in quemcunque excandescit, magnum malum indicat: siquidem insania paratur, contra si in sanitate audax erat, & C garrulus, nunc silet, nunc ægrè ad iram incenditur, ingens malum portenditur. Nam capitis soporifera labes, aut veternus impendet. Etiã à memoria signa perpende, nũ præter cõueniens aliqua recordētur, aut nihil prorsus memoria teneant: hoc enim aliquam intus latentem prauum affectum omnino sequitur: exquirito & à sensibus dignoscendi causa symptomata. Quorum omnium ob antedictam causam exemplum est odoratus, vt puta si, bene olentia cum adsint, fœtorem sentiant, aut si fœdè olentibus oblatis tanquam suauem odorem spirantia percipiant, vbi animalia cognouisti, naturalia quoque ne spernito: Sed inter naturalia Fames antecedat. Explora D igitur, num appetant nec ne: num appetant acida, an nidorosa simpliciter, an omnia. Instrumentorum quoque officia considerato, id est, an instrumenta quæque munera sua perfectè obeant. Restat vltimus sermo magni æstimandus, vult enim in corpore sanitatem conseruare: atque ita salutarium rerum species, & ordinem, & modum exponit. Species quidem docet, Labores, balnea, cibos. potus: ordinem, quia non temerè, neque structuræ elegantiam respiciens, sed rerum veritatem considerans, ea sic disposuit. Nam si valetudinem tueri volumus, labore vti debemus: laborem autem nunc exercitationem appellat: ipsa verò vtimur, vt innatum calo- E rem suscitemus, & superuacuis exclusis facultates roboremus. Itaque exercitationibus vsi, & dicta bona consecuti sumus: Sed vnà

etiam

A etiam quædam detrimenta adiuncta sunt. fortassis enim ob lassitudinem articuli exaruerunt, exasperatum est corpus, & inæqualis cutis euasit. Hæc omnia balneum tollit. Vsi sumus exercitio, & lauacro. ac multa commoda adepti sumus: Verùm & corpus in balneo dissolutum est, quocirca & cibis dissipatum instaurantibus vescendum est. Sed & cibos sumpsimus. Num verò alimentum in stomacho, tanquam plumbum inhærere volumus? at quo pacto conficietur? Nam quemadmodum farina humori non permista subigi non potest, ita & alimentum sine potione confici nequit. Humiditas enim alimenti vehiculum est, potionem igitur præbui-
B mus. verùm an hæc, quo ventriculum impleremus concessimus, an vt concocta per omne corpus diducerentur? ergo concoctione opus est. at cibaria non ipsamet sese concoquunt, Sed ab alteratrice potentia pro instrumento caloris abundantiam habente concoquuntur: abundantia verò caloris in somno est. quam ob rem post cibum succedit somnus, à quo facta est concoctio. At superuacanea contracta sunt, quocirca ad eorum expulsionem venere vtemur. Animaduerte igitur inter salubria documenta, & venerem numerari: & Hippocratis artem speculare, qui venerea neque cibis præmisit, neque statim à cibis posuit: non ante cibos, ne
C bile incenso, & feruenti corpori hanc concussionem, & ebullitionē adiungeret: neque statim ab epulis, ne crudum alimentum è stomacho detractum multas calamitates inferat. Quemadmodum in arte amatoria Erasistratus continuò à cœna vsus concubitu morbo attonito correptus est. Sed post concoctionem venerem imperauit, per quam redundantia euacuari deberent. Hæc de specie, ac de ordine satis. de modo hæc verba subiecit, *Omnia moderata*. Atque ita salubria decreta percepimus. Et hinc apparent ea, ex quibus Hippocratem laudemus, Galenum verò damnemus. Ecce
D enim Hippocrates verbis paucissimis omnia salubria nobis exposuit. Quorsum igitur Galenus tot versus de tutanda sanitate conscripsit? Nam quemadmodum Hippocrates sex quasdam res edocuit, videlicet, labores, Lotiones, cibos, potiones, somnos, venerem: Sic Galenus sex volumina de conseruanda valetudine composuit. Verùm nos ita Galeni patrocinium sumamus, dicentes Hippocratem semina iecisse, Galenum verò excoluisse. Etenim satis non est ab Hippocrate audiuisse, *omnia sint moderata*. Nam aliud alij est moderatum: Deinde solius exercitationis mentionem fecit Hippocrates. Sed partitionem Galenus adiecit. Siquidem exercitiorum aliqua totum corpus, aliqua eius partem exercent. Præterea quam diu exercendum, quo in loco, & quan-
E do descripsit. Variauit quoque balneorum diuisionem, num scilicet ex sulphureis aquis, an ex dulcibus, an ex bituminosis administran

da sint: atque ita inuenimus ex qualibus. & vbi prima pars balnei, vbi secunda, vbi tertia, vbi quarta. Item quo pacto fiat, prout sunt ea, quæ in ipso permiscentur. pariter & de cibis dicendum est. ipsorum enim quædam facilè, quædam difficulter concoquuntur. quædam celeriter, quædam lentè superantur. Itidem, & de potionibus disseramus. Nam modò lac, modò vinum, modò aqua bibitur. Somnus quoque variat, modò in frigido loco, modò in calido, modò diu, modò breui dormiendum est. De venereis eadem ratio habenda est, quoties videlicet, & quando ijs vtendum. Nam pituitosæ temperaturæ, non biliosæ conducunt. Luxuria namque morbis à pituita nascentibus prodest. Quapropter veluti semina sparsit Hippocrates, Galenus autem vberius excoluit, & latius explanauit.

4. *Frigidior in frigido tempore ac regione calidior erit.*

Si rectè memoria tenetis, varijs modis admonens nos Hippocrates nos curandi methodum docet. Itaque cum suprà calidam intemperiem per refrigerantia communiter curauisset, deinde hoc loco contrariæ intemperiei frigidæ, scilicet curationem vult tradere. Dicitque hanc per frigida remoueri. Quidam Explanatores hic Hippocratem non intelligentes dicunt, si calida intemperies per frigida tollitur, quomodo frigida à frigidis quoque deleri poterit? At hi iure sunt deridendi: nam duas esse curationis species ignorant, alteram, quæ primò & per se fit, vt cum contraria contrarijs tolluntur. alteram secundariò, & per accidens, cum similia per similia destruuntur. quemadmodum in stupore dentium portulacam adhibemus. in conuulsione, quam Tetanum Græci vocant, frigidam aquam inspergimus. De quo loquutus est Hippocrates quinto libro Aphorismorum 21. Accidit in Tetano, sine vlcere, in iuuene bene carnoso, æstate media, vt frigidæ multæ aquæ conspersio caloris represſionem faciat. calor autem hæc omnia profligat. Verùm animaduersione opus est, non cuilibet frigidæ intemperiei, frigida esse adhibenda remedia, ne fortè interius penetrantia naturalē calorem extinguant. Sed cum aliquem frigori obsistere valentem noueris, sicut Hippocrates de iuuene corpulento dixit, nec non & tu ægrum contemplare, num sit lacertosus, num validas vires habeat. Et tum frigida applices. Quòd autem resistentia opus sit, vt partes intimæ pinguescant, ex auibus rapacibus constat. quoniam in his superficies à penitioribus non longè distat, propterea æstiuo tempore feræ sunt, neque facilè capiuntur: Hyeme verò quoniam frigus ad intima peruadit, & eas emaciat, ideoque cum emacruerint, facilè ad manus nostras perueniunt. Et hæc fuit Hippocratis sententia. *percalidus erit,* hunc locum declarans Galenus dixit, præpositionem

A onem *per* non rectè appositam esse voci percalidus. neque enim vsque eò calefaciendum est, vt ad contrariam permutemus qualitatem, & denuò refrigerare cogamur, atque iterum calefacere: & sic telam Penelopes texere videamur.

5. *In doloribus proximum ventrem purgare oportet, & sanguinis ventrem rescindere. Vstio, sectio, calefactio, refrigeratio, sternutatio, & stirpiũ humores in quibus vim habent, & cyceõ. Maleficorum lac, allium, vinum feruefactum, Acetum, Sal.*

Post tam longã speculationem in alterum pelagus ingredior qua
B re magna est opus animi alacritate. præsentis autem sermonis propositum est, differentes doloris species sanare. ipsius autem sententiam assequi non poterimus, nisi prius quid sit dolor, vnde gignatur, & quot ipsius doloris sint speciatim differentiæ cognouerimus. à primo igitur ordiamur. Dolor est tristis sensualis cognitio. & in eo prorsus hæc vna esse oportet, & quod natura sentire aptum est, & acerba sensio. quòd si res ita se habet, iam inuenimus, in quo sit dolor, videlicet non in sensus expertibus, sed in membris sentientibus. Verùm à quo fiat exploremus. Atqui perfectè explorabi-
C mus, si multas doloris causas inuenerimus. atque sic eas sub vnum quodpiam genus redigamus. Gladius igitur vulnere dolorem facit, lapis contusione, vipera mordens erosione, ignis distractione, frigus concretione, & alia infinita, quæ extrinsecùs obuia fiunt. Intrinsecùs quoque humor multus, aut mordax, aut spiritus distrahentes, aut frigus, aut calor dolorem inferunt. At fortè singula numero comprehendi non possunt. Sed multorum genus ad vnam redigẽs naturam persequar. Itaque sic agendum est, omnis dolor aut ab intestinis, aut ab externis exoritur. Aut sic, Dolor quisque aut à subitanea vehementique mutatione, aut ab per qualitatem facta al-
D teratione proficiscitur. quòd si velis & hæc in vnum adducam. omnis enim dolor per solutionem continuitatis efficitur. Solutionẽ autem continuitatis appello non modò communem morbum, sed etiam similaris, & instrumentariæ partis. omnia nanque bonæ membri temperaturæ continuitatem dissoluunt. Atque sermo iste admodum conueniens & probabilis est. Quippe si doloris causas nouimus, & auxiliorum notitiam tenemus. Nam si ex repentina vehementique mutatione dolor excitatur, talis autem mutatio non nisi à calore, & frigore efficacibus qualitatibus fieri non potest. Siccitas enim, & humiditas. vtpote materiales, temporis
E spatium ad agendum requirunt. itaque doloris differentiæ à calore, & frigore proueniunt. Verùm posteaquam hæc à nobis præmissa fuere, nunc ad sententiam sermonis enucleandam accedamus.

De dolorib. quæcunque hactenus à nobis dicta sunt, cum ratione & A speculando dicta sunt: sed hoc loco Hippocrates doloru͂ sanationẽ tradit. Sed iam plures esse dolores iuxta effectrices causas edocti sumus. propterea in numero plurium enunciauit. & quod dixit, locum habet tituli, & inscriptionis, *Dolorum*, hoc est, *de doloribus*. propterea, cum dolorem sanare volueris, illius Hippocraticæ regulæ memor esto, te prius oportere communem cuiusque corporis curam habere, etsi humoris qualitate vexatur, purgato: si copia, venam secato, quin etiam Hippocrates locum, per quem purgare debes, tibi ostendit. dicit enim, *per proximum ventrem,* omnem cauitatem ventrem appellans, proximumque te iubet inanire. Quemadmodum in libro de victu acutorum, lateris morbo laboranti ob mem B bri affinitatem, axillarem venam dissecuit: Licet autem sermonem hunc & latius intelligere, vt videlicet per palatum & nares cerebru͂ emundes, pectus autem, cum tussi per guttur euacues: atque ita toti studium adhibitum est. Mox restat occasio subsidiorum, quæ topica à Grecis vocantur, à latinis localia nominare liceat, dicendorum. Verùm & hic Hippocratis præceptum obseruetur, dicens magna repente mutatione vtendum non esse, sed naturam paulatim assuefacere à leuibus auxilijs efficacia tolerare. Vsus est igitur debilioribus, & nihil profuit, quod remanet agendum, Hippocrates ad potentiora se confert, aut calida aut frigida. prout rem postulare conijcimus. admouebimus & inustoriu͂. quòd si non profecerit, neque manus operam negligemus. Nam fortasse natura, quæ humorem discutere non potuit, alteram viam ingressa in pus eum permutauit, ac sectione illud extrahente opus erit. Hæc omnia facta sunt: Fomentum quoque interdum adhibemus. Quemadmodum & in libro Aphorismorum per sectionem venæ Meri potionem, purgationem, Balneu͂, fomentum, oculorum inflammationem curauit. quocirca & fomentum admouebimus. Si totum corpus calefactionis indigebit, in balneum ducatur. Si membrum ægrotum, fomento vtendum. Fomentum verò per spongias, per testacea, & per ænea instrumenta fieri solet. propterea & Hippocrates communiori fomenti nomine vsus fuit. Hæc vtiq; omnia, vt in frigida & violenta causa per calorem tollenda dicta sunt. At si calor adsit, refrigerandum est. opportuno quoque tempore sternutationes moueto. id autem erit, cum spiritus & humor in cerebro redundabit, vbi difficilis oculi inflammatio non aderit, nec aliqua in pectore mala affectio. neque fœtus in vtero: ne fortè ex concussione multa grauia detrimenta consequantur. His omnibus administratis si nihil ex sententia cessit nobis & partẽ nobis, & partem artis de plantis agentem adire necesse est. & ipsius plantæ E succum accipere, vt exempli gratia, cyrenaicum, aut ipsum opium, si non succo, liquore fortasse vtendum erit. Iccirco Hippocrates com

A muniori nomine, id eſt, humore vſus eſt. inquiens humores plantarum. Plantas autem in veteri conſuetudine eſt voca re & herbas, & frutices, & arbores. poſtea Hippocrates mirabilem ſermonem ad iecit, per quem hæc omnia ſcrutatur, vbi nam ſuam vim hab eant, & multa propter hoc indicauit, quod videlicet multifariam curatio variatur, Nam ſi propter ipſum affectum hoc modo, ſi ſit vitium inteſtini laxi, quoniam à pituita exoritur, & à bile: ſi à bile, frigida aqua curatur: ſi à pituita, Anethi oleo, propter loci differentiam ſic, quoniam phlegmone & in oculo fit, & in ventre, diuerſa quoque ratione tolluntur. ab externis etiam fit permutatio, ſiquidem iuxta ætatẽ, B iuxta temperiem, iuxta tempus anni, iuxta regionem medendi ratio mutanda eſt. præter dicta remedia vtimur & Cyceone. Eſt autem cyceon ex vino & ordei farina miſtura. His enim in præſentia egemus. Nã Galenus, cũ cæteri medici in capitis dolore vino interdicerent, eo vtens dolorem ſuſtulit, cum eum à frigore proficiſci nouiſſet. Itaq; ſi capiti dolenti, ſtomacho multa pituita referto, vinum profuit, ſi fortè acciderit. vt multa in ventriculo pituita collecta vino vti velimus, ſed capiti ad dolorem patiendum expoſito metuamus, tunc ars aliquid machinari debet. Et vinum exhibet ratione pituitæ, ſed poſtea ipſum bene dilutum, vt aqua ſua craſſitudine, & frigore ob- C tundat calorem vini, neque ipſum facilè per corpus dilabi permittat. Quod igitur in eo aqua præſtabat, id in hoc ordeacea farina præſtabit, ac ſua craſsitudine vinum inferius detinebit. Denique Hippocrates admirabilem ſermonem facit, per quem & malefica ſcrutatur. Quippe multæ doloris cauſæ numeratæ ſunt, & nondum finis factus eſt. Siquidem & mortifera venena nos dolore afficiunt. & ex his aliqua foris, aliqua intus & quędã calefaciũt, quædã frigefaciũt. Aſpidis venenũ extra calefacit. Scorpij venenũ extra refrigerat, vt qui ab, eo icti ſũt, glacie pulſari ſe exiſtimẽt, cicuta intꝰ refrigerat, ſcãmonia intus calefacit. proprietates quoq; inueſtigato, Lepꝰ marinus pulmonẽ D vlcerat, cantharis aũt veſicã. Verũ & hæc per contraria curamus. Quẽadmodũ Galenus aliquãdo fecit. Lac quoq; aduerſꝰ lętifera venena ponitur, maximè caſeali parte refertũ. Seroſo tamẽ, cũ melle vtimur. Nõnunquã & Allio in frigido affectu vtimur, & vino ferueſacto. ferueſactum ſignificat vel quod neque æſtate frigidum damus vinum, ſed prius calefactum cum aqua dilutum. aut quoniam ipſum, vt ſapum ac defrutum coquimus. aut quoniam ipſi aliqua miſcentes incoquimus, vt myrtum, aut cyperum, quæ ipſum calefacere poſſunt. At quia nonnunquam mucoſum humorem colligi animaduertimus, vt ex fungorum eſu, qui Amanitæ appellantur, tena- E citer autem iſti ventriculo inhærent. iſtis efficacia remedia præbenda ſunt, Acetum, ſal, Nitrum, quæ humorem abſtergere valeant.

6 *Homo ex laßitudinibus ab itinere, imbecillitas, grauitas,*

expuit, tußiebat enim ex vertice. Febris acuta, manum sub- mordens. Secundo die caput graue, lingua exusta fuit. Nares vnguibus resciſſæ, sanguis nō manauit, sinister Lienis magnus dolore infestabatur. A

In hoc secto Hippocrates & naturalem, & doloris medicatorium sermonem fecit hoc loco morbum, & eius causam antegressam proponit: finem non refert, euaserit ne an interierit ægrotus. Quinetiā vrinæ ac pulsus mentionem prætermisit, quo ex dictis signis aliquid de futuro euentu coniectari posset. Dicit autem, *homo ægrotauit*, singulare nomen ægrotantis ignorans communi, ac generali vsus est, inquiens homo. erat autem aut vir, aut mulier. Iste igitur febricitauit & febris multæ causæ fuerunt. Et hæ non erant præcedentes in corpore aut vlcerosa lassitudo, aut extendens, aut ossa fatigans, sed ab externo progressu causa orta erat. Nam de via fessus in febrem prauā incidit. cū lassitudo febrē diariā tantū accēdat, ac dicimus, quod in isto continuę lassitudines factę sunt. inquit enim Hippocrates, *ex lassitudinibus.* Sed fortasse accensa diaria humores, & solidæ partes ad calorem febrilem suscipiendum habiles inuenti sūt, atque inde morbus grauis coortus est. Aut fortasse in eo ab assumpto cibo, ante concoctionem lassitudo facta est, & multa congregata pituita febris acerba ipsum inuasit. Aut etiam fortè corpus excrementis abundabat. Et eo vitio intus delitescente sponte in morbum lapsurus erat, sed lassitudo superueniens morbum excitauit, & patefecit, & simul causa fuit antecedens, quam externa prægrediens euidentem fecit atque ita febris genita est. Denique imbecillitate affectus est. Nam si vires præ lassitudine dissoluuntur, à morbo quoque deijciuntur. Accessit & grauitas, Nonnulli sic interpretantur, quoniā ante cibi coctionem labor & lassitudo fuerunt, vnde copiosa pituita aceruata est, inde corpus onere oppressum est. At reuera quia vires concussæ sunt, ideo & propriam membrorum molem ceu quoddam graue pondus existimant. Expuebat cum tussi: quòd autem excreabatur, sine dubio vel ex pectore exibat, vel ex capite patiente, & in asperā Arteriā demittente, quod postea cum tussi reiectabatur. Noluit autem Hippocrates expuendi causam esse lassitudinem, sed locū fortasse lassitudine affectum. Si is enim erat calidior effusionem facere potuit. Siquidem potius è capite, quod reijciebatur, defluebat, cum dicat Hippocrates, ex vertice, à parte totum denominans. neq; enim, vt nonnulli aiunt verticem dicit, id est, morbi principium. Deinde febris non qualiscunque secuta est. Erat enim acuta, & mordax, & perniciosa. In libro autem de Febrium differentia tractatum est quomodo febris substantiales differentiæ à qualitate, à materia, & modo

(Margin letters: B beside "singulare nomen…", C beside "bus grauis coortus est", D beside "uata est…", E beside "inde febris non…")

A modo motionis capiantur. Duarum autem meminit Hippocrates, acutam eam esse dicens à qualitate, mordacem à subiecta materia. Atqui erat prauæ naturæ febris, cum & statim à secunda die capiti grauitatem inuexit, aut quoniá excrementosa aceruata in corpore materia, & à febrili calore diffusa vapores sublime petiuerunt : aut quoniam tussis distendebat, & quatiebat partes capitis, doloremq; inferebat. *Inde & Lingua perusta atro colore infecta est, & Nares vnguibus laceratæ cruorē non effuderunt aut paucus & stillatim emanauit.* quod morbi vitiosam naturam significabat. Denique Lienis induruit, fortasse quia per sanguinis effusionem tenuiora euacuato crassior in Lienē B decubuit, ac phlegmonem excitauit. neque enim scirrhum, neque œdema, cum dolor infestaret. Vnum modo quærendum est, cur dixit, *sinister Lienis*: num etiam dexter est? Respōdere possumus, id est, inter sinistras partes. Sed vera responsio est, quod Lienis secundum sui partes sinistras passus est. quoniam costę à tussi diuulsę ipsū dolore torquebant.

7 Quartana laborantes magno morbò non capiuntur. Si prius autē capiantur, & Quartana superueniat, liberantur.

C Hoc loco de morbo, & eius symptomate disserere vult Hippocrates & de magno morbo mentionē facit. Magnus autem morbus est, non, vt quidam falsò putauerunt, morbus quisque difficulter, & lōgo spatio sanabilis, sed sola epilepsia græcè vocata. Latinè morbus comitialis. Ita verò magnus morbus dicitur, quia re ipsa magnus & acerbus est, aut quia magnum locum, id est cerebrum occupauit. Nominatur quoque puerilis, & sacer, & Herculeus morbus, & epilepsia, ab humore in cerebri cauitatibus iacente proficiscitur. quod in cerebri substantia nō sit positus, morbi subita dissolutio manifestat. Sic igitur & humor si pituitos⁹ sit, & in finibus maneat, epilepsiá D á pituita generat, si in cerebri corpus intrauerit, Apoplexiam. perinde si sit melancholicus succus, epilepsiam melancholicá creabit, si in substátiá cerebri penetrauerit, Apoplexiá. Si Quartana exorta fuerit, epilepsia ab humore melancholico nō fiet, neq; enim corpus nostrū ab eo humore iá cócusso & extenuato corripitur, perinde ac si omnibus vitijs esset obnoxiū. Sed quemadmodū supra dictum fuit, vt Hęmorrhoidas patientes omni prauo humore per eas eiecto meláncholicis morbis non vexantur, sic & hîc in ægrotante epilepsia non gignitur. At si Quartana superuenerit, ipsa desinet. quippe quod febrilis calor materiá extenuat. Præterea & Quartana satis longū interE missionis spatiū habet, in quo facultas diffusum à febre succū excoquere, atq; discutere potest. Hanc ob causá Hippocrates solius quartanę, & nō alius febris meminisse voluit. primo quia nulla alia febris

tam longam quietem, & intermissionem habet vt seipsas vires instaurare valeant, Item tertianam præterijt, quia breuis est, sed plus temporis epilepsiæ discutiendæ opus erat. Neq; Quotidianæ mentionē fecit. Nam hæc, vt in libro de febrium differentia scriptum est, ferè in numero continuarum est, nimirum muccosa, tenaciterq; membris inhærens. Nisi si eam dicere intermittentem volumus, cuius inuasio cum rigore fiat. Fit autem rigor, vbi materia extra venas truditur. Itaque in rigore epilepsiæ materia extra ferri didicit. A

8 Pro quibus qui morbi.

Huiusmodi breuis sermo ad proximè dictum symptoma pertinet. Quippe cum dictum sit. *Epilepsiæ si Quartana superuenerit, bonum esse*, propterea, inquit Hippocrates, tu ô medice, si morbum morbo successisse videris, id melius ne, an deterius sit, considerato. B

9 Bilis, velut de auibus dixi, quia sunt Biliosa.

Hanc partem Galenus prorsus Hippocratis esse negauit. Quid autem de auibus dicam, cur sint biliosæ? Nonnulli vtique eas esse biliosas affirmant, quod inde constat, cum earum corpora leuia sint, & sublime petant.

10 Calor acrimoniæ indicium, venationes, & transitus. C

Hæc oratio vera est. quippe calor & acrimoniam ciet, & eius nota est, porrò ipsa acrimonia in corpore aut est in parte naturales ductus habente, & tunc in transitu materiæ sensum excitat, & hoc significat hæc vox transitus, aut in membri secessu abdita, & intus latē retenta premit, erodit, & vexationem præbet.

11 Mente vacillantibus dolores costarum desinunt. nonnullos & febris occupat, nonnullos minimè, sed cum sudoribus: quibusdam cum perturbatione. Nōnullis arida, circū tenta, & salsuginosa cutis. D

Perspicua est hæc oratio. Quendā enim morbus lateralis inuasit, vt nobis eius propria signa declarant, & doloris acerba vexatio Medicus repente ingressus morbi leuationem, dolorisque ablationē & præsentes domesticos lætos offendit, neq; tamē idcircò ipsi ægro temerè gratulari oportet, sed interrogandū est, nū abscessus, nū iudicatio quępiā facta sit, si nihil esse reperit, sed oculos perturbatos intuetur, ac signa delirij adesse cognoscit, magnum malum instare nunciet, siquidem lateralis affectus solutus est, sed in deteriorē labem conuersus quandoquidē materia in cerebrum impetum fecit. Multi verò aliqua parte corporis dolentes, frequenter autem lateris morbo laborantes per mentis alienationem haud sanantur, sed per sudores liberantur, aut nonnunquam per tussim, aut per multa sympto E

mata

A mata eorum vitia exturbantur. Interdum & eorum materia ad cutim abscessit, quæ propterea & squalida & circumtenta fuit. quod si forte ex humore salso pleuritis orta erat, ille ad cutim delatus eam salsi lagine inficiet.

12 *Torpores, quales ex auribus & quales ei, cui coxendix.*

Proximus est hic sermo. sermoni aurē curanti, in quo de vera curatione incertus est, & lenitione per torporem inducētia vsus fuit, quēadmodum in dolorem auris patiente, & coxendicis vitio laborante.

13 *Ex auribus, per aures plerunque tertio die intereunt.*

B Quoniam Auris inter ignobilia membra esse putatur, propterea dicit Hippocrates, multos ex Auribus, & per Aures interire. cum dicit, *ex Auribus*, primariam, & per se affectionem: cum dicit, *per aures*, condolentiam, & consensum affectionis significat. Frequenter enim sæuus affectus in aure genitus est, qui continuas partes occupans in cerebrum peruadit, atque ita hominem perdit frequenter verò & in cerebro copiosa materia colligitur, quam eius expulsoria facultas ad aures deturbans mortem infert.

14 *Quibus cutes circumtenduntur aridæ & duræ citra sudorem. Quibus verò laxæ & flaccidæ, cum sudore intereunt.*

C Præsens particula à multis sic explanatur: si in morbo cutim vehementer siccam duram & circumtentā corpori, offenderis ne sudores expectes. cutis enim durities non admittit: sin autem laxam, sudores esse luxuros esse conueniens est. Sed considera, quomodo has differentias nouit Hippocrates. diuersa enim sunt durum, & aridum, & circumtentum, & hoc sua contraria testantur. Siquidem duro molle opponitur, circumtento laxum, Arido vuidum. neque enim est iniusta natura, vt vni multa contraria obiecerit.

D *In inconstantibus mutationes iuuant: in his mutare ad conuenientia ante quàm vitientur, opus est, velut Chærioni irritantia, ex qualibus exasperatæ voces.*

Si est morbus græcè palimbolos nominatus, ipsū cognoscere nequimus, nisi prius, quid consuetudo loquendi palimbolon hominē vocet, cognouerimus. palimbolos igitur apud Grçcos est homo subdolus, alia loquens, alia cogitans, & opinione facilè mutabilis. Talis est & morbus. Palimbolos enim dicitur, qui leuamentum præsefert, sed interius malignitatem occultat. Itaq; in id genus morbis mutare debes, & omnia, inquit, secundū rationē, quoniā in

E eodē statu non permanet, sed modo quietē agit, modo sęuior cōcitatur. An fortasse dixit, nō esse ad contraria transeundū, vt à calido ad frigidū, opem ferendi causa, sed tantùm secundū gradū mutationē es

ſe faciendam, vtpote à calido ad calidius? Verùm maius negocium A nunc oſtendit Hippocrates, quod ſcilicet inſidioſus iſte morbus, quem palimbolon vocat, ad paucos dies interquieſcit, adeo quod tu integram ſanationem factam eſſe opinatus vberiore victu vti cœpiſti. Igitur ſi ad priſtinam feritatem morbus rediit, ne adhuc in errore permaneas, ſed etiam te ad parciorem victus rationem transferas. Quemadmodum in quodam homine Chærione appellato fecit Hippocrates, cui accidit vocis aſperitas κέρχνος græcè vocato, id eſt, ſonus quidam in aſpera Arteria. Atque vt nauſea vomitum, ita ſonus iſte tuſsim anteire ſolet. Fit verò propter pulmonis meatuum atque branchiarum intercluſionem. Nam ſpiritus in exitu obſtruēti pituitæ, reluctans hunc ſonitum edit. illi huiuſmodi affectus cum euenifſet, deinde paucos dies intermiſiſſet, pleniore victu vſus eſt, B eo mox reuerſo, ad parciorem tranſijt.

16. Quibus quidem ſanum relinquitur, infrà remanente cauſa, aut purgans, aut deuinciens, aut eijciens, aut abſcindens, aut exurens curato, quibus verò non, minimè.

Admirabilis eſt hic ſermo, & manuum miniſterio vtentibus medicis conueniens. Nam perſæpe aliquis affectus præter naturam in C corpore excreuit. Et ars deliberat manus opera vti, nequaquam verò immodicè amputare, ſed ad ſanum vſque locum duntaxat peruenire At ſi inter ſecandum ex doloris acerbitate vires conciderint, neque omnia vitioſa, & præter naturam Medicus abſcindere potuerit, tunc intermiſſo opere poſtea reliquias expurgato, aut vinculo intercipito, aut vſtorio cremato, aut iterum abſcindito.

17. Quibus ſanguis multus, & frequenter è naribus defluit. quib. quidem ſunt pallores meri, iis pauca auxiliantur. Quib. autem valde rubra corpora, haud ſimiliter. Et quorum capita D ad tolerandum fortia, iis prodeſt, quorum autem non, minimè.

Huius ſententia ſermonis perſpicua eſt. Nonnunquam fit ſanguinis eruptio copioſa, & crebra, & adeo copioſa fit, vt facies pallidior euadat. Verùm hic pallor in natura pallidioribus facilè apparet, in rubicundioribus non pariter. Quocirca ſi totum corpus exhauſtum eſt, carnibus ſanguinem multiplicantibus & pane nutriendum erit: verùm cibi ipſi ſeipſos non concoquunt, ſed à vi alteratrice concoquuntur, iccircò & concoctu leuia & diſtributu facilia nutrimenta præbeamus. Huiuſmodi erit & vinum, niſi capitis fu- E turum dolorem ſuſpicemur, quia tunc ipſum magis aquatum propinabimus.

A *18. Quib. Nares humidiores natura,& Genitura humidior, hi meliore ſunt valitudine,ægrotant autem,qui cōtra ſe habēt..*

Non hoc vult dicere Hippocrates,quod quibus nares ſunt humidiores, & quibus eſt humidior genitura, hi ſint natura humidi. nam quæ huiuſce rei poteſt eſſe cauſa..ſed quod naribus & genitura humidiores rectè valent. quippe nares ſuperius collectas ſordes, genitura inferiora excrementa repurgat. Quę ſi remanerent intra corpus iſti profectò ægrotarent. Atque rectè Hippocrates adiecit, Natura, propterea quod in deſtillatione madent Nares,in feminis profluuio
B quem Græci Gonorrhœam nominant, Genitura humida eſt, neque tamen hi ſanè ſunt, quod non ſponte natura excrementa repellit.

19. Globoſa ſputa mentem vacillare ſignificant, ſicut in Plinthio.. Huic ſanguis è leua nare effuſus eſt.. & quinto die liberatus fuit..

In hac ſexta parte Hippocrates ſermonem habuit,partim de morbis partim de cauſis: hoc autem loco de ſymptomatis diſſerit. Verū tu in libro de Præſagijs quærito de ſputi multitudine copioſum ne an paucum ſit:de ſubſtantia,craſſum ne,an tenue: de odore,fœteat ne
C an bene oleat : de colore, Atrum ne, an album ſit:. Item de figura, an extentum , an rotundum, de quo in præſentia loquitur .. Itaq; reiectum fuit ſputum Globoſum, ac rotundum, Ars autem medica cognoſcit.huius cauſā eſſe humorē glutinoſū, qui in arteria Aſpera inhæreſcens, ibique plures horas incluſus ſecundum illius formam figuratur. Eſt enim & ipſa orbicularis, & rotunda. Sed non ita ſputum afficeretur, niſi calor ipſum torrens adeſſet. Verùm ſi caput facilè patiatur, & exquiſiti ſenſus fuerit, exhalationes ſuſcipiens, iſte delirio quoque afficietur.Igitur omnino ad globoſum ſputum calor requiritur: omnino etiam delirium ſequitur, vbi caput eſt imbecil-
D lum. Id porrò noſcens Hippocrates, quendam ſingularem affectum narrat in loco plinthio vocato. Ita enim laborantis nomen ignorans à loco ipſum declarauit, Huic tale ſputum, caputque infirmum habenti mentis alienatio oborta eſt.Sanguinis quoque ab ſiniſtra nare eruptio facta eſt. Sanguis autem non, quia phrenitis adeſſet.erupit: neque enim Hippocrates phrenitidis nomine delirium appellat,ſed aut mētis exceſſū,aut furorē phrenitida appellare ſolet.ſed quòd alia eſſet deſipiētiæ ſpecies,probatio à die ſumitur,quintꝰ enim dies iudicatorius eſt. At natura in phrenitide iudicatoriū diem expectare nequit.. Dicit quoque Hippocrates,affectū ſolutum fuiſſe,cōſtat ergo
E ſanguinem non ſtillatim,ſed copioſum & cū impetu erupiſſe. Diſcuſſa quidem fuit deſipientia , & rotundum ſputum relictum fuit: aut: & ſputum, & deſipientia, & morbus vnà ſublati ſunt:.

20. *Vrina multum subsidens crassamentum habens à delira mentis liberat. Qualis erat Dexippi, postquam glabruit.* A

Inquit Hippocrates, sanguinis eruptionem non, quatenus sanguinis eruptionem magni feci, sed quatenus humorem delirium inferentem euacuauit. Quam ob rem & euacuationem per sudores, & per aluũ, & per vrinas admitto. Nonnunq̃ enim copiose, & cũ multo subsidenti crassamento vrina expulsa fuit, desipientiáq; sedauit. maximè verò cũ hæc vrina ab humore symptoma illud gignẽte defluebat. neq; enim absurdũ esset, si ob quápiá aliá rationẽ vberius vrina effusa esset, nihilominꝰ tamẽ adhuc homo deliraret. Verùm si à proprio humore descendẽs exierit, deliramentũ tollere potest, sicuti Dexippi B lotio euenit. Iterũ singularẽ ægrotũ memorat, quo declaret vrinę larga effusione aliquam desipientiæ speciem dissolui. Huic deliratio cõtigit, & per vrinæ emissionem deleta est. post μάδιζιν id est, caluitium, quod est præter naturam. Huius ergo vitij humorem natura partim per pilorum defluuium, partim per vrinæ effusionem euacuauit.

21. *Non vltra annum Quartana durat.*

Nunc de re alia sermonem facit. Alio loco traditum est, Tertianam esse breuem, & periculo vacantem, Quottidianam esse longam, & periculosam, Quartanam autem longam iuxta, & sine periculo. Asserit C ergo Hippocrates vltra annum non produci, sed vno anno contentá esse Quartanam. neque propterea ex his, quæ hoc sæculo eueniũt. sermonem hunc mentiri censeas, quòd & ad plures annos proferri Quartana videtur. Verùm & tempora, & corporum differentiam causeris. propterea quod temporibus illis superuacuis vacantia, & pura corpora aut crasso humore non inquinabantur, aut certè perbreui tempore. At nostro sæculo corpora nostra sordium plenissima & longinquos morbos procreare possunt. Aliter quoque interpretari possumus, quòd videlicet non de omni Quartana loquatur. Duplex enim est Quartana, altera ex atra bile vehemẽter combusta, quę D quidem & acris est, præsertim vbi computruit: altera ex fæce sanguinis putrescente, quæ & mitior est. Nunquam enim sanguis, vtpote naturæ amicus adeo putredine corrumpitur, vt atræ bili similis euadat. Fortasse igitur Quartanam ex atra bile genitam narrat, hęc enim sæpenumerò, cum acrimoniam habeat, breuioris est temporis. præcipuè si æstiuo tempore exorta sit. Siquidem æstiuæ Quartanæ plerunq; breues fiũt. Autũnales aũt diuturnę, & ex his illæ maximè quę ad hyemem vsq; perueniunt. Tertia quoq; causa reddi potest, quod Quartaná fortè illam breuem esse dicit, quæ recta methodo curata sit, in qua missus sanguis in tempore fuerit, & corpus purgatũ, & victus ratio bene instituta. Ista nanq; fortè neq; integrum annum expectauit. E

22. *Auriũ æstate ruptura quinto die, quibusdã & serius fiunt*

Alius,

A Alius est hic sermo, qui duobus modis scriptus inuenitur, aut enim legitur, *Aurium*, qui auribus accidentes morbos significat: aut legitur *cui æstatis vitia*. Vtrunque verò sic interpretabimur, Nam si legatur, *cui æstatis vitia*, Dicere vult Hippocrates, se hominem quendam vidisse, cui æstatis morbi euenerant, vt puta Tertianæ, Causi, Ter petes. Et hi breui soluti sunt, quinto scilicet, aut septimo, aut nono die. Breues enim sunt biliosi morbi. qui sanè effracto vase tollun tur, aut enim per sanguinis è narib. profluuium, aut per sanguifluarum venarum apertionē. At si legatur, *Aurium æstate*. Docet, cuidam æstiuo tempore abscessum secundum Aurē factum esse, qui cū dissolui non posset, suppurauit, ac per effractionem quinto aut septimo

B die consumptus est.

23. Quæ in gingiuis, & Lingua expuent aut suppurabunt septimo die. maximè verò quæ circa nares et gingiuas, suppuratiões.

Cum suprà de abscessu locutus esset, & nunc de eodem sermonem facit. aut si legatur, *expuent*. per sputū enim fit emissio, vult asserere, cū ad gingiuas, & Linguā tenuior fluxio descendit, ea per sputa euacuatur. Si quando crassa est materia, & diutius maneat, inculcatur, & suppurat. sed vbi id fiet? præcipuè in naribus, & gingiuis. propterea

C quod narium ac gingiuarum corpora densa, & concreta sūt, neq; materiā dilabi ac dissipari sinunt. atque ideo in pus necessariò vertetur.

24. Quibus in dentiū dolore à supercilio tenuia descendunt, iis à pipere congruenter applicitó crassiora postero die veniunt & si alia non superauerint. Nam Hegesippo somniferū impositū non discussit, sed maiorem, & sæuiorem dolorem concitauit.

Admiratione dignus est hic sermo: sed non patebit, nisi quædā præsumātur. Interdū circa dentes dolor exoritur, qui græcè Odontalgia vocatur. fit autem à defluxu erodentis materiæ, cuius substantia vene

D nosa dentes perforat: atque inde vehemens dolor excitatur. Dentes enim & gustandi, & tangendi sensu præditi sunt: Itaque dolorem hunc medicus extirpare cupiens, explorat, nū aliunde in dentes influat, an in eo ipso loco tantū ortū habeat. Sin eū aliunde proficisci repererit, iterū vestigabit, ex toto ne corpore, an à superis partib. an ab inferis: à superis eū originē ducere percepit, sed cum superiores partes multę sint, exempli causa superciliū accepit. Quocirca si dolor aliunde immittitur, nisi mittetē partē coerceas, nunquā ipsū extirpabis. Hoc aūt facit adstringens & refrigerans. quod reliquū est, ad affecti loci curationē se confert, & medicamine ex trib. piperib. vtitur, & sequentib.

E diebus quod crassum erat, euacuat. Nam auxiliorū pleraq; ad agendū tēpore indigent. Omnib. igitur istis vsus fuit, & profecit, sed eorum vis nō satis fuit. Quare ipsū dolorē adhuc sistere, ac stuporē inducere per frigerantia opus est. Hęc enim sine dolore imponimus. propterea cuidā

refrigeratorium adhibuit quod tamen nihil profuit. Et quoniam refrigerantia somnus comitatur refrigeratorium somniferum appellauit. Sed idcirco nihil iuuit, frigidum remedium, quia medicus aberrauit, lacessiuit enim circum dentem scarificans, atque inde vehementer auctum dolorem frigefaciens extinguere non potuit. A

25. A capite ossium naturam explores, postea neruorum, venarum & carniũ, & aliorum humorum: & superorum, & inferorum ventrium, & morum & mentis: & eorum, quæ per annum fiunt, tempore quodam anni maturius venientia quẽ admodum pustulæ, & id genus alia his similia, quæ in die citius, aut serius pariter eueniunt. B

Quoniam quæ præter naturam sunt, curare non potest, qui prius naturalia non percepit. propterea de natura iterum Hippocrates loquitur, & inquit: scrutare quæ in nobis secundũ naturam sunt, & quæ eorum sunt fundamenta, & hæc sunt ossa. Horum enim quædá, vt sint subiecta, quædam tegendi, & custodiendi causa natura fabricata est. Verùm quoniam præcipua sunt ossa capitis vt pote rem nobilissimam, cerebrũ videlicet continentis aut quia secundum eius proportionem & reliqua ossa creata sunt: & quia spinalis medulla ab eo producitur. Igitur vbi ea, quæ ad ossa pertinent, exploraueris, neruorum naturam inquirito, quo ex loco prodeant, è cerebrò ne, an ex spinę medulla, & per hæc quò tendant, & in quas partes inserantur. Quærito quoque ad venas spectantia, iecur scilicet, carnes item speculator. carnem autem vocat Hippocrates non eam solam, quæ in musculo. disseminata est, sed etiam intestinorum, & vesicæ substantiam. Nam membra quæque ex carne tibi propria componuntur. Et de humoribus quot sint, & cuius quisque temperamenti, inuestigato, & qua in parte soleat redundare. At humores isti nõ incerta sede vagantur, sed in quosdam ventriculos includuntur. Horũ autem ventriculorum alij superuacuum, alij necessarium humorem continent. Et inter necessaria est facultas, vt in cerebro: aut spiritus, vt in corde: aut humor, vt in iecore: pariter & superuacuum: aut liquidum, vt in vesica: aut solidum, vt in recto intestino. Atque, vt vno verbo dicam, & supera, & infera cuius naturæ sint, indagato. Naturam autem dicit, temperiem, administrationem, structuram, Hæc verò omnia quærito, & qualem habitum, & qualem mentem habeat. mentem dico, idest, ratio quomodo se habeat. ad hæc mores considerato, aut secundum aliam lectionem, conuersiones. Mores vtique, quoniam cuiusque ingenium, & differentiam debes inquirere,

(Margin letters: C, D, E)

A quirere, conuersiones autem, quippe quod & aeris mutationes perpendédæ sunt. Siquidem alijs omnib. quandoque vtimur, Aerem autem semper inspiramus. Consideres igitur, An in suo naturali statu manserit iste. Nam temporibus naturaliter se habentibus & reliqua similiter se habent. sin autem permutatus fuerit, contemplare, an vno anni tempore, an pluribus, an omnibus. Et an in similem statum an in differentes sit facta conuersio. Hæc propterea dicimus, quoniá tempora non ipso vocabulo, sed rebus operantur. Quippe si audies æstatem aduenisse, nolito iccircò morbos æstiuos cunctos expectare. quandoquidem plærunque maturius, aut serius tempus aduen-
B tans proprium temperamentũ vitiauit. Nempe quæ de toto anno, hæc eadem de die vno asserimus. Nam suprà dictum fuit, & vesperi Ascarides, seu Lumbrici, cum totus dies toti anno proportione respondeat. Manè ver, Meridies æstati, vesper Autumno, nox Hyemi. Igitur hæc omnia scrutare, vt, quo tempore qui morbi eueniant, tibi constet, quemadmodum de pustulis, sic & de alijs morbis omnibus.

26 *Pariter biliosum & sanguineum corpus melancholicum euadit, nisi extractiones habeat.*

Ad alium tradendum Aphorismum transit Hippocrates, in quo
C est admirandus, inquit enim: Fac duos esse ægrotos, quorum alter sanguinem alter bilem ruffam habeat. Si ruffa bilis moderata sit, nihil detrimenti euenturũ est: Si naturæ limites superet, & putrescat, tunc ferum humorem gignit, id est, atram bilem. quæ veluti furore percita erodit, & fera feros morbos parit, vt puta cancrũ, & elephantiasim, qui feri morbi dicuntur, vel quia ferarum nomina gerunt, vel quia serpunt intus, & celantur, mox & repente apparent, iterum occultantur, iterumq; emergunt, instar ferarum, ac si libet, morbos versatiles appellato, ob incertam sui mutabilêque naturá. Et hæc sanè à ruffa bile contingunt. Identidem & de sanguine dicatur, si na-
D turaliter se habeat, membra nutrit, si putrescat, & crassior, naturęque contrarius euadat, humorem Melancholicum procreat. Qui si educetur, nullũ maleficiũ afferet, si manebit in corpore, vt nigra bilis, & ipse atroces morbos feret. Cæterùm scire debemus Atram bilem nõ modo à flaua sed etiã à sanguine generari, acrior tamẽ est à flaua bile, quàm à sanguine genita. cum & flaua bilis ipso sanguine acrior sit. Dicit autem, nisi extractiones habeat, ac si dicat, humorẽ hunc è corpore extrahi, id est euacuari debere.

27 *Lycino ad extremum splen magnus euasit cũ dolore, aut quarto, aut quinto die.*

E Sermo iste omnino abijciendus est, Dicit enim, Lycino splen grãdis euasit ad extremum anni, aut ad extremum morbi, non declarauit ergo imperfectiùs, ac spurius est. *Sextæ sectionis finis.*

SECTIO SEPTIMA. A

Cœperunt tusses circiter solis Hybernas conuersiones, decimo quinto, aut vicesimo die, ob frequentem austrinorum, & aquilonarium, ac niuosorum spirituum transmutationem. Ab his aliquæ breuiores, aliquæ diuturniores euaserunt, & multa pulmonis vitia contingebant. Rursum ante AEquinoctium multi recidebant, quadragesimo plerunq; die ab initio. Et nonnullis quidem perbreues ac indicatu faciles accidebant. Quibusdam verò fauces inflammabantur: quosdam anginæ vexa B *bant: alios membrorum quorundam resolutiones: Alios nocturna luscitiositas, quam Græci nyctalopa vocant. Sed huic magis pueri erant obnoxij. At vitia pulmonis admodum breuia erant. Sanè Faucium inflammationes post tussim, aut perrarò pro tussi ac breues fiebant, sed frequentius nyctalopes. Anginæ autem, & leues resolutiones aut duræ, & siccæ, aut paruæ & rarò matura eijcientes, nonnullæ verò & copiosæ. Igitur qui aut voce laborarunt vehementius, aut magis frigore vexati* C *sunt in anginas facilius inciderunt. Qui manus fatigarunt, manibus tantùm resoluti sunt. Qui equitauerunt, aut longius iter ingressi sunt: aut alium quempiam laborem cruribus passi fuere: ijs in lumbos aut crura impotentia resolutoria inuasere & in fœmora tibiasque lassitudo ac dolor. Durissimæ verò, & asperrimæ erant quæ ad resolutoria vitia perducebant. At omnia hæc in recidiuis eueniebant: inter initia verò non admodum. plerisque autem istorum in medio tusses mitiores fie-* D *bant, sed non omnino desinebant. verùm cum recidiua quoque aderant. Quibus voces in tussim erumpebant. horum plurimi neque febricitabant. Sed nõnulli parum. Verum ex his nemini, pulmonum vitia infesta erant: neq; membrorum resolutiones: neque alius vllus morbus apparuit. sed in sola voce fiebat iudicatio. At nyctalopici affectus inualescebant, quemadmodum & qui alijs de causis oriebantur. Nyctalopes autem pueros maximè vexabant. porrò nigræ partes oculorum aliquantulum* E *variæ fiebant quicunq; pupillas quidem exiguas habebant reliquum autem totum nigrum plerunque. Verùm magis grandes*

A *des oculos, & non paruos habentes. Et plurimi rectis, & nigris crinibus præditi. Mulieres non perinde tussi laborabant: Et paucæ febricitabant, & harum perpaucæ in pulmonis ægrotationem labebantur: & hæ senectute affectæ omnesque incolumes superfuere. causam autẽ ego esse rebar, quòd non pariter ac viri, domo exibant, & quod nequaquam, vt viri, morbis patent. Angina quidem & duas liberas fœminas inuaserũt, & hæ mitissimæ fuere. Latius autem seruas infestarunt, quibus etiam fuere sæuissimæ, & eas celerrimè strangularunt. At viros multos inuaserũt, quorũ partim sanabãtur, partim inte-*
B *ribant. vtque rem in pauca conferam, qui tantummodo nõ deglutire poterant, ĳs admodũ mites, & tolerabiles erãt: qui verò ad hæc obscurius ac deterius loquebantur, ĳs infestiores, & diuturniores erant. Quibus præterea venæ circa tempora & ceruices insurgebant, ĳs nonnihil praua accidebant: pessimæ autem his, quorum spiritus vnà extollebatur. Siquidem hi & incalescebant. Nam vt scriptum est, morborum fortuitæ coniunctiones ita se habebant, vt, quæ primæ scriptæ sunt absque posterius scriptis, sed posteriora non absque prioribus euenirent, celerri-*
C *mè interibant. cũ febrili quoque algore obriguissent, istos, licet non valde oppressos nihil insigniter iuuabat, neque alui perturbatio, neque venæ sectio, neq; alia quæcunque expertus fui, nec non & sub lingua venam secui, nonnullos & per superiora medicamenta purgaui. Hæc itaque prorsus per æstatem facta sunt, quemadmodum & quæ erumpebant, permulta erant. Primum quidem in squaloribus oculorum inflammationes dolorem inferentes vulgabantur. Sanguinis venarum suppressiones, Defectionis animi figura, Alia interceptio, linamenti reflexio, adiectio, deligatio: plurimis inguina inflammabantur. in causa erat vena iecoraria: Erat autem & ab Arteria vi-*
D *tiata prauum indicium, Veluti Posidoniæ: Quibus è naribus sanguis erumpebat. his morientibus frons non sudabat. sed tãquam collapsi peribant. Et suspiriosi, & sudoribus deficientes.*

Nunc septimum sectum aggrediamur: fortasse verò hæc pars iure popularis appellatur. Siquidem ab initio scriptum fuit, librum hunc epidemium hoc est popularem fuisse inscriptum, cum tamen popularium morborum scientiam non tradat, sed ferè priuatos, & soli-

uagos morbos describat. Dixi ferè, quoniam & morbos in Aeno A grassantes memorauimus, Hac verò in parte popularia mala recenset. Neque enim Hegesippo aut Anaxioni, sed cunctæ ciuitati euenere. quænam hæc esset, non docuit Hippocrates. Id autem scimus, vrbem hanc in regione esse Aquilonari. dicit enim, in ea niuem cecidisse. At vbi nam in Aethiopię tractu ningere solet? Didicimus igitur aeris constitutionẽ verũ id scire oportet. quòd Hippocrates, cum temporis mutationem refert, neque ante gressi mentionem facit, eã prorsus, tanquam naturalem accipit. Itaque in frigida vrbe nomine tantùm non re hyems fuit, quippe quæ calidior erat, quoniam australes venti eius initio spirarunt. Auster autem calidus atq; humidus est: & corpori, sed præcipue capiti, nocuit, vt pote nudo, & externo aeri exposito. Etenim in libro Aphorismorũ traditũ est. *Austri auditui graues*. Siquidẽ Auster ex toto corpore humorem in caput attrahit. At si Auster solus flauisset, suo calore materiam dissipare potuisset, verùm Aquilonius spiritus repente superuenit, & ad vires perturbandas satis fuisset subita mutatio: sed boreas natura frigidus nõ amplius materiã dissolui permittit, quocirca illa remanens difficiles morbos generat. Et omnium vna erat ante incipiens causa, Aeris tẽpestas scilicet. Quinetiã vna modo dicta capitis repletio. Et hominũ membra temperamento & habitu & ad suscipiendum aptitudine C differebant. Nam materia cerebrum inuadens, si patibile, & imbecillum eius corpus erat, superabat, & homo in attonitum, aut comitialem morbum incidebat. Si validum erat cerebrum materiam discutiebat, aut ad propinqua, vnde oculi laborabant, aut ad longinqua, inde pulmonis inflammationes: aut quorundam membrorum resolutiones fiebant. Hippocrates verò copiosè symptomata enumerat, ita inquiens. cœperunt tusses circiter solis hybernas cconuersiones. Dicit Hippocrates sole in Capricorno posito Hyems venit, quæ propria temperie mutata calidior fuit. Quæ vbi inualuit, circiter decimumquintum, aut vicesimum diẽ Tusses ortæ sunt. D Rectè sanè Hippocrates à tussi orsus est. vtpote de his loquens, quæ in superiori corporis parte generantur. Nã si Austrinus spiritus adsit caput repletur humore, cuius partem in guttur depellens tussim cõcitat. Et maximè cum per niuem frigus increuit. Hæc tussis autem à crebra Austrinorum, & borealium flatuum mutatione facta est. Nã quemadmodum in Aphorismorum libro scriptum est, cum ventus Auster dominatur, sic & hoc loco, cum frequens fit huiusmodi mutatio, & in pulmone morbos creat. Detrusam enim à cerebro materiam pulmo, vtpote mollis, & spongiosus absorbet. Horum vtique morborum alij longinqui, alij breues fuere, prout subiectæ vires, & E laborantis temperies postulabat. Igitur multi morbi per Hyemem grassabantur. Aduentante autem vere, cum sol est in ariete, reuersio facta est,

A ēta eſt, Intercesſit autem dierum quadraginta interuallum,& ſæuiores morbi rediere. Nanque Galenus ait. *plerunque ingruunt morbi,& ubi neque à principio vehementer praui ſunt, quoniam validæ vires aduerſantur poſtea verò intermittens morbus, vbi rurſus inuadit, vires prius debilitatas offendit,atque ideo acerbiorem impetum facit. præſertim ſi intermiſſionis tempore non recta ratione vitam egit.* Reuerſo igitur morbo alij mortem obiere, alij cum bona iudicatione conualuerunt. id eſt,non imperfectè, non abſque iudicatione: ſed iucundè, non cum multis accidentib. quæ conditiones victoriā naturæ comitantur. Verū ſi natura victrix non fuerit, materia deorſum petit. vnde inflammatio aut in faucibus,aut in gutture, aut abſolutè loquendo, in parte facile patibili

B exoritur.Interdum & paraplegia facta eſt,quæ eſt vnius membri ſenſus, & motus priuatio. id autem ob humorem eius neruum obſtruentem efficitur. Genitæ ſunt & nyctalopes à Græcis vocatæ. Nyctalops verò eſt affectus vulpibus eueniens. quæ propter ſpiritus viſorij tenuitatem,interdiu cernere nequeunt: quoniam à ſolis radijs fūditur ac diſpergitur:noctu verò,vtpote denſato ſpiritu cernūt.Quod igitur vulpibus interdiu,id illis noctu euenit: quippe qui diurno tēpore cernunt, nocturno verò minimè. Nam vbi materia in cerebro congeſta fuit.ibique morā ducens longiore ſpatio computruit. atra

C magis effecta eſt. quocirca caliginoſos vapores :in oculum tranſmittit & viſorio ſpiritui tenebras effundit, Inde fit,vt iſti per diē videāt: quoniam ſolis radius turbulentos illos,& craſſos vapores illuſtrare, atq; extenuare valeat:per noctem aūt nihil viſu percipiant,quod friɡore nocturni aeris ſpiritus craſſeſcat. Et hoc eſt illud vitium, quod Nyctalops græco vocabulo nominatur Declaratū porrò eſt à nobis in lib.de Cauſis,cur multi proxima cernunt,longinqua minimè.Diximusq; id fieri,quoniam viſorius ſpiritus purus eſt,ſed nō multus, vt longus emitti poſsit. in ijs verò, qui contra ſe habent,craſsitudinē ſordéq; ſpirit⁹ cauſati ſumus. Nā ij, quos procul eiaculamur,extenu

D ari ac purgari pręueniūt,atq; ita remoto impedimēto procul diſtātia percipiunt, vicina verò cernere nequeūt. quippe qui neq; purgari neq; extenuari ob interpoſiti ſpatii breuitatē poſſunt. Hoc aūt verū eſſe ex eo conſtat, quod pueros,inquit, maximè Nyctalops infeſtat, nā cū iſti humidiore ſint tēperamento, ſpiritus viſorius perturbatur. Atqui ex hoc Hippocrates admiratione dignus eſt,quòd experientia non fulcitur,verū ſe ad indicationes refert.ac ſymptomata ſeparari oſtendit,ac diuerſa eſſe ratione generis,ætatis,fortunę,& corporalis aptitudinis.Ratione quidem ętatis,vbi dicit, pueros magis,q̄ viros, morbis illis infeſtari. Generis aūt,vbi ait:Mares,quā fœminæ magis

E patiuntur. Atqui mares minus lędi conuenit.vtpote robuſtos,& exercitatos.Verū idcirco aliter ſenſit Hippocrat. quoniā mulieres frequenter domi ſe continentes,& capite operto plerunq; incedentes

cœli vim prauã non percipiunt. At viri domo exeũtes aſsiduè ab ae A re noxã patiuntur. Et hác etiã eſſe cauſã dicit, cur ancillæ magis quã dominę, in morbos incidebãt. Et ecce de Fortuna hic loquitur. Famulę verò magis afficiebãtur, quia domũ egreſſæ ad neceſſaria pro dominis obeunda, ſub diuo ambulantes morbis corripiebãtur. Porrò aptitudinem in omnib. vitioſis affectib. quęrit. Siquidem morborũ differentiũ nulla eſt alia cauſa, quàm corporũ differens habilitas. In pueris igitur Nyctalopes multi fiebant, pulmonis autem inflammationes nõ multæ. At quomodo cũ prius dixiſſet Hippocrates, pueris frequẽtes pulmonis morbos accidere, hoc loco dixit in eis pulmonis inflammationes nõ fieri. Ita verò huic dubitationi reſpõdere poſſumus, quòd videlicet pueros nyctalopes vexabant, pulmonis autẽ B inflãmationes minimè, propterea quòd tota materia in ſuperioribus partib. quieſcebat. In multis enim locis id oſtendere poſſumus. Vel fortaſſe ita dixit Hippocrates, quoniam inchoantib. morbis pulmonis mala ingruebant, ſed vbi morbi repetebant, non item. nam in medio interuallo recreata natura pulmoni vires addidit, vt non iterũ ſuſcepta materia vim pateretur. Et has duas explanationes ex ſequẽti ſermone collegimus: vbi dixit, *Nyctalopes non adeò tuſsientib. poſterius fiebant*. nã cum dixit, *poſterius*, indicauit, ſe morbi initiũ cũ reuerſione complecti quod ſecunda enarratio docet, per id autẽ, quod dicit, *Nyctalopes, non ingruebant tuſsientib. poſterius*, ſignificauit cum materia in C mẽbro vno quieſcit, alia libera eſſe, quod 1. enarratio ſentiebat. Ipſos aũt & caninæ inuadebant Anginę. ob internorũ gutturis muſculorũ inflãmationẽ. At ſciendũ eſt, quod tẽpore peſtilentię & ſi in vulgus graſſantur morbi, aliquos tamẽ magis, aliquos minus pro ant egreſſarũ cauſarũ differẽtia infeſtãt. Vnde ſi quis forte multa nugatus eſt, & imbecilli⁹ guttur effecit, eò plus materię attraxit, pręſertim ſi frigore poſtea vexatus fuit, aut in frigido loco verba fecit: quoniã guttur ab aere læſũ fuit. Si quis manus, aut pedes fatigauit, paraplegiã, aut paralyſim (vt græcis verbis vtar) paſſus eſt. paralyſis quidẽ eſt in toto cor D pore, citra faciẽ, ſenſus & motus priuatio. paraplegia verò eſt vnius tantùm membri paralyſis. Nam membrũ prius motu agitatũ materiã attraxit. Siquidem & à Galeno dictũ eſt: materiã aut propter calorẽ, aut propter imbecillitatem, aut propter dolorẽ ad membra deriuari. calorẽ, qui equitauerant, aut ambulauerant, in pedib. habebãt: imbecillitatem, quib. à frigore guttur lęſum erat: dolorẽ, qui manus laboro nimio fatigauerant. ob hęc ſanè omnia paraplegia oriebatur. Quippe vbi erat laſsitudo, ibi & dolor. inde duriſsimę, & violentę erãt, quę ad paraplegias ducebant. vtpote tota materia eò delapſa. At qui elocutionis ſtudioſi ſunt, conſtructionẽ verborũ perpendentes dubitãt E quomodo Hippocrates de dolore loquens dixit, *duriſsimæ*: nonnulli reſpondẽt, quod recordationis cauſa hęc ſibi ſcribens exquiſitè loqui negle-

A neglexit. Sed rei veritas ita se habet, cum res vna, duo habet nomina, de ea loquẽti licet primò de vno, secũdò de altero loqui. vt exẽpli gratia: venit autẽ anima Thebani, Tiresias, aureum sceptrũ qui habebat. Ecce nõ ad animã, sed ad Tiresiã refertur. Sic & hoc loco intelligendum est, Acerbus erat dolor, dùrissimę verò, & violentissimę ad paraplegiam ducentes, supple, odynæ, quod idem significat, quod πόνοι id est, dolores. Et hoc quidẽ non erat ex medijs. Multis autem in pestilẽtiæ reditu exortis morbis sola tussis pacata erat, sed neq; ipsa ex toto sublata. Quòd si nonnunquam tota materia in partẽ vnam irrueret videbatur, reliqua membra libera fiebant: at si quando ad vocalia

B instrumẽta materia irrupisset, id est tota incubuisset, adeo, vt & tussis surgeret, tunc non difficiles morbi fiebant. Et nonnulli hunc affectũ caninam anginam vocauerunt, sed malè. Quomodo enim potuisset Hippocrates dicere, in huiusmodi angina febrem non adesse? Sed, inquit, eos sola tussis vexauit, & vocis defectio, aut raucitas, quoniã materia illuc impetũ fecit: id fuit in causa, vt neq; febris, neq; pulmonis inflammatio, neq; alius malus affectus oriretur. atqui materiæ ad vocalia instrumenta decursus omniũ istorũ autor, & origo fuit: at exorta tussi omnia lenita sunt. Nyctalopis autẽ morbus perseuerauit, vt putare posses, eum alia de causa prouenisse. Etenim quandoque

C nyctalops non ex oculi cũ alio membro consensu, sed proprio ipsius vitio generatur. quando scil: crystallinus humor crassescit, & spiritꝰ fuligine quadam obscuratur. & tũ curatu difficilis morbus est. Adeo inquam, curatu difficilis factus est, vt putes oculum non cerebri vitio affectum esse. sed proprio ipsũ morbo laborare existimes. propterea Nyctalopico morbo procedente quoddam malum difficile successit. pupillæ videlicet oculorũ dẽsatæ à frigore diminutæ sunt. Ipsa oculi moles aut propter humoris redundantiam, aut quia frigus spiritũ crassiorem fecit, intumuit: ipse nanq; spiritus exhalare nõ potẽs

D atq; ita exuberans oculum inflauit. colores autem oculorũ varij erant, nonnunquã nigri ob haustri calorem, nonnunquã rubri ob frigus Aquilonis. Atqui dicit Hippocrates, quòd in plurib. oculi nigri erant, cũ tamen nigrities calorẽ sequatur. omnes aũt enumerati morbi à Boreæ frigore geniti erant. atq; ita dicit, quæcunque exterius patimur, ea & hoc tempore facta sunt. Quippe si in aquam lapidẽ projicies, si spatium inter te, & aquam breue sit, qualis est lapis, talẽ ipsũ videbis: si longinquum, qualis est, ipsum non videbis. pariter etsi purum fuerit, omnino, ac verè tibi apparebit: si impurum, ac sordidum haud ita tibi videbitur. idem & tũ temporis factum fuit: Frigus enim in profundum crystallinum humorem detrusit, ac ideo nigrum & ca-

E liginosum fecit. & spiritus cũ esset niger, non potuit ipsũ crystallinũ humorem extenuare. quare ater & tenebricosus ob copiam nebulosi spiritus oculus videbatur. Suadet aũt hoc Hippocrates & ab eu i-

denter apparentib. Adeo nanq; obſcurus erat à capite demiſſus ſpiritus, vt hi eſſet atro capillo: adeò verò & vuidus, & excrementoſus vt non ſolùm atrum, ſed etiã rectũ capillũ haberent: poſtremò Hip. poſt enumeratos virorum morbos inquit, Mulierib. autem minus morbi accidebant, propterea quòd domi ſe continebant, & minus aeri ſe exponebant: & quia purgabantur (hoc.n. quoq; in cauſa eſſe retulit Hippocrates) inde factum eſt, vt duæ tantũ ingenuę mulieres ęgrotauerint, & id quoq; leuiter. omnes aũt ſeruæ & grauiter laborarunt: quoniã aſſiduè ſub aere verſabantur: & quia ſeruilib. cibis mali ſucci veſcebantur. Igitur cũ omnes hi morbi eo peſtilentię tempore vulgarentur, multi ſanè interibant, pauci aũt, qui robuſti fuerunt, euadebant. Euadebant verò, quib. materia in guttur incubuerat. at ſi vocalia inſtrumenta inuaſerat, ſermonemq; intercluſerat, ij. mortem obibant: & malũ (inquit Hippocrates) longinquum fiebat. Longinquum dico, non in ſingulis hominibus: nam canina angina quomodo longinqua eſſe poteſt? ſed longinqua in tota ciuitate. quoniã diu ipſam infeſtauit. quantum quidem ad hoc attinet, popularis erat morbus. Sed nuper & peſtilens factus eſt. poſtquam mori cœperunt. mors autem maiori ex parte ab angina canina fiebat. In reliquis igitur mirum in modum ſubintellige, angina fiebat. Quæ circa thoracem vtique diſtendebantur. inde caput, & venæ circum collum & tempora contentę erant. Morbus. n. in malignũ verſus, & cũ extimis partib. communicari cœpit. At cum reſpiratio magna facta erat, id erat ſignum mortiferum. Porrò id videtur eſſe ambiguũ, nam ſi magna erat inſpiratio, conſtat hoc ob multi aeris attractionem eueniſſe. multus autem aer, niſi diſcuſſa angina, attrahi non potuiſſet. ad hanc dubitationem ſic reſpondemus: In parte artis, de dignoſcendis affectibus, traditum eſt, in corpore ſano, & naturaliter ſe habente, reſpiratio non per vim facta à ſolo tranſuerſo ſepto proficiſcitur, ſi quo malo vrgeatur, & pectoris muſculis natura vtitur: ſi praua pulmonis inflammatio orta ſit: & altioribus muſculis, qui ſunt in ſcapulis vtitur. quando & nares ipſæ dilatantur. Et pectus quidem vehementer dilatatur, ſed non ad dilatationis proportionẽ aeris copia introducitur quippe cum gutturis impediat obſtructio. Idem & in præſenti aeris ſtatu eueniebat. Nam cum adeſſet tranſitus anguſtia, ſublimioribus lacertis natura vſa fuit: & ſuſpenſam ſpirationem faciebat, quod maximæ anguſtiæ ſignum eſt, atque ideo etiam mortis indicium. Porrò id genus reſpirationis habentes tepore quodã incaleſcebant. nã calore interius incluſo, & materiæ multitudine oppreſſo, extimæ partes tepidæ reddebantur. at ſi quando rigor cum febre ipſos inuaſiſſet, celeriter occidebant. neque enim calor diſſoluens ſatis potens erat, verùm etiã rigor accedebat. Et quomodo his poſſet facultas reſiſtere? Et forſan hoc per illam ſententiam indicatur, In febre non intermittente

A mittente extremorum frigus malũ eſt.magis enim in tali affectu na-
tura ſuffocatione fatiſcens in profundũ ſe recepit,& extrema ſangui-
ne deſtituta refrigerata ſunt. at ſimplicem refrigerationẽ rigorẽ ap-
pellauit Hippocrates. Et ſimpliciter dixit,*conſortia*, id eſt, caſus mor-
borum tales erant, quandoquidem inuadebat, intermittebat, & re-
petebat morbus, qui ab initio quidem orti erant morbi,ea nõ habe-
bant, quæ in reuerſione fiebant: Sed quæ in reuerſione facta erant,
ea habebant, quæ in morbi principio euenerant. huiuſce rei cauſa
erat virium infirmitas ex morbi repetitione profecta. Verum etſi o-
mnes morbi ægros occidebant,præcipuè tamen anginę,id non pro-
B pter artis ignorationem eueniebat: neque quod Hippocrates mor-
bos negligeret, ſed morbi malignitas vim inferebat. Siquidem om-
nia remedia adhibuit,ac ſi totum corpus vt multitudine refertum in
aliquam partem materiam exonerare comperiſſet, miſſione ſangui-
nis vtebatur,venas linguæ proximas incidens:ſin autem totum cor-
pus,malam qualitatem mittebat. cum purgatorijs aluum perturba-
bat. Demum, quod reſtabat, poſt communem curationem ad pro-
priam ſe cõuertebat,& vſus eſt τῇ ἀναςάσει,hoc eſt,euerſione;ſed multi
codices habent τῇ ἀνατάσει, hoc eſt,tentione,multa premit,illud autẽ
reprimit, ſed ſingula interpretemur. Inquit Hippocrates,
C ſiquando animaduerti anginam à pituita genitam, vſus ſum
tentione,ideſt,inedia, quo pituita conſumatur. Sed hanc inter-
pretationem abijciamus. neque enim Hippocrates inediam ap-
pellat tentionem,ſi legatur, premit, inquit Hippocrates, me non
latet id,quod rarò,& id,quòd frequenter fieri ſolet. id,quod plerun-
que accidit eſt,anginam ob muſculorum gutturis inflammationem
fieri, quod autem rarius,eſt ob vertebrę in partem anteriorem luxa-
tionem anginę ſpeciem euenire. Igitur dicit Hippocrates, ſiquando
talem affectum accidiſſe putaui;preſſione vſus fui,quo vertebram in
locum ſuum extruderẽ. Verùm neq; hæc enarratio rectè habet:quip
D pe cum huiuſmodi affectũ inſanabilẽ eſſe affirmet Hippocrates. Et
quomodo poſſet curationem aggredi? & huius vitij ſigna eſſe dicat,
circulare & conuexum. Quomodo igitur ijs ſignis non apparenti-
bus preſſione vti poterimus? Igitur id,quod ab Hippocrate dicitur,
tale eſt. perſępe ob oris adſtrictionẽ,cũ nõ poſſimus digitũ immitte-
re, penna inungimus: nõnunquã verò contrà digito premimus. vt
materiã propulſemus. quapropter ne & hoc in caſu immedicabilem
eſſe morbũ ſuſpiceris, nõ vſus eſt digiti ſuper locũ lęſũ impoſitione,
ſed inquit,in ſuperiori parte compreſſionẽ adhibui, & nihil profeci.
vſus autẽ ſũ purgatione. Sed nõ dicit Hippocrates, vſus ſũ purgatio-
E ne quæ per ſuperiora euacuat. Nã ipſe alibi dixit, Nequaquã per lo-
cũ affectũ euacuare conuenit,ne fortè, vt pote imbecillus noxã pa-
tiatur,ſed purgationes intelligit gargariſmos,& medicamentis pitui

tam per os educentibus vſus nihil profuit, talia ſanè remedia ſunt, A quæ deſcribit Hippocrates, ſed morbũ nõ tollebant. Nã quę erũpebant,& ſuperueniebant ſymptomata ſæuiora erant. Aut magis erũpebant,quoniã materia ſpatio nõ potens diſſolui erodendo ruptionem fecit: aut à natura in pus mutata erupit, & abſceſſum fecit. Huiuſmodi erat peſtilens aeris ſtatus.

2 *Primum quidem in ſiccitatibus Lippitudines dolorificæ in vulgus graſſabantur.*

Nonnulli hunc ſermonem à ſuperiori diſiungunt,& aiunt,Hippocratem ſuperius dixiſſe de huiuſmodi verni temporis conſtitutione, nunc de ſicca æſtate loqui,in qua multę Lippitudines vulgabantur, B At Galenus hunc ſermonem cum ſuperiore connectit. Inquit enim Hippocrates,quod ſicut dictũ eſt,non eſt hyems permutata: verùm & æquinoctium vernum præter naturam alteratum eſt. Quinetiam ſequens æſtas ſecundum vnam tantùm qualitatem ſpecie ſimilem mutata eſt. quippe ſicca euaſit. Sed in ipſa non multi morbi exorti ſunt.in Aphoriſmorum enim libro traditum eſt, Aer pluuius quàm ſiccus. magis infeſtat. Verùntamen ſiquando immodica ſiccitas fuerit,& ipſa fert morbos difficiles. propterea quoniam ſiccitas inualuit,quod ſiccari non conſueuerat, tunc plus detrimenti accepit. prius enim ipſi contrarium erat familiare, vt pote oculo eſſe humidiorem. Hinc factum eſt,vt lippitudines exortæ fuerint & quod ſiccum eſſe non ſolebat, tunc maiori noxa affectum eſt. Et huiuſmodi Lippitudines dolorem inferebant. Nam tunicis ob ariditatem fractionis periculum imminebat. C

3 *Sanguinis è venis ſuppreſſiones, animi deliquium Figura permutata, interceptio linamenti, õcuolutio, adiectio deligatio, incrementum.*

Admiratione digna eſt hæc oratio. Nam interdũ nimia ſanguinis eruptio ex venis facta fuit, ſiue ex arterijs,ſiue ex venis propriè,quę vires deijcere potens erat. Ipſam igitur coercere opus eſt. coercetur autẽ vel ab aliqua naturali cauſa,vel ab arte. A naturali quidẽ cauſa hoc pacto frequenter à ſubita & copioſa ſanguinis effuſione vitali ſpiritu exhauſto animi deliquiũ ſequutũ eſt. quod ſuperficiẽ corporis frigefacere, materiã craſſare, & ſanguinis eruptionẽ ſiſtere valet. Hoc vtiq; naturale remediũ eſt,ab arte verò multa remedia inuenta ſunt. cohibet enim & per figuram ſurſum vergentem. Etenim ſi ex inferioribus pedis venis ſanguis feratur, pes ipſe ſi ſurſum tollatur, ſanguinis curſus retinebitur. Sæpius & per linamenta ſanguis cohibetur,qui ſi & è ſummo corpore fertur,ipſum linamentum ſimpliciter apponito:ſin ex penitiori ſede, contorqueto. At Galenus in alterũ ſẽſũ hoc verbũ,*contorqueto* accepit. Nam ſępe de naribus ſãguis labitur, D E

tur,

A tur, & ipsum nares contorquentes, & claudentes exire prohibuimus potest etiam ligatura sanguinē sistere, vt in libro de fracturis scriptū fuit. Et maximè si procedit non à sana parte ad ęgrotātes: tunc enim ad eas trahitur, sed ab ęgra ad anas partes ducitur, quo sāguinis fiat repulsio. Interposuit autē in medio hoc verbum, *interceptio*, quoniā & alia interceptio facta est. Et id tanquam publicum documentum sumere oportet: quod scilicet, coercendi sanguinis & alij modi sint, quam per linamentum, aut contortionem, aut alium quempiam modum curatiuum. sæpius enim dissectum vas laqueo excipientes ipsū à sanguinis effusione vetuimus. Hę sunt omnes sanguinis è venis e-
B rumpentis suppressiones. Et melius est ipsum è venis erumpere. Malum est enim, si ex arteria. vt dicet, &, ob particulæ nobilitatem, & propterea quod cū semper micet arteria, & pulsatorio motu agitetur, Naturę quietem non præbet, vt claudendi tempus opportunū habeat.

4 *In inguinibus Bubones plures oriebantur, propterea quod Iecoris vena male habebat. Erat autem & ab Arteria vitiata malum indicium. Quale Posidonia.*

Sermo iste ænigmaticus est: & multas interpretationes patitur. nam cum dixisset, sanguinem è vena currentem difficile malum pa-
C rere, subdit, non è qualibet vena, neque enim ex tenui, & filo araneę simili, sed ex vena bubone affecta. hoc autem significat, in altum elata. Hęc autem sanguinem effundens acerba mala inducit. quoniam iecoraria est, idest è Iecore prodiens. Præterea sunt & duæ aliæ enarrationes. Etenim persæpe sanguinis eruptio fit intror sum, & in alia conceptacula sanguinem transfert, & varicem creat. Verùm non in quamlibet venam currens sanguis eam Bubone afficit, & in altum tollit, vt varicem generet. Sed in solam Iecorariam. Hæc interpretatio tametsi vera sit, sępe tamen accidit, vt quispiam in summo pedis digito vlcus patiens Bubone vexatus sit. Hippo-
D crates igitur suę memorię causa scribens seipsum interrogat inquiens, quęnam est hęc distributio, vt altero membro laborante alterū Bubone afficiatur? adhoc respondemus, cū dolor in pède excitatur, eò natura cum sanguine accurrit, vt membro dolenti opem ferat. Et glandulosa caro, quam Græci Adena vocant, inuenitur: quę rara cum sit, humiditatem suscipiens inflammatur. præcipuè si venæ Iecorariæ supra femur in eam partem ferantur. quæ propter amplitudinē multum humorem ducentes glandulam inflammatione tumefaciunt.

5.6 *Quibus sanguis erūpebat, morientes circa frontem non sudabant, sed veluti collapsi erant: Et spiritue si, & præ sudoribus*
E *intereuntes malè habebant.*

Cōtiguus est hic sermo superiori: fiebat enim sāguinis eruptio: neq; vllū naturę: neq; artis pręsidiū eā sistere potuit. Verū ne ars omnino

existimatione priuetur,& hoc loco prænũciat, quomodo mors eueniet, videlicet, nõ cũ sudoribus: q̃ppe omni exhausto humore, vnde sudor emanabit. Igitur si nõ aderit sudor, neq; syncopa succedet, & id, quãdo sola frõs sudore vacat. Siquidẽ alibi dictũ est, syncopalẽ sudorẽ circa frõtẽ, & superiores partes effluere. cũ .n. caloris innati dissipatio instat, sursũ petere solet: & ad faciẽ fertur. Et si sit vapor, ipsũ per superiora euacuat: & hoc modo sudorẽ generat. Igitur hic sermo dicit, sudor fit. sed collapsa, & squallida tibi cutis apparebit. *Et spirituosi.* hũc sermonẽ Galenus dãnauit. Sed quosnã appellat Hip. spirituosos? num spiritibus, hoc est dæmonibus occupatos? At hoc ridiculũ est. Spirituosos enim appellat magnam & crebram respirationem habẽtes. propterea neque cum sudore moriuntur, præsertim Hydrope laborantes: quippe qui per sudorem vitam finire deberent. hos enim humiditas copiosa veluti diluuio quodam perfusos inundat. A B

7. *Ventrium faciles tolerantiæ perturbationem indicant: velut Posidoniæ.*

Admirationem mouebit hic sermo, si declaratus sit. clarus autem fit si per transgressionem legatur. Frequenter enim alui profluuium & ventris perturbatio euenit, verùm ad malum ne, an ad bonũ, vnde nobis planum erit? nimirum ex ea, quę consequetur. facili, aut difficili tolerantia. Nã quemadmodum Posidonis vxori contigit, sic & in pręsentia ventrium perturbationem bonę tolerantię declarant: quemadmodum in Posidonia factum est. C

8. *Et feræ quænam inducant.*

Feras appellat Hippocrates feros morbos. nonnunquam & lumbricos. Explores igitur, quid nam istas feras gignat, & quęnã ab ipsis fiant. ipsas autem gignit crudus humor à pane, aut leguminib. aut oleribus. ipsæ verò tormina, & morsus inferunt.

9. *In attenuatione ante obitum circumtensio, & vmbilicus oblongus ipsi protractus est, & gingiuarum dentes ambientiũ exulcerationes.* D

Hanc orationem Hippocrates de Posidonia scripsit: sed ipsam communiter accipere licet. Nempe quod sanguinis eruptio facta est, atq; adeo copiosa, vt insitum calorẽ frigefecerit, & Hydropicũ morbũ induxerit. Itaq; si Hydrops factus est, circumtenditur aluus non bonò sed excrementitio humore. Quocirca & vmbilicus longior factus est & exulceratus: Humor atem iste, & in superiores partes diffundi cœpit. quare & pręacrimonia gingiuas exulcerauit: ac dentes ambiẽs, vt omnia cibaria noxia viderentur, effecit. Forsitan verò dentes appellat non hos qui in ore cernuntur, sed de gula verba facit, vtpote & ipsa vlcerata. nam per dentes pręterit. Dentẽ autẽ vocat nuclei formam habentem secundæ vertebrę internum processum, ex quo gula E

profi-

A proficiſcitur. Etenim fortaſſe & locũ illũ occupãs humor exulcerauit.

10 *Quoniã multa de ſingulis rectè licet imperare aliqua idẽ valentia, aliqua non. vt talia ſunt, diffundi, ſpiſſari, educi, durari, & maturari.*

Recordantem ſuperius dicta, nihil docet præſens oratio. vbi quæſiuit quęnam res inter ſe ſimiles, ſint, quæ nam diſsimiles. Idem & hoc loco dicit Hippocrates, quòd videlicet quiſque de rebus omnibus multa recta præcepta dare poteſt. Ecce enim & ego tibi iubeo. vt veſtiges & ſimilia, & diſsimilia: & in multis ſuperiorẽ ſermonẽ exercui, nunc verò huiuſce rei tale accipit exemplũ: Duo medici ad ægrotũ

B accesserunt, & ipſũ phlegmone laborare offenderũt. Ambo locũ euacuandum eſſe conſenſerunt. ſed alter fundere humorẽ ac diſſipare, alter verò comprimere, & ad ſuperiora ipſum repellere ſtatuit. At fuſio non ne cõpreſſioni aduerſa eſt? verùm vterque inanitionem parabat. pariter & in alio multis medicis refrigerare volentib. vſus ordei cremore, alter lactuca, Tertius aqua refrigerauit. ac eadem porrò eſſe videntur, nomine differẽtia, re cõgruentia. quippe omnia refrigerarũt.

11 *Et vbi lectum amant, timidos expellere oportet, & excitare torpentes ad ea, ad quæ venire detrectant.*

C Multi libri habent κλίνειν hoc eſt, inclinare, id eſt, quo humor inclinat, per eũ locũ euacuato, ſed reuera pleriq; codices habẽt, κλίνην hoc eſt, lectum. Nam ſæpenumerò quidã morbo diſcuſſo rectè valentes è lecto ſurgere tamen verentur, ipſo gaudentes iſtos impellere, & excitare oportet, ne fortè torpore marceſcant, & eorũ corpora frigore afficiantur. talem igitur hominem excitato, & ea ipſi munera, quę recuſat, imperato, ſi ſcribere ſolebat, vt ſcribat: ſi legere vt legat.

12 *Aqua ſuffuſos celeriter ſecare oportet, tabeſcentes ſtatim vrere, caput incidere, & id genus alia.*

D In præſentia non curationis modum, ſed temporis tradit Hippoc. quoniam quicquid facis, maturè facito. conuenit hic ſermo potiſsimũ chirurgis. Sæpe nanq; Hydropicus morbus accidit. & ille, qui aſcites vocatur, ab redundante humore, ac tibi certũ eſt manus opera vti, quã paracenteſim Græci nominant, ideſt, perforationem. Igitur cunctari nolito, ne fortè humor ad interiora labatur, pariter, & ſi tabidum ac vlcere pulmonis affectum vſturus es, citò expedias. quod ſi quandoque os caluarię ſuper cerebri membranas cecidit, ſiue ipſum excindere, ſiue attollere decreueris, quamprimum id facito. Nec nõ & in omnibus alijs ſimiliter agendum eſt.

13 *Hydrope laborantium abdomẽ ne tangito, neq; inteſtinas*

E *partes. ſimile eſt enim multis genibus.*

Cũ tibi dixiſſet citò Hydropicos ſecato. ſubdit, non quẽuis Hydropicum ſecare: quippe cũ tres ſint Hydropis ſpecies. Vna Tympanias

quæ vocatur, à flatib. exoriens: altera Ascites ab humore proficiscēs: A
tertia Anasarca, quæ per carnes dispergitur. Itaque in Tympanite nō debes incidere. Nam propter flatus nemo manus opera vtitur: neq; in Anasarca vocata: dispersus enim humor per sectionem vacuari nequit: sed quēadmodū in tumore, qui in genu fit fieri solet, sic & in hac faciēdū est, ille nanq; si à flatib. fit, nemo operā manus adhibebit. Sed neq; semper, quando ab humore fit. neq; enim sectio facienda est, vbi crudus, ac durus tumor adest. nisi quando perfectè in pus conuersus est. tunc. n. solū Ascitē manus ministerio curamus: & tunc cauemus ne abdomen, aut quicquam aliud ex intus reconditis violemus.

14 *Affectus circa cor Xenarcho, & calidum vehementer expirare: & vlcus pro euacuatione initio fouere.* B

Curationem docet hic sermo. Xenarchus enim ægrotauit. narrauit autem Hippocrates, & laborantes beneficium percepere. Nam phtisis facta fuit, hoc est exulceratio pulmonis. & tunc frigidi aeris inspirationem vitamus. quippe quod frigidum sit vlcerib. inimicū. & verberet potissimum raram, & teneram pulmonis carnem, & propterea frigidus aer non inspirandus, sed cōtra expirandus est. atq; ita intelligenda sunt illa verba, *Affectus circa cor.* At si legatur, Affectus pericardii, intelligendum est, nonnunquam in corde vitium oriri, non C
erysipelas, aut phlegmonem, (mors enim præuenit) sed syncopam cardiacam appellatam, quæ ob insiti caloris refrigerationem accidit. Corde igitur refrigerato frigidum aerem ne introducito. malū enim adaugeres: sed ab initio morbi foueto.

15. *A quo vnum.*

Hunc tanquam proprium, ac separatum sermonem accipere oportet. Quamuis è narratoribus multis ipsum vt Hippocratis legitimū admittere nequaquam visum est. Inquit ergo, Artifex ex quo affectu symptoma vnum animaduertit, & de alijs ratiocinari debet. vt exempli causa, lateris morbus aliquē inuasit. Medicus statim in principio D
vocatus accessit, dolorem pungentem inuenit. ab hoc & de alijs diuinare potest, tussim videlicet, spirationis difficultatem, & febrē mox consecuturas. Sicut etiam si alicui post concoctionem capitis grauitatem accidisse animaduerteris. & futuram è naribus sanguinis effusionem prædices. siue paulo post inferius labium agitatum iri, & splendores quosdam oculis obuersaturos. Quam ob rem cum symptoma vnū deprehenderis, & alia mox futura, vel sequētia prædicito.

16. *Vox qualis est irascenti si talis fuerit non irato, ea naturalis erit. & oculi tales fuerint à natura turbulenti, quales* E
sunt, vbi irascuntur hi, qui tales non sunt. & alia secundum morborum rationem. velut tabidum, facit forma. Si talis quispiam natura sit in talē morbū procliuius erit. & alia similiter.

Græcis

Hæc oratio maxima ex parte naturalis est. Sunt enim quidam à Græcis physiognomici appellati, qui ex hominis facie de animi moribus atque ingenio verè iudicant, atque diuinant. Propterea si quos supercilia sursum tracta habentes viderint, eos impudentes vocant, si deorsum reuulsa, eos ingenuos ac liberales esse dicunt. Hæc vtique illi perpendunt, vt animæ ingenium nanscifcantur. Verùm hæc scrutatur Hippocrates, quo affectum corporis deprehendat. Siquidem, inquit, nouimus vocem tremulam iræ notam esse, & faciei ruborem, & oculorum turbulentiam. Sæpenumero quidem & citra iram hæc naturaliter adsunt. Ars autem prænunciare debet, talem hominem nullo alio insaniæ genere, quàm furore captum iri. Nam ex sua naturali temperatura constat eius

B mentem ad huius mali discrimen esse propensam. pariter & curarum, & mœstitiæ signa cognoscimus: videlicet contracta supercilia, immobiles oculos, liuidum colorem. Itaque si absque curis, & mœrore hæc signa adfuerint, prænunciat ars, eum nullo alio, quam melancholico morbo laboraturum, quum & in naturali valetudine eius ingenium ad huiusmodi affectum subeundum inclinatum sit. Verùm cur ea, quæ ad animi mores pertinent, commemorare studeo, ea quæ ad corpus spectant, silentio præteriens? Quædam enim sunt natura-

C les corporis figuræ tabem præseferentes: vt alatæ scapulæ, angustum & minimè altum pectus, & collum procerū gracileq;. De hoc ars pronūciabit, si quādo ęgrotabit, facilè in tabidū morbū prolapsurū: quia naturalis eius cōstitutio ad hunc erat idonea. Et aliorum omnium est eadem ratio, vt ab ijs, quę naturaliter insunt, de ijs, quępręter naturam eueniunt, ratiocinemur.

17. Tusses cum lassitudine membra læsa infestant, & articulos maximè.

De tussi facili, & lassitudine ab externa causa genita sermonē facit:

D nam sæpenumerò quispiam iter faciens laborauit, & in lassitudinē frigido in loco incidit, & tussis quoq; superuenit. Quòd si vim robustā esse contingat, humorem propulsat, & ad imbecillam partem extrudit. Sed quidnam est articulis imbecillius, & cum sanitas adest, & nūc in aduersa valetudine? Quippe ex motu, dum in itinere fatigantur, imbecilliores facti humorem suscipiunt.

18. Verū & in laboriosis febrib. tusses aridæ fiunt. Tusses aūt aridæ in articulos decumbunt cum febre, si intus remanserint.

De tussi leuiore ante locutus est, nunc de maligna sermonem facit: & de lassitudine post eam veniente. nec de qualibet: non enim de vl-

E cerosa, sed de extendente, & ea, quæ est cum ossium dolore. quæ ab humore crasso generantur. Igitur cum sit crassa materia, per tussim extrudi nequit, & remanens in corpore dissipari non potest. Qua-

re deorsum labitur ad cauas partes, imbecillas, & calidas. tales autẽ A
sunt articuli. Dixit verò Hippocrates tunc aridæ tusses in articulos irruunt, cum intus relictæ fuerint, hoc est, quando non tota materia per tussim reiecta fuerit. sed quędam reliquiæ in articulos defluxerint. Inde neq; ipsum oportet flatus eijcere. nã tametsi quidã materiã expulerunt, remansere tamen flatus, id est, pars difficilis spirationis. malũ verò est, & hic sermo perplexus est, intelligiq; non potest.

19. Spiritus Tabidis mali, sine signis, & non parientib. & quæcunq; alia similia ab eadem constitutione.

Obscura est hęc oratio, & eam nõnulli sic interpretati sunt, quod videlicet, si in tabidis difficultas spirandi fuerit, leuamentum morbi B
significat, hoc est, non facta excretione, aut abscessu difficili. Quoniã sine signis si leuiora facta sunt, non est incomprehensibile, sed istud dicas, Quidam accedens ad ægrum ipsum magnopere & frequenter anhelantem offendit: paulo post iterum ingressus eundem sine vllis prægressis notis, & præter expectationem respirationem paruam habentem inuenit. Et multi quidẽ lætantur propter morbi discussionẽ in difficili respiratione mutationẽ factã esse arbitrantes. At qui verè medicus est, pulsũ tangens imbecillũ, & inæqualẽ reperit, magnũq; adesse malum nunciat. quod videlicet, non propter morbi euersionẽ respiratio pars facta est, sed quia labefactata vis in altũ & latũ pectus C
attollere amplius non potest: atque inde exigua oritur respiratio.

Idem & * *non parientium, quæ attrahunt* *
dicit Hippocrates non quæ steriles sunt, sed viduas. quæ postea castam vitam agentes à venere abstinuerunt in ijs semen colligitur. Et initio quidem tantisper, dum semen calidum erat, magna fuit respiratio: perinde & in multis alijs res se habet. Quippe in suppuratione laborantibus primò quidem pus educitur, postea verò desinit puris eductio, nõ propterea quia morbi causa sublata fuerit, sed quia vis educens languida & infirma est.

20 Tabe correptis Autumnus infestus. Infestum & ver, cum fici folia pedum cornicis similia sunt. D

Inquit Hippocrates Autumnũ esse tabidis inimicũ, quoniã est inęqualis, modò calidus modò frigidus. cũq; inæqualitas naturã labefaciat, nõ modo Autũnus, sed etiã ver illis aduersatur: qua tunc medio eris tẽperatura sanguinẽ fundens humores ad pulmonem ducit, ac phtisim, hoc est Tabem auget. Quin & veris initium se ipsum declarat per signa ab Hesiodo memorata: quandò, scilicet, Fici folia pedum cornicis similia sunt.

21 In Perintho verno tempore plurimi in Tabem inciderunt. Simul in causa fuit hyberna tussis in vulgus graßata cũ alijs morbis quicunque diuturni sũt. nã & in ambiguis perseuerarunt. E

in

In quibusdam verò diuturnis non tabidi facti sunt, vt in quibus renum dolores fuerunt, sed etiam in alijs: qualis erat homo ille, ad quem me Cyniscus adduxit.

Hæc oratio verè popularibus morbis congruit. Nam tota Perinthi ciuitas affecta fuit. Quippe verno tempore tussis vulgata est, non tunc primum exorta, sed hyeme genita, ac præseuerans ad ver vsque peruenit. Huiusmodi autem sermo, nisi per transgressionem legatur, obscurus est. significat autem hoc, quòd videlicet Perinthi ciuitatem tussis infestabat. Et siquis non rectè valebat, accedente tussi grauiter afficiebatur. Dicit autem Hippocrates, quicunque longin quo morbo laborabát, illi in tabem non incidebant, propterea quòd materia ab alio affectu occupata diuertebatur. cum multi autem essent longinqui morbi, renalem in exemplum assumsit. Inquit autem Hippocrates quosdam commemorans, quòd nonnulli, vnà cum longo morbo & tabé, & tussim patiebantur. neque enim absurdum erat, prauum humorem abundantem in totum corpus fuisse diffusum. quemadmodum homo quidam passus est, ad quem philosophus Cyniscus adduxit Hippocratem.

Ad hunc vsque locum commentaria Palladij in septem sectiones sexti libri Hippocratis de Morbis popularibus reperta sunt.

INDICES DVO LOCVPLETISS.

Prior eorum quæ in Aretæi libris, posterior eorum quę in Hippocratis de Morbis popularibus memoria digna continentur.



Anginæ


B

C

Calculi

gulæ

inflam-


BIBLIOTHÈQUE

Paralysis

Sectio

vuluæ

INDEX EORVM QVAE SVNT.

annotata in libro Hippocratis de Morbis popularibus.



B

Calculus

C

D

Finis.

RVFFI EPHESII
DE CORPORIS HVMANI PARTIVM APPELLATIONIBVS LIBRI TRES.

Iunio Paulo Crasso Patauino Interprete.

Quæ in primo libro continentur.

RVFFI

RVFFI EPHESII DE CORPORIS HVMANI PARTIVM APPELLATIONIBVS

Liber primus.

IVNIO PAVLO CRASSO PATAVINO INTERPRETE.

Vnde cuiusque Artis tradendæ initium sumendum sit. Cap. I.



VID in arte citharæ pulsatoria primum didicisti? Singulas fides pulsare (credo) atq; nominare. Quid in Grammatica primum percepisti? Vnumquodque elementum cognoscere ac nominare. Igitur & alias artes eodem modo à nominibus docere incipiunt. Et ferrarius faber, & alutarius cerdo, & carpentarius in primis ferri nomen, & instrumenti, & aliorum omnium ad artem facientium nomina tradunt. Quin etiam grauio-
C res artes nonne & ipsæ à nominibus pari ratione docere incipiunt? Quid enim primum in Geometria accepisti? Punctum sanè, & lineam, & planum, & superficiem, & figuram triangulam, & circulum. aliaque id genus, quid nam sunt, dignoscere, recteq; appellare. Vis ne igitur & medicinalem facultatem à nominibus exorsus perdiscere? ac primum omnium, vt singulas corporis partes appellare coueniat, deinde & reliqua, quemadmodum sermonis processus, connexioq; requiret: agnoscere? Aut tibi satis esse videtur, me ceu mutum quæcunque doceri postulas: tibi ostendentem explicare? Mihi verò id non melius esse, teque ipsum hoc pacto discere, & alterum docere:
D haud facilè esse videtur. Atque de his quidem sic mea fert opinio.

Quæ prius, & quomodo docere velit, proponit. Cap. II.

CÆterùm audiens, & in puerum huncrespiciens: memorię, quę sensui patent, commendato. Ante omnia vt interiora appellanda sint, animal quodpiam homini quàm simillimum dissecantes instruere te conabimur: Nihil enim impediet, tametsi non omnia omnibus similia sint: quòminus summam saltem cuiusque doceamus. Verùm priscis temporibus in humanis corporibus huiusmodi generosius ostendebant.

E

Diuisio Corporis in maximas partes. Cap. III.

MAximæ corporis partes, hæ ſunt, Caput, Collum, Thorax, Manus & Crura. Thoracem autem non ſolùm eam partem, quę à iugulis ad præcordia vſque pertinet, appellamus: verùm etiam totum illud, quod intra iugula pudendaque concluditur. A

De ſuperiorib. capitis, & faciei exteriorib. partibus. Cap. IIII.

CAput vocatur quod pilis contegitur ſeparatim, & ſimul cum facie. capillati autẽ prior pars Sinciput, auerſa verò occiput nominatur. partes à lateribus ſyncipitis poſitæ Tempora dicuntur. græcè Corſæ & Crotaphi. quòd autem in medio capite eſt, vbi maximè capilli inuoluuntur, Verticem vocamus: partem ſub ſyncipite, Frontem. iuxta tempora pilorum exortus Iuli græcè, latinè Lanugo dicuntur. occipitis autem capilli promiſsi Crines vocitantur. vltimas frontis rugas Græci Epiſcenium vocant, noſtri Supratentoriũ dixerint: quod oculis attrahimus, quando nobiſcum aliquid altius cogitamus, aut veremur. alij verò partem ſub ſupercilijs carnoſam Epicenium vocauerunt. At ſupercilia hirſutæ frontis extremitates ſunt: quorum interſtitiũ Meſophryon græcè, latinè Glabella, quòd glabrum ſit, dicitur. ſub ſupercilijs Palpebræ, quas etiam Genas vocant, altera ſuprà, altera infrà ſitæ ſunt. ab ijs prodeuntes pili græcè Tarſi & Blepharides, latinè Cilia nominantur. harum extrema cum nos dormimus, ſeſe contingentia, Coronæ & Chelæ, hoc eſt, Vngulæ dicuntur ſuperioris palpebræ ſuperficiei quod ſuper impendet, Cauum: illi autem reſpondens inferius, Subcauum vocant. Id ſanè & in aqua inter cutem, & alioqui in prauo corporis habitu, & in longinquo hæmorrhoidum effluuio, & antiqua mulierum menſtrua purgatione, nonnunquam etiam inchoantibus lippitudinibus intumeſcere conſueuit. Huiuſmodi verò lippitudines mitiores eſſe videntur: propterea & id genus affectus, quoniam cauæ partis tumor eſt, græcè κοιλιδιᾶν dicitur. At cauæ ſuperioris inferiorisq; palpebræ extremitates è Græcis Canthi, à noſtris Anguli nominantur: alter maior ad naſum vergens, minor alter tempori propinquus. B C D

De Oculi exterioribus partibus. Cap. V.

OCuli verò quod in medio aſpicitur, Viſio & Pupilla nuncupatur. Glenã etiam ſimulacrum in pupilla apparens vocãt. Quòd autem inter pupillam atque album, continuum interiacet, Iris eſt. Id autem, vt colorem habet, modò nigrum, modò igneum, modò cæſiũ modò ſplendidum nominamus. Corona nigrum ambit, & ab albo diſtinguit: quæ circulus & copula oculi tunicarum eſt. Earum ſanè prima duabus naturis prædita duo quoque nomina gerit: Cornicularis quidem in medio, & vſque ad iridem: hæc enim eius particula ex politis cornibus aſſimilatur. candida verò eſt altera pars omnis E

A mnis, qualis & aspicitur: nihil mediæ neque natura, neque colore similis. ipsi autem vocata Epidermis super incumbit. quæ in iuuenib. & senioribus, & in affectu, qui Chemosis græcè, Vnguis latinè dicitur, abscedente atque elata, ruffum siue igneum cernitur. Aliæ tunicæ qua sint nomenclatura præditæ: paulo inferius in animalis dissectione explicabitur.

De Faciei infra oculos partibus. Cap. VI.

SVb oculis insurgentia ossa Subocularia nõnulli, alij Hypopia nominant. A superciliorum medio interstitio, quod Glabellá vocari diximus, deorsum versus nasus protenditur cuius foramina Rhothones, & Nares, atticè quoque Myxæ appellantur. sed Hippocrates pituitosum excrementum per ipsas destillans, Myxam, latini Mucorem vocant, Athenienses verò Coryzam. cartilagineum illud, quod foramina distinguit, nasi Interseptum est. partes ossęę, quæ vtrinq; ad malas vergunt, nasi Dorsum. ęxtrema verò hinc atque inde huiusce ossei fastigij Pinnæ vocatæ sunt. istæ in vehementiori spiritus difficultate, & alioqui cùm voluerimus, agitantur. carneum autem illud ante nasi septum in labia descendens Columna. At nasi extremitas, Globulus appellatur: verùm sub columna in superiori labro C cauitas Philtrum græcè vocata est: quá si Amatorium siue Amabile dixeris. sed totum sub naso superioris labij Hyporinion Græcis est: latino vocabulo caret. deinde labia duo: quorum extrema græcè Prochila, latinè Prolabia dici possunt: qua parte autem committuntur, Prostomion vocant. inferioris labij cauitatem Nympham. Aurium foramen, per quod voces exaudimus, Auditum appellarunt. partem pendulam latini Fibram, Græci Lobon vocant: quam etiam solam auris particulam nomen habere, cæteras verò nomine carere dixit Aristoteles. cæterùm medici illis quoque nomina imposuere. Pinnam quidem supremam partem latam atque decliuem appellauerunt: Helicem totum illud, quod deinde aurium extremam oram ambit: Anthelicem id, quod in medio cauitatem extollit. Concham post anthelicem cauum: oppositam verò conchæ eminentiam iuxta temporis fines Tragum, latinè Hircum dixeris: helicis finem, qui subbreuis est, Antilobida vocant.

De reliquis Faciei partibus. Cap. VII.

TOta capitis prior pars Facies dicitur. Malæ sub oculis faciei eminentiæ sunt vbi pudoris sedes est: maximeque ibi rubor ostenditur. post malas autẽ Maxillæ habentur: quarũ altera superior, E altera inferior est. inferiorisq; maxillæ acies Mentũ est &, Anthereon sub eadem inferiore maxilla carnosa pars Leucania græcè dicitur. sed nonnulli hanc quidem carnosam partem Anthereona: Leucaniã

verò cauum iugulo proximum appellauerunt. Barbę prima ſub tem poribus germinatio Iulus à Græcis, à noſtris Lanugo dicta eſt. primus eius in ſuperiori labro exortus græcè Propogonium: latinè Probarbium, ſi fingere liceat, dicito. qui pili poſteà adaucti Myſtaces appellantur. ſed in ſummo mento pili Pappus, ſub mento autem Hypena Græcis vocibus dicuntur: latina nomina deficiunt. A

De Ore, in eoq́ contentis. Cap. VIII.

PRima labiorum diuiſura, & interior vſque ad fauces inanitas Os eſt. in ore autem alia ſunt, & Dentes, quos nonnulli Cranteras appellant. horum primores quatuor Inciſores, Caninos autē ſequentes vtrinque ſingulos: Molares verò, & Maxillares poſt caninos vtraque ex parte quinos vocare conſueuimus: Sophroniſteras, hoc eſt, moderatores horum intimos atque vltimos Græci vocant: quòd eo tempore, quo moderatos temperanteſque eſſe oportet, oriri incipiunt. Ab vtraque parte vnus eſt, Genuinos latini appellant. totidem & ſuperioris maxillæ, eademq; nomina ſortiti ſunt dentes. Maxillarum colligatio Habena, Menſæ ſummitates latæ molarium. Mortariola & maxillarum cauitates, in quibus dentes defixi ſunt, appellantur. Gingiuę circa radices dentium carunculæ ſunt. Linguę radix, vnde ipſa exoritur, nominatur. pars eius muſculoſa ore contenta Lingua eſt. Ceruix, quę ſequitur. Paraſyra autem, quæ ab vtroque linguæ latere ſunt, Græci nominant Hypogloſsida partem linguæ inferiorem: Epiglóſsida verò, quod intimum eſt gutturi operculum quoddam impoſitum: ne cùm deuoramus, quippiam in pulmones irruat. ſed, cùm ſpiritus ducitur, ne tranſeuntem aerem impediat: ſublimis attollitur. Cœlum verò, & Palatum concaua eſt ſuperioris maxillæ pars. Columna & Gurgulio quidam ex palato proceſſus, quem Ariſtoteles Vuiferum nominauit: quoniam ea parte inflammata vuæ quiddam ſimile ex ipſa dependet. Vuam enim nō partē, ſed affectum nominari oportet. Fauces, omnis ea capacitas, quę in loco deglutiendi ſita eſt vocatur. propterea & Homerus dixit. B C D

Faucibus erupit vinumq́ humanaq́ membra.

Neque enim ex arteria aſpera, & pulmone cibum potumque Cyclops euomuit. id enim mirum in modum rude, fatuumq; fuiſſet. Pariſthmia dicuntur, & Antiades, & Mala, latinè Tonſillæ, carnoſæ quędam glanduloſæque partes vtrinque à lateribus faucium poſitę. Hæ numero quatuor ſunt, duæ in ſummo gutture vtrinq;, reliquæ deinceps & inferius locatæ. E

De Collo, eiusq́ partibus. Cap. IX.

INfra caput eſt Collum, quod & Ceruicē vocant. Hypodiris gręco vocabulo eſt in priori parte colli poſtremū. in priori item colli

parte

A parte Bronchus eſt, & Aſpera arteria, per quá ſpiritus ducitur. Bronchi ſummitas Guttur eſt, At poſteriore colli parte Tendones ſunt. iugulis proximum cauum Homerus Leucaniam vocauit. [illegible]dici Anticardion, quaſi cordi oppoſitũ, & Iugulationem appellant. Quæ autem à tendonibus ad humeros pertinent, Epomidas vocant. Humerus verò brachij caput eſt, quod lato ſcapularum oſsi inſeritur, & totus etiam articulus. At humeri Acetabulum eſt lati ſcapularum oſsis cauitas. lata ſcapularum oſſa à Græcis Omoplatæ vocata ea ſunt, quæ tergo incumbunt: quorum intermediæ eminentiæ ipſorum Dorſum vel ſpina dicitur Acromion iuguli, ſcapularumq; oſſis
B copula eſt. Eudemus verò oſſiculum perexiguum eſſe dixit Acromion Claues, quæ & Iugula dicuntur, ſub imo collo oſſa ſunt cum pectoris oſſe commiſſa humeros ſcapulasque, ne in pectus cadant, vt alijs contingit animalibus, prohibentia. nam cætera animalia iugulis priuata ſunt. quocirca & latiſsimi pectoris homo eſt.

De Ala, Humero, Brachio, & Manu. Cap. X.

ALa ſub humeri articulo cauitas eſt, in quam ſæpe humerus luxatione delabitur. Malam verò appellare haud græci ſermonis eſt. aliquid autem ſub ala celantem ferre, ſub mala habere dicũt.
C Humerus illud etiam à latinis dicitur, quod exit ab humero, ſed à Græcis Brachium. Huius apud humerum rotunditas Caput humeri eſt. Interior iuxta cubitum exceſſus, quem nonnullos imperitè vlnę Proceſſum autumare dixit Hippocrates, & ipſe alterum humeri Caput eſt. poſt humerum totus articulus, acutumque illud, cui reclinati incumbimus, Ancon à quibuſdam, ab alijs Olecranon vocatur Dores autem Siciliam incolentes, Cubitum, vt nunc apud latinos in vſu eſt, appellát. Quin Epicharmus cubito ferire κυβιτίζειν, hoc eſt cubitiſſare, verbum è verbo transferendo, appellat. oſsium verò brachij quod ſubijcitur Cubitus, ſupra poſitum Radius eſt. hæc ad
D Brachiale protenduntur. poſt quod lata pars & compacta, Palma latinè, græcè Metacarpion, Tarſusque nominatur. ſequuntur Digiti. Manus totum illud eſt, quod ab humero pendet, & extremum, quo apprehẽdimus. Ex digitis Magnus Pollexq; eſt ab alijs ſummotus: alter Index inter quatuor primus. tertius Medius vocatur, quartus Annularis, vltimus Paruus. ipſorũ oſſa Scuticulæ, & Phalanges, & Internodia. primi articuli Procondyli gręco vocabulo, (latino .n. carent:) medij, Condyli: poſtremi, Metacondyli. vnguium initia Radices vnguium vocantur. internę digitorum ſummitates Acini & Vertices. carnoſa pollicis pars ſub manus cauo inſurgens Stethos
E græcè nominatur. quod apud latinos Pectus ſonat. ſpatium, quod inter indicem, pollicemque intercedit, carnoſumque eſt, ſub quo manus in cauum ſubſidet, Thenar dicunt: Hypothenar verò, quod

ſub quatuor digitis eſt. ſed omnem manus interiorem latitudinem Thenar Hippocrates vocaſſe viſus eſt. id apud latinos Vola ſignificat. A

De Thorace & eius partibus. Cap. XI.

A Iugulis pectus in priore parte eſt. medium autem, in quod coſtæ ſubeunt, Sternon vocant Græci, Latini Os pectoris. ab auerſa colliparte ad metaphrenon vocatum vſq;, Tergum eſt. Metaphrenon inter tergum lumboſque, vbi renes adhæreſcunt, locatum eſt. Lumbi verò dorſi vltima pars ſunt. carneæ in pectore eminentiæ Mammæ, atque Vbera vocantur: mammæ extrema pars, Papilla: B primum verò in pubeſcendo incrementum, Faba dicitur. totum autem tumorem Græci Aſcoma vocant: latinè Vtrem, ſiue Vber dicito. ſed in mulieribus magis propriè Latus, illud totum quod ſub ala eſt, appellatur. oſſa verò Coſtæ: inter ipſas ſpatia, Intercoſtalia nominantur. Spuriæ coſtæ ſunt, quæ ad pectorale os non perueniunt. Sub pectore cauum Ventriculi os dicitur: quod alij Procardion, quaſi latinè Præcordium, nonnulli verò Cor appellarunt: doloreſque ibi orientes, cordis morſus, cordiſque dolores eſſe dixerunt. Spuriarum coſtarum extremitates Cartilagines ſunt. Muſculoſæ autem partes ſub cartilaginibus collocatæ Hypochondria græcè, ac C ſi dicas Subcartilaginea, latinè Præcordia à quibuſdam vocantur. Aluus ac venter ſiue aqualiculus deinceps locatur. Epigaſtrion græcè ſuper ventrem poſita cutis appellatur. Eius media cauitas Vmbilicus eſt, venarum, per quas infans alitur, ſegmentum. vmbilici pars media, Acromphalon à Græcis vocatur. cutis vmbilicum ambiens, quoniam corrugata ſenectutem ſignificat, Vetula appellatur. ſub vmbilico Abdomen eſt, & ſumen. huic continua vſque ad pudenda pars Pecten atque Pubes dicitur: alij Ephebæon vocant.

De genitalibus marium, & eorum partibus Cap. XII. D

GEnitalium porrò membrorum, quæ in maribus ſunt, propendens particula Colis, ac Stema eſt: quæ autem nō pendet, Sedimentum, Collumque veſicæ. lineam per medium diſcurrentem apud Græcos alij Tramida, alij Orrhon appellarūt. colis extremitas Glans eſt. cutis eā tegens Præputiū præputijq; extremū, Summū præputij. cauernula verò, per quā ſemen, vrinaq; profunditur, Vrethra Vrinariumq; iter nominatur. Vretera autē ne dicito: Vreteres enim alij ſunt: per quos ſcilicet à renibus in veſicā vrina delabitur. Scrotū ea cutis eſt, qua Gemini inuoluūtur. Geminos autē aut Teſtes appellare nihil intereſt. Geminorū quod ſupra eſt, Caput: quod infra, Fūdū E vocatur. pars ſcroti laxior Laccopedō græcè, à quibuſdā Achichadaron, ab

A ron, ab Athenienſibus Laccoſchea nominatur. inter ſcrotum, & ſe- dimentũ, & femur locũ Plichada vocãt. Et tranſire Græci διαπλίσσειν & id, quod eſt circum, Amphiplix enunciant. Sophocles verò & in Draconib. hoc verbo vtitur dicens, cardinem circum comprehendẽtem. perinde ac ſi dixiſſet, circumplexum cardinem.

De muliebribus Genitalibus. *Cap. XIII.*

MVliebris autem pudendi quod ſupra eſt, Pecten dicimus. id ti iangulum eſt, & imi ventris terminus. ab alijs Epiſion appellatur. pudendi rima Schiſma à Græcis dicitur, ſciſſuram latinè interpretamur. B muſculoſa in medio caruncula Nympha & Myrton, ab aliquib. Hypodermis, ab alijs Clitoris nominatur. laſciueque eam tractare κλιτορίζειν dicũt. Myrtochilas verò vtrinque poſita carnoſa corpora. cæterùm hæc Euripho & Cremnos, id eſt Rupes vocat. Sed noſtræ ætatis medici Myrtochilas Pterigomata (quaſi alas dixeris) appellant, Myrton verò Nympham.

De Dorſi oſsibus *Cap. XIIII.*

DOrſi oſſa vertebræ ſunt: quas etiã Homerus Aſtragalos, id eſt, talos vocat. tota autem vertebrarum compago ſpinam conſtituit. Extremum lumborum Os ſacrum eſt. id ab aliquibus etiam C Hypoſpondylon, quod Subuertebrum latinè verteris, dicitur. Eius vltimum oſiculum Coccyx, id eſt Cuculus eſt.

De Reliquis vſq; ad inguina partibus. *Cap. XV.*

SVb coſtis molles partes à Græcis Leparæ & Ceneones, à latinis Ilia vocantur. Deinde ilium oſſa, quorum excauata capita Heminæ & Acetabula. Clunes autem ac Sedilia poſt lumbos carnoſæ partes quoniam illis ſedendo nitimur: ab alijs Nates dictæ ſunt. Sub quibus Hypoglutides ideſt Subnatales vocatæ iacent.

D *De partibus ab inguinibus vſque ad extremos pedes.* *Cap. XVI.*

INguina femorum priores partes ſunt propè pubem poſita, neruus autem ad acetabulum pertinens, ac totus articulus Coxẽdix dicitur. Femorum internæ partes Parameria Græcis, Femina Latinis ſunt. Inter fœmina autem loca Meſomeria græcè Interfeminia latinè dicito. Muſculi genibus inhærentes Epigunides, quaſi Geniculares dixeris, vocantur. oſſi autem ſuper genu poſito Epigonatis græca appellatio, latina, Patella eſt: Hippocrates verò Epimylida vocauit. Genu articulus eſt Femur cruri committens. Poples poſte- E rior pars eſt, in quam genu inflectimus. Gaſtrocnemia græco nomine magnus muſculus eſt, latinè ſura: vnde latus neruus oriens, ad ad calcem tendo factus adhæreſcit. Oſium verò cruris quod poſterius eſt., Sura quoque dici poteſt: prius autem, Tibia. Sed Herophi

lus Suram Radium etiam appellauit. vtriusque ossis extrema pedi A
inserta Malleoli sunt. Tali verò non rectè vocantur. Verùm & humanus pes Talum sub malleolo abditum, non conspicuum habet. Calx postremum pedis rotundum est. Planta & Tarsus pars prior & ampla est. Stethos verò, id est, latinè Pectus, pars inferior post Cauum vnde nascuntur digiti, vocatur. Istos autem perinde, vt manus digitos appellare, aliaque manuum digitis communia recensere, nihil est, quod impediat.

De Interiorum membrorum appellationibus Cap. XVII.

IGitur quæ oculis aperta sunt, ô fili, subiectaq; his ossa in hunc mo B
dum nominare decens est. Modò interiora corporis membra Simiam dissecantes proprijs nominib. illustrare tentabimus. quandoquidem, ipsa ossibus musculis, extis, arteriis, venis, neruis ad naturá hominis proximè accedit: Secundò alia multifida: Tertiò ex bisulcis vtrinque dentata. Nō vtrinque dentata, ac solidipeda longissimè ab hominis similitudine summota sunt. Quòd si aliquid de membris interioribus exteriora tradentes memorauimus; idem bis repetere vlterius opus non fuerit.

De capitis tunicis, ossibus, ac suturis. Cap. XVIII. C

ASpice itaque sub caluariæ cute tunicam. hanc Pericraniō, quod Cranion, hoc est, caluariam obuoluat, Græci vocant. Quam verò alia ossa ambientem tunicam videris, hanc Periostion, latinè circū ossalem verbum verbo reddens appellato. qua ossa caluariæ committuntur, Suturæ sunt: quæ duarum serrarum compagem imitantur. Earum vna quidem rotunda est, syncipútque circuncidit: altera occiput: tertia medium verticem diducit, quibusdam etiam hæc syncipitis suturam transiens, frontemq; ipsam secans, inter supercilia terminatur. binæ aliæ in temporum ossibus in squammarum modum totis oris paulatim extenuantur. Ipsis quidem vetusta nomina de- D
sunt, sed nuper â quibusdam Aegyptijs medicis græcam linguá malè doctis imposita sunt. syncipitis suturam Coronariam, occipitis Lambdoidē, id est lambda græcè literæ similem, mediam verò coniungentem appellantibus. temporaneas etiam suturas Lepidoides â squammarum similitudine vocauerunt. ijdem & aliorum ossium partibus ab antiquis innominatis nomina indidere: quæ ego, vt alijs nostri sæculi medicis innotescant, non prætermittenda iudicaui.

De quibusdam Capitis ossibus. Cap. XIX. E

INter caluariæ ossa meditullium Diploen nominant. vbi verò nasi initium est, crebra ibi foramina Ethmoide, hoc est cribri seu coli speciem.

A speciem referentia vocantur. per ea indubiè sternutamentum, mucusque propellitur. Nonnulli & hac parte nos in cerebrum spiritũ attrahere confirmant. Proxima auribus ossa ob firmitudinem Lapidea nomen habent. ab vtroque autem latere singula ossa dura, fistbal bidaque sunt, magnitudine caput maximi manus digiti æquantia: per quæ auditoria itinera † seruantur. Alij procliues occipitij processus Lapideos appellant. idque non rectè. inanes enim & cauernosi, & minimè solidi nomini non respondent. Ab auditorijs autem meatibus ad malas pertinentes processus Iugalia ossa nuncupãtur. † perforata sunt.

B

De Musculis quibusdam, & processibus in capite. Cap. XX.

MVsculos caua temporum replentes Temporaneos: qui inferiorem maxillam amplectuntur, Mansores vocant. Tenues illi & oblongi, deorsumq; versus fauces vergentes processus Stiloides à columnæ similitudine dicti sunt. Eudemus autem: ipsos gallorũ rostris assimulat, ac sine appellatione relinquit.

De Foraminibus caluaria Cap. XXI.

FOramina permulta caluariam excauant: quæ omnia duobus exceptis, quæ Cœca appellantur, nomine vacant. inter se autẽ C medici altercantur, vtra nam hoc nomine appellanda sint: num illa, quę prope maximũ caluarię foramẽ adiacent, per quod spinę medulla in vertebras delabitur: an illa, quæ propè auditorias cauernas, & paulò prius iuxta maxillæ articulos sunt. Sed neque illa, neque hęc adeo cœca sunt, quin ea in magnum spinalis medullæ cauum peruadant, hæc sub foramina cribrum repræsentantia subeant: ac per ipsa omnia nerui transire conspiciuntur: de quibus in diuisionibus sermo habebitur: verùm ideo ipsi Cœca dixisse visi sunt, quòd non in rectũ excauata esse cernantur.

D

De cerebro, Membranis, Neruis, Spinalique medulla. Cap. XXII.

INtra caluariam Cerebrum continetur. id membranę circumuoluunt, altera crassior robustiorque ossi proxima: tenuior altera, & firma quidem, sed priore minus, quę cerebrum contingit. Summa cerebri pars Varicosa appellatur. inferior atque posterior Basis, à basi oriens processus Parencephalis græcè, latinè Cerebellum. Ipsius cauernæ cerebri ventriculi ventriculos interius obuoluens tunica Choroides, hoc est, secundis similis cognominatur. Gerophilus autem & membranam Choroide, id est, secundis similem appel-
E lat. Germina à cerebro enascentia, Nerui sensorij electorijque sunt: per quos sensus, & voluntaria motio fit, omnisq; corporis actio perficitur, horum autem neruorum quidam à spinali medulla, & ex ipsa

cingente membrana expullulant. Dorsalem verò spinalemq; omnē A
pariter per vertebras defluentem medullam nominant.

De Oculis. Cap. XXIII.

OCuli tunicarum primam inter extima, conspicuaque membra
cornicularem superius nominauimus. secunda Rhagoides atq;
Choroides gręcis vocabulis dicitur. qua parte corniculari subijcitur
Rhagoides: quòd exterius læuore, interius aspritudine vuæ acino,
quem Gręci Rhaga dicunt, fit persimilis. qua verò albam tunicam subit, Choroides vocatur: quoniam venulis referta secundas quas vocant, fœtui circundatas repræsentat. Deinde tertia humorem à vitri
similitudine Hyaloidea vocatum continet. hæc antiquo vocabulo B
propter tenuitatē Arachnoides appellata est: latinè Aranealem dicere ausim. at quoniam Herophilus eam reti contracto assimulat, nō
nulli & reticularem: alij ab incluso humore, qui vitri gerit similitudinem, Hyaloidea nominarunt. Quarta membranula guttam quandam humoris Crystalloidea nominatā includit. hæc antiquitus nomine caruit, à posteris Lenticularis ob figuram, Crystalloides ab cōtento humore cognominata est.

De prima & secunda colli Vertebra, Osse ypsiloide, Gula, Tonis, Aspera Arteria, Gutture, & Bronchijs. Cap. XXIIII. C.

PRimam colli vertebram Dentem appellare mihi videtur Hippocrates. Sub tonsillis osiculum gutturis caput cōtinens quidam à figura ypsiloides appellauerunt, quod ypsilo græco elemēto
sit persimile. Cæterùm Herophilus, quoniam tonsillis assideat, Assessorem vocat. Secundæ vertebræ processus sursum, ac prorsum versus spectans Pyrinoides ab oliuæ nuclei similitudine dictus est. Iter
illud, per quod cibi potionesque in ventriculum descendunt, græcè
Stomachus, & ęsophagus, latinè Gula est. Nerui ab vtroq; eius latere
Toni, cęteraq; sensoria, atq; vibrosa pariter Toni dicuntur. Tenores D
in latinū vertere liceat. Asperæ arteriæ summum Guttur est. anuli
ad eius plexum creati Bronchia, Cauernæ, & Aortæ nominantur.

De Cordis partib. membranisq; Pectoris. Cap. XXV.

CAloris vitæ, arteriarumque motus initium cor est eius summa
pars Caput dicitur, infima & acuta fundum. cauitates ventriculi, crassior & læuus Arteriosus est, tenuior & dexter Venosus, lęuo
capacior. ab vtroq; autē capitis latere ceu alæ prominentes, cauę molles, & ad totius cordis motū agitabiles, cordis Auriculę sunt. Cor circumplexæ membranę Pericardios nomen inditum est. Ex membranis pectoris quæ ipsū in duas diducunt partes, Intersepientes appel- E.
lantur: quę costas interius vestiūt, Succingentes. Membrana, quę pectoris viscera ab inferiorib. disiungit, Trāsuersum septū, & Phrenes

De

A *De Glandulosis carunculis.* *Cap. XXVI.*

EX glandulosarum carnium genere, quas Adenas Græci vocăt. (multæ autem sunt,) aliquæ in collo, nonnullæ sub alis, quædam in inguinibus, aliæ in mesaræo vocata reperiuntur. Carnes quædam leniter suppingues ac fragiles sunt. inter has & vocatus Thymus numeratur: qui in regione capitis cordis locatus est, septimæ colli vertebræ insidens, asperæque arteriæ extremo, qua cum pulmone committitur, adhærescens. non in omnibus tamen inuentus est.

B *De Ventris inferioris partibus.* *Cap. XXVII.*

SVb transuerso septo Venter est. cuius summa pars, primaque Ventriculi nomen habet. deinde primus intestini exortus Hostiarius latinè, seu Ianitor, græcè Pyloros est. postea Ieiunum intestinum semper alimento priuatum: vnde ipsi quoque vocabulum fuit. isti continuum Gracile intestinum est. Ex gracili biceps prodit exortus. vocatur autem altera eius pars Cæcum intestinum, quoniam reuera cœcum est: altera Colon græcè, & Venter inferior, & Laxum intestinum à latinis. id Homerus & Niæram appellat. Est autem totum intestinorum vinculũ ac firmamentũ, quod, Mesenterion, ac C Mesareon Greci vocant, Aream verò & ventrem, & omne intestinũ vetustissimi Græci appellabant, ex quo adhæc vsque tempora hoc nomen Mesaræon deriuatum est, latini Lactes appellasse videntur. Post grande intestinnm colon appellatum Rectum est iuxta sedem ac principem. Quod ex orbiculato ventriculi fundo egerminat, ipsũq; & aliquam cæterorum intestinorum partem velat, Epiploon Græci, quasi Supernauigans, Omentum latini vocant. A renibus exoriens membrana, omnibusq; prætenta intestinis Peritoneos est. At propè intestini primum exortũ posita caro præpinguis, glandulisq; D interstincta Pancreas vocata est.

De Iecore, & in eo contentis. *Cap. XXVIII.*

A Dextra ventriculi Iecur est. Iecoris autem pars Transuersum septum, Peritonæumque attingens conuexa, quæ infra ventriculo inhærescit, Caua dicitur. Sub maxima eius fibra bilis vasculum situm est, cuius media & angusta particula Ceruix est, infima Fundum. Iecoris Porta vena est, per quam alimentum illabitur. Quę in sacrificijs autem aruspices Portas, Mensam, Gladium, & Vnguem appellant: in homine quoque, sed obscura atque incerta reperiuntur: ad nullumque medicinæ profectum necessariò nominantur.

E *De Liene, Renibus, Vesica, Vrinarijs, Seminarijsq; vasculis.* *Cap. XXIX.*

VEntriculo à ſiniſtra Lienis incumbit, cuius craſſiſſima ſum- A
maq; pars Caput eſt. propè vltimas autem coſtas Renes duo
ex quibus duo vrinæ ductus Vreteres græcè appellati veſicam in
trantes prodeunt. Veſica verò conceptaculum eſt, in quod vrina è
renibus per vreteres delabitur, à veſica eſt Ceruix, Sedimentum,
Tramis, & reliqua commemorata ſuperius. At ſeminaria vaſcula qua
tuor ſunt, duo varicoſa, duo glanduloſa: quæ Genitales etiam venę
vocatæ ſunt. varicoſorum partes illæ, quæ teſtibus adiacent Aſſeſ-
ſores dicuntur. Quidam verò omnia Aſſeſſores appellari nihil labo-
rant. Cæterùm an hæc eadem in fœminis perinde, vt in maribus,
conſtituta ſunt, contemplandum eſt. Fœminas varicoſis aſſeſſori- B
bus carere Herophilus planè exiſtimat, nos verò in pecudis vtero è
teſtibus enata vaſcula, atque vtrinque varicis inſtar reuoluta con-
ſpeximus. hæc autem in vteri cauum perforata ſubibant: è quibus
mucoſus quidam humor, ſi quis exprimeret, emanabat, magnaque
erat ſpes hos ſeminarios eſſe canales, & eorum generis, qui varicoſi
nuncupantur. id autem vt ſe habeat, diſſectiones ſeorſum declara-
bunt.

De Muſculis Lumborum. Cap. XXX.

INtra lumbos muſculi Pſoæ græco vocabulo nominantur: qui ſo C
li etiam in dorſo lumbis agnati ſunt. Iſtos aliqui Vterales neruos
alij Vulpes cognominant. atque in libro Cnidiarum ſententiarum
nomen iſtud ſcriptum eſt. Si renum autem morbus vexat, notæ hæ
ſunt, ſi lotium craſſum purulentumq; ſit, ſi dolor lumbos, ilia, ingui-
na, ſumenq; torqueat, tum verò & vulpes malè habēt. Vnde iam cō-
ſtat, quanti iſta ſcire interſit: quò ea, quæ ſic cognominantur, agno-
ſcas. Clitarchus exteriores dorſi muſculos Pſoas, Vterales neruos,
ac Vulpes appellari falsò opinatur.

De Genitalibus fœminarum locis. Cap. XXXI.

GEnitale autem mulieris membrum græcè Metra & Hyſtera, D
latinè Vterus Vuluaque vocatur. Hippocrates & Delphyn &
Genituram dicit. Eius ſurſum verſus vtrinque proceſſus Cornua &
cirri ſunt ipſam exterius ſuſtinentia vaſa. medium atque ſupremū
fundum eſt. quæ vtrinque ſunt, Humeri: eius extremitas Ceruix,
atque Collum colli Hoſtium primus meatus: Hippocrates græcè
Amphidion à rotundi ferri, quò præfiguntur aratra, ſimilitudine vo
cat. deinde cauum, quod ſequitur, multis appellationibus exprimi-
tur. muliebris enim Sinus dicitur, muliebres loci, Vterus, ac Vul
ua. Sed totum genitale cum exterioribus Pudendum, obſcœniori- E
que vocabulo Cunnus.

De teſtium tunicis. alijsq; partibus. Cap. XXXII.

At

A AT circa testes tunicæ sunt latinis carentes nominibus, à Græcis autem Erytroides vna, Dartos altera nominatur. neruus quoque cum arteria concauus ad testem peruenit, qui Suspensor à nostris dici potest: Cremastera Græci nuncupant. venulæ pariter ad testes, vnde nutriuntur: hæque testium Altrices nominantur.

De venis. Cap. XXXIII.

ALiarum quoque venarum nomina.(vt semel dicam,) hęc sunt si gracilem tunicam habent, sanguineq; complentur, Venæ sunt. omnes verò magnæ venæ Ventres appellantur. postea inter B medicos vsus obtinuit, vt ea vena, quæ à iecore in renes propagines mittit, Caua diceretur. in ea Praxagoras initiū esse febriū affirmauit: solamque eam Cauam ipse nominauit. Cæterùm alij & eam, quæ sursum in cor per transuersum discrimen euadit, alij & hanc, & priorē vnico vocabulo Hepatitin, (latinè Iecorariam dixeris,) vocitant. à liene exeuntem Splenit, in, idest, Lienariam. Cæterùm non, quemadmodum in iecore, ita & in liene sursum versus, deorsumque in sinistra parte discurrens vlla vena reperitur. qui verò id asserunt, impudenter mentiuntur: quandoquidem venulæ in lienem pertinentes & graciles sunt, & ibidem in liene finiuntur. Philistio Italus medicus pro Doriensium eam partem incolentium more quasdam ve- C nas, quæ per tempora in caput ascendunt, Aquilas vocat. venas à corde illicò nascentes Dracontidas Hippocrates nominat. Herophilus venam crassissimam grandissimāq; ex corde pulmones petentem Arterialem appellauit. in pulmonibus enim contrà, atque in alijs, res habet. nam venæ in his validæ sunt, proximeque ad arteriarum naturam accedunt: arteriæ contrà imbecillæ venarumque naturam sapiunt. Omnium autem quos nouerim, primus Dionysius oxima chi Efflorescentiam, græcè Epanthismon nomen nouum adinuenit. atque Eudemus Efflorescentiam venam appellari. Sed mihi quidem Dionysius rem venæ similem efflorescentiam, neque idem ve D nam atque efflorescentiam, sed quoddam aliud aduentitium sanguinis receptaculum vocare visus est: idque ipse ita esse testatus est eodem loco sæpius venam, efflorescentiam, arteriamque inculcans, ac repetens. neque enim, si rem eandem venam efflorescentiamq; putaret, ita vnquam locutus esset. nam etsi nihil aliud efflorescentia, quā vena est: nihilominus ipse aliter sensit, atque appellauit.

De Arterijs. Cap. XXXIIII.

E ARterijs præterea vetustissimi Græci Venæ nomen imposuerunt: cumque venas micare dicebant, arterias intelligebant. Arteriarum enim micare, seu palpitare munus est. Eas iam aortas *Venarū vocabula.*

& spirabilia vasa, & cauernas, & inanitates, & neruos appellarũt. Aortam verò eam pręcipuè Aristoteles vocat, quæ per dorsum omnium maxima fertur. hanc Crassam Praxagoras appellare consueuit. Cauas autem per collum subeuntes Carotidas, id est, Somniferas antiqui nominarunt. quoniam compressæ hominem sopore grauabant, vocemque adimebant. Cæterùm nostro sæculo non arteriarum, sed neruorum sensoriorum propè iacētium id vitium esse compertum est. quare si nomen permutare volueris, nihil peccati admiseris. A

De Neruis Tendonibus, Cartilaginibus, Mēbranis, Tunicis, Adipe, Carne, atq; Medulla. *Cap.* *XXXV.* B

NErui à cerebro, spinęq; medulla prodeuntes Actiui, Sensorij Electiui, atque Toni: qui circa artus sunt, Copulatiui dicuntur, crassæ autem ex occipitio propagines, quæque ad calcem è musculo nascentes feruntur, Tendonis vocabulum habent. Cartilagines sunt, in quas ossa degenerant, neruis duriores. Membranæ tenuia sunt velamenta. Tunicæ, crassiora. Adeps pinguissima est alimenti concretio. Caro autem in visceribus illud est, quod inter vascula cōcretum reperitur, subtegmen quoddam, ac veluti receptaculorum texturæ fartum: quò inania eius spatia compleantur. In musculis Caro pars fibrosa ac firma est, & quæ in vlceribus, ossiumque cauis recens concrescit. Medulla verò in dorso Dorsalis, in vertebris Spinalis, has etiam ambiens membranula Spinalis dicitur. Medulla intra caluam contenta cerebrum est: Sed in alijs ossibus Ossalis vocatur: siue in magnis insit cauis, vt in femore atque humero, siue in angustis foraminibus quas Serangas, id est, cauernas, vocant: vt in costis ac iugulis. C

De Humoribus Excrementisque corporis. *Cap.* *XXXVI*

SAnguis calidissimus est, flauissimusque succus. Pituita album crassum, ac subsalsum excrementum est: quod cum resiccatur, nigrescit. Bilis flaua amarum est, ac flauum excrementum. Porracea acris est, atque subuiridis: Aeruginosa verò est valde mera, atque syncera. Atra bilis autem Sanguinis crassamentum est. Alij nigrum sanguinem atram esse bilem asseuerant, Reliqua excrementa huiusmodi sunt: Saliua quidem oris est humiditas, Mucus salsum est cerebri purgamentum. Sudor est per omne corpus effusa humiditas, Vrina est nitrosus humor in vesicam delabens, Flatus est in intestinis superuacuus spiritus. Cypselis sunt aurium sordes, quas Cerumina, aut Marmorata veteres Latini appellitabant. Menses in mulieribus sunt menstrua per vuluam sanguinis excrementa: quæ cū alba sunt, non menses vltra, sed Profluuium nominatur. Lac est in mammis alimenti concoctio. Semen, græcè Sperma, Thora, & Gonos, D E

A nos hoc est, Genitura idem significant. id verò est spiritus simul atq; alimenti genitalis in assessoribus concoctio. Praxagoras peculiari quodam modo succos nominauit, Dulcem, Temperatum, & Vitreum. hos secundum pituitæ speciem sic vocauit: item Acidum, Nitrosum, Salsum, & Amarum. hos ita, vt gustatus iudicat, appellauit. alios præterea Porraceum quidem ex colore, Vitellinum verò ex crassitudine: alios quoque Abrasorios, quoniam ad rasuram parant: alios Stagnantes, quòd in venis inhæreant, neque in carnem subeant, quia † tenues, intra venasq; absorpti quiescunt. in summa omne liquidum Praxagoras Chymon appellat. At Mnesitheus quod liqui-
B dum est, Chylon, idest, Succum nominat: Sed gustatilem qualitatem siue in arido, siue in liquido positam Chymon, idest, Saporem vocat Calorem autem atque spiritum Zeno idem esse censuit. Sed medici distinxerunt, Spiritum, quem spirando trahimus, Calorem autem spiritus elisionem appellantes. Alij vitę quoddam principium calorem esse dixerunt.

De Fœtu, & ad eum pertinentibus. *Cap. XXXVII.*

FOetus membranis inuoluitur: quarum tenuem ac molliorē Amnion vocat Empedocles, Agninam latinè dicito. Inde & Hilithya
C quæ partui præest, Amnias mihi agnominari visa est: non à Cretę, vt alij existimant, quodam portu. Nos hanc tunicam dissecantes, humoris cuiusdam longè illo, qui in secundis continetur, mūdioris plenā inuenimus: accurateq; æstimantibus veluti quidam fœtus sudor videbatur. per vrinaculū verò humorem quendam in secundas instar vrinæ transfundi cognouimus. Sed Amnius interior fœtui, Secundę exterius vuluæ breuis atque venosa tunica adhærebant. è secundis Vmbilicus oritur ex duabus venis totidemque arterijs compositus & ex quinto appellato Vrinaculo, breui vasculo, vtrinque cauo, è vesicæ fundo in secundas intrante.

D Plurima in homine reperta huiusmodi appellationibus insignire oportet. quòd si quid in his omissum fuerit, non ideo tamen plurima ob pauca quædam conniuentibus oculis præterita aspernari conueniet.

RVFFI EPHESII
DE PARTIVM CORPORIS HVMANI APPELLATIONIBVS

Alter Liber primus.

IVNIO PAVLO CRASSO PATAVINO INTERPRETE.

Quæ in hoc libro contineantur.

Quæ ſit libri neceſsitas. *Cap. I.*



Iquis fidibus canendi artem doceri cupiat, ante omnia fides peritè tractare, ſingulasque proprijs nominib. appellare diſcat, neceſſe eſt. Grammatiſtæ ante legendi, cæteræque doctrinæ ſcientiam, elementorũ nomina pueros ſimiliter prędocent. nec non in Geometria, quid linea ſit, quid ſuperficies, quid planum, quid figura triangula, quid circulus, id genusque alia, quoque ritè nomine appellentur, prædiſcere opus eſt: in alijs itidem artibus prænotiones vocabulorum ſimiliter edocent. Medicam itaque artem capeſcere optantibus elementa prius tradere perquàm neceſſarium eſſe duxi: vt quæque videlicet corporis pars rectè

A rectè nominanda sit. quandoquidem diuinissimus Hippocrates in libro, qui inscribitur, De locis in homine, ita loquitur. Corporis autem natura sermonis in medicina principium est. Nos igitur etiam à simplicioribus exteriusque aspectui subiectis exorsi eorum prænotionem appellationesque trademus.

Quæ sint maximæ corporis partes. Cap. II.

MAximæ corporis partes Caput, Collum, Thorax, Manus, Cruraque sunt. Thoracem non solum à iugulis ad præcordia vsque sed totum à iugulis vsque ad genitalia vocamus.

B *De Capite, eiusq́; partibus vsq; ad nasum. Cap. III.*

CAput, quod capillis intectum est, simul etiam cum facie & alia sic appellantes comprehendimus prior capillata pars Synciput dicitur: in quo & sutura est, quoniam ipsi coronas circumponimus, Corona vocata. posterior occiput. partes ab vtraque syncipitis parte Tempora. pars media qua maximè conuoluuntur capilli, Vertex, sub syncipite Frons sita est. in temporibus pilorum exortus Iuli græco vocabulo, latinè Lanugo: posteriores occipitis pili à græcis Chætæ, à nostris Crines dici possunt. vltimam frontis rugam Episcenion græci dicunt, quod Supertentorium nostris sonat. partes frontis pilis hirtæ Supercilia sunt: horũ media intercapedo Mesophryon apud
C græcos est Romanis Glabella. inde Nasus porrigitur.

De Naso & alijs faciei partibus vsq; ad labia. Cap. IIII.

NAsi extremum Globulus dicitur. quod nasum in duas cauernulas distinguit, Intersептum. à globulo carnosum quoddã in labium descendens. Columna est. nasi caua ab vtroque intersepti latere, per quę olfactus præstatur, Nares vocãtur. nasi Alę, seu Pinnæ huiusmodi caua ambientes sunt sub columna subsidens cauitas supra labium Philtron græcè, latine Amatoriũ dicitur. totum verò, quod infra nasũ supra labia est, Hyporinon appellãt. deinde Labia duo, quo-
D rum summa Prochila Gręci dicunt. tu Prolabia si lubet dicito. quà committuntur autem, Prostomion est.

De Oculorum partibus. Cap. V.

SVb supercilijs Oculi sunt. quæ oculos contegunt, Palpebræ sũt. harum altera suprà, altera infrà est: quarum in conniuendo congressus Tarsos vocant. pili ex palpebris enati Cilia sunt. Tarsorum extrema Anguli magnus naso, exiguus tempori finitimus. Coræ pupillæ seu visiones sunt: Glenæ oculorum media, per quæ vide-
E mus. Alij visionem id vocant, quo videmus, Coram autem & Glenam simulacrum in pupilla conspicuum. post hæc autem quæ sunt nigra cæsia, aut splendida à calore nominantur. Iris circulus est præ

dicta albo continuans. Sub oculis loca Hypopia grecè, latinè Sub- A
ocularia sunt.

De Malis, Maxillis, & Mento. Cap. VI.

His insurgentes eminentiæ subiacent Malæ vocatæ: quæ per pudorem erubescunt. sub his Maxillæ, seu Mandibulæ. quarum interioris extremum in acutum desinit, Mentumque est. à quo vsq; ad inferius labium os fit rotundum, atque prominens. sub mento carnosa pars à Græcis Anthereon, seu Leucania dicitur. verùm alij Anthereona hanc partem, Leucaniam verò cauitatem iuxta iugulũ appellant. B

De Auriumpartibus. Cap. VII.

AVriculæ eminentiæ sunt ab vtroq; tempore iuxta extrema collocatæ: quarum cauernulæ Meatus Auditorij vocantur: per quos audimus scilicet. harum pendulæ carnosæque partes Fibrę sũt superiores cartilaginosæque Pinnæ. Helices, quę deinde circunferẽtiam ambiunt: Anthelices verò in medio post helicem extumescentes propè cauitatem particulæ. cauitas ipsa post Anthelicem Concha dicitur: Conchæ opposita propè temporis finem elatio Tragus, idest Hircus vocatur: huic opposita pars crassioris anthelicis Antitragus. C

De Ore, & in eo contentis. Cap. VIII.

OS est prima labiorum diuisura, & reliqua omnis vsq; ad fauces inanitas. in ore & alia quædã, & dentes sunt: quorum priores octo Incisores dicuntur: Canini hos sequentes quatuor. reliqui omnes viginti Molares sunt. horum extremi atque interius conditi, quatuor Sophronisteres, id est, Moderatores ac Temperãtes nuncupantur: qui tum, cùm sapere incipimus, oriuntur. Genuinos latini vocant. dentes circumplexæ carunculæ Gingiuæ sunt: quarum commissura Habena dicitur. latæ molarium dentiũ summitates Mensæ D nominantur: maxillarum cauitates, in quibus dentes defixi sunt, Mortariola atque Præsepia. Linguæ exortum radicem vocato: Ceruicem, quod sequitur: eius summum Proglosson, quasi Prælinguiũ dixeris, eius latera Parasira, idest, assequentia. quod est infra linguam Hypoglossis est: Epiglossis, quod interius supra guttur est arteriæ asperæ tegumentum: quò inter deuorandum nihil in pulmones decidat: inter spirandum verò, ne spiritus ascensum impediat, extollitur. Quod supra linguam in orbem cauum est, Cœlum, Palatumue dicitur. quæ deinde superius pendet caruncula, Columella est E quam alij Gurgulionem, Vuam alij vocitarunt. ipsi subijcitur Arteriæ Asperæ caput.

De

De Collo, & eius partibus. Cap. IX.

A DEinde Collum & Dera græcè, cuius prior pars Bronchus, & Aſpera Arteria: Circa medium prominentia Guttur: auerſa pars Ceruix & Occipitium: propè iugula cauum Anticardium & Iugulatio nuncupatur.

De Epomide, Humero, Scapulis, Alis, & reliquis vſq; ad Extremam manum. Cap. X.

ATendone autem ad humeros pertinentia Epomides nominãtur. Humeri capita ſunt eorum oſsium, quę à Gręcis Brachiona, à noſtris etiam Humeri vocantur. Scoptula operta ſiue lata ſca-
B pularum oſſa tergo impoſita lata oſſa ſunt: quorum media eminentia Spina eſt. iugulorum latorumque ſcapularum oſsium copulæ Acromia dicuntur. continenter Claues adſunt, ſeu Iugula. Ala eſt ſub humeris cauum, in quod frequenter humerus luxatus delabitur. deinde Humerus eſt, qui Brachion à Græcis vocatur. articuli angulus, quo nitimur inclinati, Ancon eſt, ſiue Olecranon: latinè Cubitus. Quod ſequitur, Vlna, ſiue Lacertus ſiue Brachium eſt: quod brachiali terminatur. poſtea Palma: deinde manus Pectus, alij Hypothenatron vocant, ſub pollice eſt. poſteà eſt manus cauitas, quæ
C Vola nominatur. Ex digitis vnus ab alijs diſtans Magnus, Pollexq; dicitur. Index autem inter alios quatuor primus eſt, alter Medius, tertius Annularis, vltimus Minimus. horũ oſſa Scuticulæ, aut Phalãges, aut Internodia vocantur. quorum curuaturæ Condyli, ſed primæ Procondyli, vltimæ Metacondyli, omnes à latinis Nodi vocati ſunt. vnguium initia Radices vnguium appellantur. digitorum extrema Acini, aut Cacumina. interſtitium annularis ac pollicis Thenar eſt. Hippocrates autem totum hunc locum Thenar appellaſſe viſus eſt: qui apud latinos Volæ nomen habet.

De pectoris ac dorſi partibus. Cap. XI.

D AIugulis autem in parte priori Pectus ac Sternon eſt. Tergum verò poſterius à ceruice ponitur. Deinde quod appellant Metaphrenon, hoc eſt, pars è regione ſepti poſita. ſequuntur Lumbi pars dorſi infima. in pectore carnoſæ eminentiæ Mammæ ſunt, quarum ſumma Papillæ: totum, quod ſub ala deorſum verſus protenditur, Latus eſt. oſſa Coſtæ & Spathæ. quarum primæ inter ſe committuntur ad terminum oſsis, quod Græci Sternon, Latini Os pectoris nuncupant: qua cor ſitum eſt, Septũ tranſuerſum aliqui Phrenes, aliqui Procardiam, quaſi ante cor poſitum, aliqui Cor nomi-
E nant. poſt ipſum eſt ventriculi Hoſtium. inter coſtas ſpatia Intercoſtalia vocant. Spuriæ coſtæ ſunt, quæ non inter ſe coeunt. Hæ in cartilagines degenerant.

De Ventris, seu Alui partibus. Cap. XII. A

MVsculosę partes sub cartilaginibus Hypochondria gręcè, Sub cartilaginea latinè, à quibusdam Præcordia dicta sunt. Deinde Aluus est: quem alij Ventrem & aqualiculum nominant. quod in medio est, Epigastrion Græci vocant: super ventrem scilicet cutem. media cauitas, Vmbilicus est, et circumdata cutis Vetula vocatur: quòd ea corrugata senectam adesse significat. quod sub vmbilico ponitur, Abdomen ac Sumen est. quod posteà ad genitalia vsque pertinet, Epision, Pubes, ac Pecten dicitur.

De Virilis membri partibus. Cap. XIII. B

GEnitalium maris quod pendulum est, Stema græcè, Coles latinè, Penisque, dicitur. quod non pendet, Hypostema hoc est, Sedimentum, aut Perinæus. eius extremum Præputium est. Scrotum quo testes continentur, appellatur. eorum superior pars Caput est, inferior Fundum. partem laxiorem scroti Laccopedon dicunt.

De Fœminarum locis. Cap. XIIII.

MVliebrium locorum pars superior Pecten est: Fissum verò prima diuisio. in medio sita musculosa caruncula Myrton, aut Nympha est. Myrtochila verò à lateribus collocatæ pinnæ. C

De dorsi ossibus, extremisq́ eius partibus, Cap. XV.

DOrsi ossa Vertebræ sunt. vniuersa vertebrarum compago Spina dicitur: cuius infima pars Lumbi: postremumq; dorsi Sacrum os est: quod aliqui Hypospondylon, idest, Subuertebrum, vt verbum verbo reddatur, appellarunt. Huius extremum Coccyx est, latinè Cuculus. à lumborum lateribus Nates sunt. post lumbos carnosæ partes Clunes appellatæ sitæ sunt: quæ & Ephedrana, quòd sedendo commodę sint, à Græcis nominantur. D

De Inguinibus, crurisq́ totius, vsq́ ad extremum pedem partibus. Cap. XVI.

INguina sunt femorum principia. femorum partes interiores Femina sunt, quæ partes inter has perinæumque sunt, Plichades à Græcis dicuntur. Musculi ad genua tendentes Epigunides græco nomine vocantur: ossa superiacentia Epigunatides. hæc Hippocrates Molas vocat, latini Patellas. Genu est femoris cũ crure connexio: sub quo, qua videlicet inflectitur Poples est. Sura est posterior magnus cruris musculus: vnde Latus Neruus ad calcẽ tendit: ossiũ verò posterius item Suram, prius Tibiam dicito: extrema pedibus propinqua Malleoli, à nonnullis Tali, sed non rectè, dicuntur. Tali tamẽ E

tamen & ipsi adsunt, sed non oculis conspicui. Calx posterior est pedis rotunda pars: post quam Cauum pedis est. post hoc verò Planta, seu Vestigium. cui oppositum supremum Tarsus est. totum verò pedis situm Pezam Græci vocant. Pedum digiti manuum digitis appellationibus respondent.

RVFFI EPHESII

DE PARTIVM CORPORIS HVMANI APPELLATIONIBVS

Liber secundus

IVNIO PAVLO CRASSO PATAVINO INTERPRETE.

Liber secundus quæ contineat.

Libri continuatio, atq; propositum. Cap. I.



E

Posteaquàm extimarum corporis humani partium appellationes exposuimus, deinceps continuata serie ad latentium, internarumque notitiam transeamus: quippe cùm à viris sapientibus homo exiguus quidam mundus appelletur, cœlestis ordinis æmulus, in membrorũ

fabrica, actionibusque præstandis varium effectuum artificium A
possidens. quemadmodum igitur reliqua medicinæ præcepta, ita & quæ ad dissectionis artem faciunt, referenda sunt. Quam ob rem artis principia, ac veluti fundamenta illustrioris doctrinæ causa iacientes, quem situm membris natura tribuerit, eorumque simul nomina explicabimus.

De Cerebro, eiusque tunicis, & enatis. Cap. II.

ITaque in capite intra caluariæ concauum suis cum velaminibus cerebrum includitur: proque corporis mole longè maius in homine quàm in cæteris animantibus reperitur. eius substantia pulticulæ similis est, viscida atque præcandida. Post id in occipitio vocatum Cerebellum collocatur. Tunicarum prima caluariæ ossibus affixa est: quæ pulsatorio etiam motu cietur: altera cerebro circundata ipsum dissipabile conseruat, eiusque fragile corpus in vnum cogit ac retinet: vtraque neruosa membranosaque est, exiguo intersitorum vasculorum sensu prædita. interius condita motu caret, exterior mobilis atque crassior est. A cerebro medullæ processus exoritur per caluariæ foramen in occipitio erumpens: per vertebrarumque omnium caua ad extremam vsque delabitur, neque propria tamen substantia est, sed à cerebro emanatio, quæ Spinalis medulla vocatur. Meatuum verò processus sunt à cerebro neruosi ad singula sensoria, vt ad aures naresque, & huiusmodi alia propagati. vnus autem à basi prorsum versus in duos diuisus progreditur, & ad vtrumque oculum pergit: qua parte vocata Peluis est, atque instar foueæ iuxta vtrunque nasi latus faciei cauitas: vbi tunicarum oculum componentium plexus talis efficitur.

B

C

De Oculi partibus. Cap. III.

EArum tunicarum prima nimirum ab ordine Prima, à colore verò Candida vocata est: quemadmodum & cicatrices eius candorem indicantes ostendunt. Tunica igitur prima Candida vocatur. & Cornicularis, siue Cornea: aut propter firmitatem, ni am interius conditus humor per hanc tanquam per corniculum aut quo pellucet, aut quòd instar cornu in corpuscula Credonas vocata, id est, fibras aut filamenta resoluitur. Secunda verò primæ per appensionem vsque ad vocatam coronam adnexa est. quæ media dehiscit, atque orbiculari cauo perforatur: cauatum autem corpusculum exterius, qua corniculam attingit, læue tersumque est: in auersa parte asperum, (vt inquit Herophilus) quale vuæ acini corium esse solet, vasculis perplexa hæc tunica est: quæ Secunda ab ordine, Perforata à structura, à similitudine Rhagoides, latinè Acinalis, aut Vualis: Choroides etiam, quòd instar secundarum, quas

D

E

Chorion

A Chorion Græci vocant, vasculis sit multis irrigata, nominatur. Tertia ab eodem meatu progressa tunica humorem oui albo similem, Vitreumque appellatum includit. est hæc prætenuis, vocaturque ab humoris concretione Vitrea, à tenuitate Aranealis, à vasculorum contextu figuraque Reticularis: quippe quę ex angusto in latum diffunditur, sinuaturque: quò Quartam tunicam humorem crystallo similem continentem inuoluat, cuius dimidium prominet secundæ tunicæ foramini contiguum, dimidium cum araneali committitur. Hæc igitur tunica Discoides, id est, disco similis, aut Lenticularis à figura vocatur, aut à concreto humore Crystalloides. nempe quidā B hanc neque Tunicam appellandam esse censent: nam membranosā quandam congelationem esse dixerunt.

De his, quæ ore continentur. *Cap. IIII.*

DEinceps ad ea, quæ in ore latent, descendamus. Lingua primū turbinata figura consideretur, à lato in angustum gracilescens à faucibus radices ducens, carnoso & quodammodo neruoso corpore, in cibis atterendis deuorandisque mobilis: præterea & ad articulatæ vocis creationem emissum aerem secundum animi inclinationem conformans, gustatoriumque sensum participans. In huius ba- C si Epiglossis vocata exoritur, ceu quædam exigua lingua supra eius latitudinem assurgens, in faucibus ex latiore basi in angustum finiens, cartilaginea materia constans, secundum eam quā cū pharynge habet affinitatem. hæc asperæ arteriæ operculū, & ciborū in gulā descensus iter quoddam est. Supra epiglottida autem superne Columella dependet, ex palati partibus secundum eius foramina exoriēs hæc & Vua ab extremitatis rotunditate vocatur, nullam magni faciendam vtilitatem afferens. vnde fit, vt ea recisa nulla corporis actio vitietur. In penitioribus autem ab vtraque linguæ parte affixæ Tonsillæ sunt, numero sex, corpore glandulosæ, figura subrotundæ, natu- D ra facilè mutabiles, atque dissipabiles, membranulis quibusdam altius insertis conuolutæ. ex his quatuor ab vtroq; latere cernuntur, duæ verò cerni vix queunt. Has Græci vocant Paristhmia, quòd in angusto meatu sitæ sint. veteres enim Græci locorum angustias isthmos appellabāt. Antiadas verò, quasi contrarias dicas, iccirco etiā nominabant: quoniam ore aperto inter se contrariæ, præsertim quū inflammatæ sunt, appareant.

De Pharynge, idest, Aspera Arteria, & Gula & Pulmone. *Cap. V.*

E INde à palati ac linguæ partibus duo itinera patefiunt. horum prius Pharynx græcum vocabulū habet. inter hoc & colli vertebras Gula est. Pharynx cartilaginosus est, atque in orbem patens, superius latior, infra verò angustior. per iugula autem, appellatumque

Antisternon, ideſt, ſpinam dorſi, quæ pectori opponitur, deſcendẽs A
in medios pulmones inſeritur: ipſosque anulis, quæ Bronchia vocant, intexit. huiuſmodi membrum Aſpera Arteria, quòd iſtis anulis aſperata ſit, dici meruit: Bronchus etiam à quibuſdam vocatur, ad aeris inſpirãdo ducti tranſitum, vocemque edendum à natura cõſtitutus. De ipſo Pulmo ſuſpenditur laxus ac peruius, pectoris inanitate concluſus: Idem globoſus eſt, murisque caudæ figura ſpeciẽ repræſentans. in fibras quinque diducitur, colore cinereo atque ſub albido. aſsidua motione concutitur, follis morẽ in ſpiritus tranſitu retinens. quippe ſpiritus per aſperam arteriam in bronchia tractus per pulmonis ſpiramenta intra pectoris cauum elabitur: atq; iterum B
foràs ab hocper naturalia foramina propellitur.

De Iecore, Bilis conceptaculo, & venis Portis vocatis. Cap. VI.

AB vtrisque præcordijs Lienis Iecurque ſubiacent. ſub pulmone à dextris Iecur eſt, tranſuerſo diſcrimini magis appenſum, poſteriori parte in gibbum aſſurgens. in quatuor aut quinque fibras deſignatum colore lentis, ad rubicundius tamen vergit, venoſo corpore iuxta, atque ſanguineo. Venas autem, quæ cauæ per interſeptũ ad cor tendenti committũtur, Ora Portasque vetuſti ſcriptores nuncuparunt. ſub conuexa parte puſillum quoddam Vaſculum veſicæ C
ſimile affixum eſt, neruoſum, fellisque inibi geniti capax: à quo ſanè meatus quidam nerueus per lactes ad inteſtina contendit: per quem paulatim bilis in inteſtina delabitur, excrementaque felleo colore ſuffundit, atque ipſe depellendi cupidinem infert. Hoc intercluſo itinere aurigo futura portenditur bile per omne corpus effuſa. quocirca albidæ cretaceæque deiectiones exeunt. Eſt autem præferuidum, igneumque iecur, plurimum ad ſe alimenti attrahens, ac finitimis partibus communicans. iccircò ſiniſtris dextræ partes viribus præſtant.

De Liene. Cap. VII. D

AT Lienis iecori contrarius in ſiniſtris præcordijs iacens opponitur, ad humani veſtigij longitudinem protentus. ſuperius rotundus & robuſtus, infrà contractus & gracilis, medius anguſtior vini fæcis colore perfuſus, laxus ac foraminulentus, conceptaculis multis implicitus: ignauum membrum, nulloque fungens miniſterio.

De Corde, ab eoq; natis, & adiacentibus. Cap. VIII.

PVlmonis fibris Cor circumtegitur, intra pectus ſedem habens E
ſecundum medium, magis tamen ad ſiniſtram declinans, & ſub ſiniſtra mamma collocatur, piniç nucis effigiem adeptum, & à la-

A ta basi in mucronem instar turbinis acuminatum, musculosum natura atque neruosum, pulsatorio semper motu percitum, medium inane. duobus manifestis finibus concauum, altero in dextris, qui Ságuineus, quòd multitudine sanguinis affluat, appellatur: altero in sinistris Spirituoso, quoniá spirituũ copia redũdat, nuncupato. inde fit etiam, vt spirituum agitatione moueatur. Membranis præterea vtrinque latioribus Auricularibus vocatis cor præcingitur: quoniam ad aurium imaginem cordis lateribus inhærent, & prominent. Ab ipso verò plura conceptacula nascuntur & venæ & Arteriæ: è quib. omne corpus vasculis tanquam riuis emanantibus irrigatur. Mem-
B brana præterea quadam cor veluti sepimento vallatur. eam Pericardion Græci nominant, neruosam, tenuem, motuque à corde transfuso palpitantem.

De Pectoris partibus, & Septo transuerso. Cap. IX.

HÆc omnia complectens Pectus ex cartilaginibus componitur atque ossibus: quæ in costis, pectorali osse, atque dorsi spina reperiuntur. neruorum etiam carniumque particeps extra carnosius, interius neruosum est. qua etiam parte succingente membrana vestitur. Intersepum autem, siue transuersum septum obliquum pectori, qua costæ finiuntur, subtenditur. id ita vocatum est, quòd
C viscera in pectore abdita ab inferioribus intersepit.

De Gula, & Ventriculo. Cap. X.

A Superioribus igitur corporis partibus, quemadmodum suprà retulimus, simul cum aspera arteria enascitur, secusque ipsam Gula protenditur, ab eisdem vtique partibus incipiens, non similiter autem desinens. Hæc tubæ figuram amplitudine refert, suprà angustior infrà verò, qua cum ventriculo committitur, capacior. hoc quippe nomine superior venter natura neruosus vocatus est. mu-
D nere autem sicci humidiq; alimenti deuorandi gula fungitur: cuius examen ipsa acutissimo sensu prædita facit. Ventriculus itaque à gula exoriens sub medio intersepto ad læuam magis reflexus collocatur ab angusto ore in latam capedinem sinuatus, cuius conuexum extra in abdomen vergit, simum verò dorsum respicit. longè, quàm gula, neruosior ventriculus est atque amplior. ipse nimirum intus accepta colliquans non magnopere se dilatat: sed cibi ingressui cedens eius descensum se constringendo insequitur: cum ad aliméta suscipienda à natura creatus sit.

E *De Intestinis, & Lactibus.* Cap. XI.

A Ventriculo intestina in plures orbes implicita ad cibaria, quæ ab eo delabuntur, excipienda formata prodeunt. horum vnum

idemque ab ipso vocato processu ad rectum ac sedem vsque iter pertinet, inter quæ primum est, quod Hostiarius, aut Dodecadactylus dicitur Hostiarius quidem, quòd in ventriculo posita tantisper, dũ sũt coacta, custodiat: cùm remissa sunt autem, tunc & hostiarius cũ intestinis aperitur: quemadmodum ani musculus Sphincter, idest, astrictor vocatus u remittitur. Dodecadactylus autem à duodecim digitorum longitudine vocabulum accepit: neruosa ipsius crassaque substantia est hoc appellatum Ieiu num tangit alijs intestinis carnosius, semper ferè alimenti penuria laborans. vnde Ieiuni quoque appellationem adeptum est: quòd in ipso videlicet alimentum, vt in vẽtriculo & intestinis assolet, non inuenitur. postea Gracilia quæ vocantur, intestina prolixa in multas spiras conuoluta, tredecim cubitorum longitudinem æquantia collocantur, & sub vmbilico in abdominis regione ponuntur. Sub his omnibus Cœcum intestinum, & Colon eodẽ loco exoriuntur: Cœcũ quidẽ rectà in dextrũ inguẽ spectans, altera ex parte obstructum: Colon verò, quod Maius intestinũ latini vocant, à dextro ili enascens, supernè sese circũuoluens, in iecur præcordiaque adductum incidit, deinde lienem sinistrumque ile petens: posterius cum Recto intestino coniungitur, id nonnulli & inferiorem ventriculum nominarunt: in quo etiam plurima cibi pars in stercus vertitur. omnium postremum Rectum est cæteris carnosius, rectamque sedem, vnde & nomen accepit, sortitum est. in Anulum autem & Sphinctera vocatum, i deft, Adstrictorem definit, eum quidem neruosum & durum, hunc autem carneum atque rugosum, infimum omnium collocatum. Inter intestina medij Lactes sunt, quos Græci Mesenterij atque Mesaræi vocabulo insigniunt.

De Renibus, Vrinarijsq; meatibus Cap. XII.

Renes circa vltimas dorsi vertebras siti sunt, numero duo, figura rotundi, colore lenticulæ, & quasi subcinereo, dexter paulò altior grandiorque inuenitur. denso squallidoque corpore constát, sauciati ineuitabilem mortem afferunt. In penitis cauisque eorum partibus membranulæ sunt instar cribri foraminibus plurimis pertusæ. vnde meatus duo exeuntes vesicæ summitatem intrant: per quos vrina in vesicam transfunditur, indeque foras expellitur. hos paulo ante Meatus nominauimus.

De Omento, Cap. XIII.

Omentum intestina superius extentum contegit præpingue duplicique membrana contextum. ipsum idcircò natura cõdidit, vt intestinis superfluitans ea aduersus ambientis peritonæi duritiam remolliret. recisum aut vulneratum vitæ discrimine vacat.

A *De Seminarijs conceptaculis, & Semine.* *Cap XIIII.*

AT Seminaria itinera secundum renes quatuor descendunt: bina rectà tendentia, quos & Assessores & Glandulosos nonnulli vocant: bina Varicosa, quòd varicis more circumflectuntur. intra hæc fœcundum semen gignitur, grandinosum crassumque: quare & ipsa nonnulli Genitales venas appellare voluerunt. in alteris autem est infœcundum dilutumque semen, quod simul cum priore eius nutriendi causa excernitur. verùm ab vtraque parte coniugata simul vtraque à dorso descendunt. sed sterilia vascula cum vesicæ ceruice coalescunt: varicosa verò per inguina testiculorum tunicas vtrinque subeunt.
B Quapropter eunuchi semen quidem, sed infœcundum è glandulosis fistulis eijciunt: è varicosis verò excisis testibus seminis profusio seruari non potuit.

De Scroto, & Testibus, eorumque Membranis. *Cap. XV.*

SCrotum & toto ea laxitas est, in qua testes continentur, & magis propriè exterior carnosa pars ex membranis constat: exteriore quidem Darto vocata, quæ rugosa est: interiore autem Erythroide. Nempe scrotum & dartos communia amborum testium in-
C uolucra eos superioribus partibus suspendunt: sed Erythroides sibi ipsi adnectit, atque in orbem testes amplectitur, priuatim seorsumq́; singulos inuoluens. Ipsi Testes autem ex pulticulæ simili materia constant, humidíque admodum neruosa firmaque membrana includuntur.

De Vtero. *Cap. XVI.*

MVliebre autem genitale membrum, quod Vulua atq; vterus vocatur, inter conceptacula † eximium est: inter vesicam rectumq; intestinum ponitur huic incumbens, illi subditum, medici-
D nalis cucurbitulæ figuram æmulans. hoc loco venerei congressus exercentur.

De Venis, Arterijs, multisq́ alijs corporis particulis. *Cap. XVII.*

VEnæ receptacula sanguinem continentia sunt, per quas sanguis in omnes corporis partes diffunditur, Arteriæ spiritus & quadamtenus etiam sanguinis receptacula sunt: in quibus motio fit, quæ Pulsus communi vocabulo dicitur, & à corde exclusus spiritus per ipsas in omnem corporis molem dispellitur. Pinguitudo est alba oleosaque adfusio, parenchyma græcè, quam Adipem etiam no-
E minant. Glandulosæ carnes quas græci Adenas vocant, concretiones quædam subpingues atque carnosæ sunt, peculiariter cauis locis insitæ: alis dico, & inguinibus, necnon & lactibus. Ossa coag-

menta quædam sunt solida, sanguine & sensu carentia, per quę acti uæ atque electoriæ motiones perficiuntur. Musculus corpus est firmum ac densũ, non simplex, sed ex neruis, venis, arterijsque compositum, sentiendi particeps, officium voluntariæ motionis obiens. Cartilagines autem concretiones sunt mediæ inter ossa neruosque naturæ: ossibus enim molliores, neruis duriores sunt, præcipue ossium extremitatibus coalescentes. Neruus corpus est simplex atque densum, voluntarij motus instrumentum, obtusi, dum inciditur, sensus. Secundum Erasistratum quidem & Herophilum sensorij nerui sunt: Asclepiades autem ipsos sensu vacare testatus est, cæterum secundum Erasistratum cùm gemina neruorum natura sit, sensoriorum videlicet, atq; mouentium: sensorij, qui caui sunt, in cerebri membranis originem habent: mouentes in cerebro ac cerebello. Dixit autem Herophilus aliquos esse voluntati obedientes neruos, qui & à cerebro spinalique medulla oriuntur: aliquos, qui ab osse orientes in os inseruntur: aliquos à musculo in musculum transeuntes, qui articulos etiam copulant. Medulla substant a est vnguinosa & exanguis, quę semper in ossium cauis includitur.

RVFFI EPHESII

DE MEMBRORVM HVMANORVM APPELLATIONIBVS

Liber tertius.

IVNIO PAVLO CRASSO PATAVINO INTERPRETE.

Quæ tertius Ruffi Ephesii liber contineat.

De ossibus Capitis, & suturis, & cauis. Cap. I.



Posteaquàm interiorũ locorũ naturã nominaq; pro viribus superius exposuimus: modò de ossibus sermonem subijciemus. Caluaria igitur, qua parte vocata Scaphula est, globosa cernitur, in vertice extuberans, in syncipite subcrassa aliquantulum, & lata, atq; per ossis iniectũ duplicata, circa tẽpora cõpressa plerunq; suturis quinq; diuisa: Vna in vertice in posteriorẽ partẽ tendẽte, quæ à literæ lambda similitudine Lambdalis nomen habet. Altera autem in syncipite orbiculari,

coronæ,

A coronæ, vnde & dicta est, formam imitante: quæ ibidē terminata finitur: Tertia à lambdali recta verticem partita Coronariæ vocatæ coniungitur. Duæ præterea sunt secundum aures in temporum sedibus Squammosæ dictę, nō in profundo, vt reliquæ, structuras habentes. Priori ex parte cavernæ oculorū sedes sunt: Pyelidas græci nominant, nos Arculas, seu Peluiculas dixerimus. Inter has Nasi os insurgit, intra quod Ithmoides à cribri similitudine cognominatū os multis foraminibus cauū reconditur. Facies præterea ossiū coagmētationes tales habet, infra supercilia vnā, duas ab nasi ossis obliquis
B lateribus, quartam inferiorem maxillam separantem, quintam in palato iugalibusque ossibus, duas alias, quæ vix cerni queant in malis. At Caluaria ab inferioribus partibus concaua foramina profunda rotundaque habet, per quæ spinalis medulla descendit.

De Colli vertebris, Humeris Scoptulis opertis, & eorum processibus. Cap. II.

COlli septem vertebræ sunt inter se congruenter insertæ. harū prima capiti motum exhibet, reliquæ immobiles sunt. postea Humerus est, deinde Scoptula operta figura triangula, pectoris costis posterius ad literę Δ imaginem incumbunt. & qua parte latiora sunt, ibi etiam tenuissima: qua verò angustiora, ibi & crassiora &
C robustiora in sinum quendam subsidentia: in quē humeri caput cōijcitur. Ab eò sinu processus exigitur, ceu spina quædā ab anchoræ hamiq; similitudine Ancyroides & Ancistroides gręcè nuncupatus. cū quo iuguli extremum per cartilaginē coalescens committitur.

De Iugulo, Ossibusq; humeri, brachij Brachialis, & manus. Cap. III.

AT Iugulum in tribuli formam effigiatū instrumento, illi, quod Cathetera masculinum gręci vocant, persimile est: cū osse autē pectoris, cumq; lato scapularum osse connectitur. ipsa verò iugulorū
D media pars Σ græcæ literæ similis cum prima dorsi vertebra coniungitur. Humerus prælongus ac teres est, superiorique parte, quæ humeri Caput dicitur, tumidior. id dimidiū in verticillato scapularū esse reconditur. At inferius, quà cubito deligatur, inæqualis est duosq; vtrinq; processus pugillis similes habet, mediū cauū: à prioribus quidē partibus minus, à posterioribus autē magis contractus est. Brachiū ex ossibus duobus constat Cubito ac Radio † Radius, quam Cercida græci appellant, superior breuiorque: & primo tenuior rotūdo & leniter cauo capite exiguum humeri exteriusq; tuberculum
E recipit † Cubitus inferior longiorque, est, atque in manus articulo brachialis extremum admittit. Radius vtique, qua brachiali adnectitur, duobus finibus cauus est, altero recto, quo firmatur articu-

† *porrò extremitas radij ex tuberosis humeri capitib. quod exterius est cōtigit rotunda esse Ela. & quadantenus leniter caua.* †

lus, altero à latere, in quo cubiti caput inseritur. Porrò Brachiale ad A figuram nucis pineæ ex octo ossiculis coagmentatur. Post hæc Phalanges sunt, prælonga ossa digiti formam habentia. Deinde ossa digitorum Scytalides à græcis, id est Scuticulæ, à latinis Internodia nominata, in singulis digitis terna, inter se inæqualia præter pollicem, quippe qui à basi duobus tantùm ossibus nititur.

De reliquis Vertebris, & Costis. Cap. IIII.

POst septem colli vertebras sunt dorsi duodecim, lumborum quinque vertebræ: vt omnes quatuor & viginti sint. Ita verò B instructæ paratæque sunt, vt introrsum versus, qua viscera contingunt, læues ac circumductiles, exterius asperæ spinosęque sint, carne ingenita obrutæ, à lateribus in mensæ formam explanatæ, omnes in medio concauæ, vnicum in suo corpore in fistulæ modum foramē habentes, per quod (vt supra diximus) spinalis medulla demittitur. in transuersis præterea processibus parum diffidentes sinus habent, qui costarum extrema recipiunt. Nempe costarum aliæ superius inflexæ instar fornicis, inter se deinde in interiora leniter flexæ committuntur: aliæ obliquæ his occursantes, postea cartilagineæ factæ Spinæ, Spuriæque costæ nominantur & maiorē, quàm in superioribus, circuitum ex compressione minorem faciunt. Reliquis C omnibus vertebris vltima præstat, quod & Sacrum os secundum antiquorum consuetudinem appellamus: qui omnia magna Sacra nominabant.

De Coxa, Femore, & reliquis vsque ad extremum pedem ossibus. Cap. V.

AB vtroque autem huius vertebræ latere Coxarum ossa posterius extenduntur, suisq; extremis ossi pubis, cui Pectini nomē est, cartilagine coalescentia deligantur. Hæc figura lata sunt ac subrotunda, interdum etiam angusta ac crassiore. Id genus ossa sinus D verticillatos, non exactè penetrantes, sed profundos habent: quos græci Cotylas, latini Acetabula vocant. in eos femorum capita conijciuntur. At Femora prælonga valentiaque ossa sunt, à coxis ad genua vsque pertinentia, tereti figura, atque in exteriore parte gibba. ab inferioribus autem, qua genua attingunt vtraque crassescunt ac tuberosis globis intumescunt adeo, vt vtrinque in rotunda capita cōsurgāt: media verò sinuata sūt, quò facilius excipi à tibijs possint. quæ triangula, & in summo capite latescens leniter in sinus desidet, in quos extuberantes femoris eminentias recipit, ipsius verò tibiæ E prominentia in sinum femoris inseritur. At ab exteriori parte os alterum, quod Sura rectè nominatur, appositum est, tibia gracilius,

* excipere tibiam

non

A non proximum femori, infrà breuius, qua etiam parte tumidius est eamq; nonnulli vulgares Talum vocari asseuerant. vtrunq; os autẽ, Sura, videlicet, ac tibia in fine multa cartilagine inter se deligata cõtinentur. Sed tibię femorisque commissuræ os incumbit, quod græci Epigonatida, latini, Patellá, seu Molá vocát. Hoc disci figurá repræsentat, & superfluitans mediũ sitũ est. verũ in curuando crure ad tibiá magis accedit: cùm autẽ extenditur, super vtrunque os cadit. In partibus malleolo proximis Tibia paulũ gracilescit, atq; in extremo ad sigma gręcę literæ speciẽ ita ęqualiter distat: vt processus duos alterum oblongũ, alterũ breuiorẽ habeat. at maiores processus caput
B interius est, alterius enata carne occulitur. cum surę autem extremo coniungitur, quod vlterius procedens exteriorẽ, vt diximus tumorem efficit. Quapropter, huiusmodi ossa ad sigma literę formam media dehiscunt: in quo hiatu Talus delitescit. Hic secundũ partem Quatrionem Allachium vocatam sursum vergit, & ea quidẽ imis tibiæ suræq; processibus adiacet. verùm os ἐπιτριῶν vocatum super imposito illis suræ osʃi, quod à figura Cubicum nominatur, ad cauitates incumbit: vt osʃis ἐπιτριῶν quod vocant, inęqualitates occludantur, cartilagineque circumnata deligẽtur. Anterior autem ipsius rotunda particula in cauitatẽ cuiusdam osʃis quod ex illis est, quæ Tar-
C sum vocatum constituunt, & à cauitate Nauiculare dictũ fuit, inseritur. Ex octo autẽ osʃiculis inęqualibus angulis Tarsus instruitur. Ipsi Planta subijcitur è quinque osʃibus composita, in medio tenuibus, in summo crassescentibus. sursũ versus exurgentibus: vnde & à terra caua cernũtur. Post hæc deinde sunt ossa digitorum, quæ Scytalidas græci, Latini vocát Internodia, ad eorum, quæ in manu sunt, similitudinem comparata. Osʃium figura, situs, & nomina pro viribus à nobis explicata sunt.

EE



THEOPHILI DE CORPORIS HVMANI FABRICA Liber Primus.

PER IVNIVM PAVLVM CRASSVM PATAVINVM IN LATINAM ORATIONEM CONVERSVS.

Proœmium. *Cap. I.*



MNIum animantium genera quadrupedum,reptiliũ volucrium,& aquas colentium Dei arbitratu esse geni ta diuina nobis testantur volumina, Inquiunt enim: *Producat terra animam viuentem per singula genera quadrupedes & reptilia & feras:* & iterũ, *producat aquæ reptilia animarũ viuentium per singula genera, & volatilia volantia super terram per stabilimẽtũ cœli,* Hominem autem solum manu dei creatum esse nos docent sacræ literæ, aiunt enim, *hominem finxit glebam terræ capiens, & in faciẽ ipsius afflauit, spiritum vitæ factus est homo cum anima viuente.* B

Igitur cum homo à Deo nostri opifice ex anima & corpore cõstãs factus fuerit, anima quidem intellectuali & incorporea & inuisibili, corpore autem sensili & composito, de eius compositione sermonem faciamus, vnde componitur, ex quot & qualib. constat partibus,& quænam est eius partium functio,& vnde prodit eorum motio, & quibus de causis hæc singula ad hunc modum instituta sunt. C

De Membrorum diuisione. *Cap. II.*

IGitur alia corporis membra animalia siue animata sunt, alia corporea & naturalia. rursus ex animalibus alia mouentia, alia sentiẽtia, Naturalium verò aliqua vitalia, aliqua nutrientia: Caput autem & manus, crura, pectus, lumbi maiora creata sunt & capaciora inter cæteras corporis partes. his .n. omnia mẽbra continentur naturalia, animata, vitalia & nutrientia. In primis itaque de continentibus partibus habeatur oratio, vt decenter eorum positus, forma functio & vsus sese habeant: cæterùm ex his membris nonnulla vitæ causa creata sunt, vt caput pectus & ilia: nonnulla melioris vitę vt manus & pedes. D

De Manibus, *Cap. III.*

PRius de manib. sermo sit, apposite videlicet eas esse compositas cumque ex humero, cubito & summis manibus constent, à summa manu nostra ordiatur oratio. tantũ videlicet sapientiæ atq; artis in ea fabricanda naturá ostendisse, vt nondum tota à tam claris viris tanto tempore vestigata inueniri potuerit, Cæterùm quoniam E

condi-

A cōditor noſtri Deus adeò ſapiens eſt, vt quicquid ab eo creatum eſt, plurib. vſibus, nō vni tātū duobusue aut tribus ſit accōmodū, proptерea iā facillimū fuerit multos ex his, quæ obſcuriora ſunt, prętermittere quæpiam, Tu igitur tecū cogita in animalis corpore nihil eſſe ignauum, nihil immobile, ſed omnia varijs modis decenter ſtructa vtilē operam præſtare diuinas facultates ipſis ſummo creatore largiente at quia partiū vſus, ignoratis functionibus inueniri nequeunt, ideo cuiuſque functionib. prius explicatis ad vſus illico tranſibimus: per manus homo hoſtib. opponitur, arma à creatore manus accipiens: per ipſas & veſtem texit & domum & nauem conſtruit, & leges ſcribit, & B libros rerum monumenta componit & feras animantes alias ad ſeruitia alias ad eſcam perdomat: Quare poſtquam homini manus data eſt inſtrumentum variarum figurarum, variarum magnitudinū apprehēſiuum, quatenus ad corripiendum natuliter apta eſt, melius ipſi fuit, quemadmodum & eſt, multifidam eſſe, nam in multas ſciſſa partes multo maiores moles facilè complectitur, & minutiſsima corpuſcula diligenter aſſequitur. magna enim corpora digitis diſtentis, vndique ambiens comprehendit, exigua verò non ipſa tota capere conatur, ſed ad hæc capienda ſufficiunt duorum digitorum ſummitates, pariter & ad multiformas figuras ritè capiendas multipli- C ci ſciſſura partita eſt, nam circa globoſum aliquod & ipſa in globum curuari poteſt, ipſum in orbem cingens, recta autem & caua ſecurē amplectitur: verùm quoniam pleraque corpora ampliora ſunt quā vt manu contineri valeant, alteri alteram opem ferre faber ſapientiſſimus noſtri Deus imperauit, Quare vtraque ex aduerſo cingente nihil non teneri poteſt, eam ob cauſam in ſeſe viciſſim vergunt, & ęquum magnitudinis modum prorſus ſortitæ ſunt.

Nihil in noſtro corpore ignauum.

De Manuum digitis. *Cap.* *IIII.*

POſitu autē nō omnes digitos ſecūdum rectū collocatos habent, D ſiquidem vnum reliquis quatuor oppoſitum eſſe oportebat, quē admodum & nunc collocatus eſt. Sic enim ex digitis vnus poſitus eſt atque mouetur, vt ad ſingulum aliorum quatuor curuatus operā præſtet, vt neque vel minimum quicquam poſſit euadere, vt milliū pili ſpinæ & id genus alia, atque ideo molles teretes & vnguibus muniti creati ſunt, neque enim exigua corpora & dura arripere valerent, ſi eorum extremitas carnea tantùm foret. munimento igitur quopiam, vnguibus videlicet, ne repellerentur, indiguerunt. Iterū ſolis vnguibus quicquam huiuſmodi apprehendi nequiret, duræ E enim cum ſint, à duris dilaberentur, Quamobrem carnea materia in ſummis digitis vnguium lubricitatem moderāte, cum vnguibus carnis ad reſiſtendum imbecillitatē confirmantibus digitus ad omnia tam dura quàm parua inſtrumentum tenaciſsimum effectus eſt, ſūt

autem & multa alia ex vnguibus emolumenta, Itaque cum manus A officium sit apprehensio, in confesso est primum functionis illius mẽbrum esse primum illam mouens. Hoc autem est ipsi musculi. Cætera verò omnia alia, vt melius functiones fiant, creata sunt: alia eorum rationẽ habent, sine quibus functiones obiri nequeunt, alia verò omnium præcipui causa sunt fabrefacta;

De vnguibus. *Cap. VI.*

SAnè genus vnguium ob melius genitum est. vt digitorum extrema roboraret, Idcircò enim & mediocriter durę sunt, quoniam vltricibus armis humanum genus à Deo non fuit condonatum, quẽadmodum brutę animantes, mite nanque animal homo est & ratione B vtens. At quare vndique rotundæ sunt? an quoniam rotunda figura inter omnes angulares minimè est patibilis, eoq; minimè refringi potest? augescunt nõ in latũ aut profundum, sed haud aliter ac pili, in longitudinẽ tantũ, quapropter secundũ extrema causis eas cõterere valentibus renituntur, ita humanarũ vnguiũ structura ab opifice nostri Deo, maximam prouidẽtiam sortita est. Ipsum quoq; ossium digitos constituentiũ genus melioris causa factum esse inde discendum est: Siquidem & multiformiter citra ossa nõ secus ac polypi C moueri possent: firmamentum autem non haberent indigentes renitente & dura particula, qualè est in animantiũ corporibus ossium genus. præterea, quoniam & curuari & extendi, & varijs simul motibus agitari digiti naturaliter apti sunt, neq; ex osse vno, neque eodem magnitudinis modo fuere formati, sed ex tribus & inæqualibus inter se articulatè iunctis, vt ad quodcunq; opus præsto effigiẽ capiant. Ad hæc sanè vtilis est & carnis creatio, quæ ossibus adhærescit, vndique tegens & loca replens in flexuris vacua, & in quatuor digitis secundũ directum collocatis extrinsecus, paucam aut nullã carnẽ videre licet: intrinsecus autẽ & à lateribus plurimã, vt si aliquid humidũ supina manu continere velis, nihil prorsus effluat. Prætereà car D ne molliuntur & atteruntur, quęcunq; molli sunt: hęc vtiq; propria sunt carnis in manu emolumẽta, communia autẽ, in quoddã ceu propugnaculũ osseis corporib. caro est, & omnẽ à sanguine veluti rorẽ calidũ intra se continet, cumq; moderatè calens sit æquè in excellenti frigore atq; in calore opitulatur, & de digitorũ carne hactenus dictũ sit.

Carnis vsus.

De digitorum manus articulis: *Cap. VII.*

DE ipsorum autem artubus deinceps agendum; eorumque multitudo, magnitudo, figura modusq; iuncturę examinanda sũt: De multitudine, quòd trib. tantũ internodijs constare digitos necesse E est: nam quę ex pluribus partib. componuntur, noxę magis patent, quàm quę ex paucioribus. at si ex paucioribus. quàm tribus, tam varias figuras subire non possunt. vt igitur multis motionibus moueantur,

A tur,minimeq; periculis obijciantur, ternarius nunc fuit aptissimus: De magnitudine autem neminem latet,os primo loco positũ sequẽti maius esse,illud enim vehit,hoc vehitur:at vehens vecto maius esse opus: secus autem id fieri nequit, quin paulatim ossium magnitudo minuatur,ideoque secundum priore minus esse necesse est:quantum ad figuram pertinet, quæ à latiori base superiore in arctiorem inferiorem desinant.Eædem sunt causæ, quas & de magnitudine diximus:tertia sunt quoque quoniã minus patiuntur, Omniũ .n. figurarũ tutissima rotunda est,eo quòd nihil eminens,habet quod externis occursans refringi queat:cæterùm quare extrinsecus exquisitè B cõuexa etiam videntur,intrinsecus & à laterib.nõ item? An id melioris notę causa factum fuit?nam digiti internis partibus terunt,subigunt,capiuntque omnia,quod deterius fieret, si hac parte ossa gibba forent,exteriora autem nihil quicquam istorũ, neque aliud quippiã agentia ad vnguem gibba fuerunt,sed à laterib sese mutuò defendẽtia ægrè à peregrinis causis violantur. opus est autem, cum inter se committuntur, ne vlla rima patens inter ea relinquatur: quare hac parte vt esset rotunda non decuit, Dictis nostris inde fides acquiritur. .m ani digiti superiorem,minimi inferiorem ambitum ad amussim fuisse rotundum, à nullo nanque partes hæ defendebantur, neque C alteri digito adhærescebant, id vtique est boni Dei nostri miraculũ tam eleganter ossium compositurã statuentis· Miraculumque nihilominus ipse iuncturarum modus,eo quòd neque simpliciter, neque vtcunque externis ossibus vnusquisque quatuor digitorum coagmentatus est,sed quemadmodum valuarum cardines,sic articulorum quilibet eminentes quosdam tumores in caua illis magnitudine respondentia subeuntes possident: nam si capax nimis esset sinus,laxior artus labaret, si angustior,ægrè motus fieret nullam habens in conuersione lubricitatem,discrimenque haud mediocre instaret, ne ossium tubercula nimis arctata frangerentur: Sed neu- D trum horum factum est,omnesque ossium sinus veluti colliculi quidam ambiunt,magnum prçsidium artub. præbentes,vt nunquam citra insignem necessitatem luxatio fiat.Cæterùm quoniam adhuc tam munita structura periculo non vacabat, quin motus difficilius prodirent,atque illæ prominentiæ eliderẽtur,propterea duplex subsidium aduersus hęc à summo creatore paratum est,nam cartilaginẽ prius vtrique ossi illinens, cartilaginesque quodam ceu oleo pingui viscidoque humore perfundens bene versatilem simul & firmissimam vniuersam ossium compagem comparauit. Erat sanè in finibus summorum ossiũ sufficiens artis opus ad arcendam artuum lu- E xationem:non ei tamen soli hanc curam diuina prouidentia mandauit,cùm multoties multis violentis ac vehementibus motibus animalia vexatum iri cognoscerent. Igitur vt absolutè,& ab omni parte.

articulus quisque in tuto esset, copulas quasdam ab vtroq; osse pro- A duxit, ab altero ad alterum pertingentes, quarum aliæ ceu nerui rotundę crassæque sunt, aliæ instar membranarum oblongarum, crassarumque, pro artuum vsu maximæ & crassissimæ, vt maximè principes artus custodiant atque deuinciant: ignobiliores verò minoribus copulis continentur: Hæc sanè omnia vniuersi in omnibus artubus conditor noster Deus fabrefecit, sed præcipuè in digitis, in his enim maximè decorum est nam exigui sunt digitorum articuli, sed accuratè verticillati & gracilibus orbibus vndique coronati, & cartilaginibus vestiti, vinculisque membranosis copulati, verum & ossium supercilia nequaquam paria effecta esse, sed extra multo B maiora, interius autem minora. Ingens id quoque diuinæ sapientiæ in faciendis digitis indicium fuit, minora nanque si exterius fuissent, vltra summã distentionem articulos retrorsum flecti permisissent: si maiora interius, multum curuari digitos vetuissent: proptereaque minora interius maiora exterius fuere locata. Sed quare dura nõ me dulosa, densaq; sũt digitorum ossa? an quia nuda & ob id iniurijs ob noxia, vnde maximo illis præsidio est talis substantiæ modus, ne facilè patiantur, digitorum quidem ossa ita à natura fuere instituta.

AT de musculis in libro de Musculorum motu à Galeno scripto satis abunde dictum est. de tendonibus de fibris & membranis ma- C num digitosque introrsum extrorsum & ad latera mouentibus, itidem in Galeni libro de Musculorum motu, & in primo de Arte dissecandi comprehensum est. de neruis autem, arterijs & venis sermonem facere nostra non est intentio: cerebrum quidem cor & iecur principes partes esse, & à cerebro spinæ medullã oriri, ex eaq; & ipso cerebro neruos animalem ex corde arteria pulsatricem, ex iecore venas nutritoriam vim haurire in Galeni volumine de Hippocratis Platonisque decretis latissimè est disputatum.

De interna manus cute & tendone subiecto, Cap. VII.

SVperest de his, quæ intra summam manum sunt disserere, pro- D pter quid media manus, quæ & thenar nominatur, latinè vola læuis, glabra, dura & concaua est? musculo enim cuique quatuor digitorũ vno & exiguo, cõcesso, propriè duo in digito, qui magnus vocatur, Thenara appellata cõstituentes maximi sunt, per quos pars carnosa manus altior fit, & mediũ concauum, & ex digitis maximus atque minimus longissimè ab alijs diducuntur, qui etiam musculus, qui inter magnum digitum indicemque est, vt ea manus pars carnosior redderetur, factus fuit, at in præsentia exponere opus tendonem sub manus cute interna adhærescentem à medio musculo recto exorientem, qui musculis alijs quatuor minor est, eo quòd nullum E articulum mouet, supernè autem sub cute mediam cauitatis sedem sortitus est: Exoritur sanè tendo iste, antequam ad manus cubitiq; com-

A communem iuncturam, carpon Græci vocant nostri brachiale perueniat, sed apud illam primum dilatari incipit, indeque veluti secũda cutis alba densa & exãguis apparere incipit, vniuersę cuti in sũma manu percoalitum substratus: & hanc ob causam in summa manu digitisque cutis interna excoriari nequit: atque ob id ipsum pedũ cutis, pręterea frons, & ferè tota facies aliaq; nonnulla in animali mẽbra propter huiusmodi tendonũ aut musculorũ cum ipsis concretionem cute spoliari non possunt. Atq; in vniuersum sciendũ est aut exquisitioris sensus impartiendi, aut motus voluntarij causa cutim hanc ægrè alterabilem, duram & glabram fuisse creatam, talesq; B in ipsam tendones inseruntur: Decebat verò manus apprehensoria organa cuti interna difficulter alterabili esse præditas, quippe & ad alia factæ sunt & ad exiguorum corporũ tutã diligentẽq; capturã. Est vtiq; cutis hæc vltra omnem aliam sensitiua, quandoquidẽ nõ aliud esse decebat apprehensorium instrumentum, aliud tactorium, neque aliud extera quæque apprehendere, aliud apprehensorum caliditatẽ frigiditatẽ, duriciã, cæteraque id genus discrimina iudicare, sed simul atq; aliquid corripuerit pręstat, vt & correpti naturã dignoscat: nõ parũ autem & accuratæ qualitatũ omnium dignotioni cutis glabritas conducit, ex tẽdonis dilatati processu exoriens potissimumq; C ob Emplastrorũ, & aliorum, quæ manu fiunt, subactionem, vola manus id præstante, atque ideo eiusmodi tendones internis manus cutibus optimi Dei prouidentia inseruit & de summa manus structura hactenus.

De radij cubitique cum carpo iunctura, deque eius & palmæ ossibus & nexu, Cap. VIII.

AD reliquarum totius manus partium expositionem accingamur, initiumque à cubito sumamus, prius Christũ verum Deum nostrum nobis fautorem itinerisque ducem adesse precati: Toti-D us manus tentionem flexuramque à cubito eiusque articulo pręstari, pronam verò & supinam manum à radio eiusque articulo fieri neminẽ incisorię artis peritũ pręterire arbitror: At quoniã cubitũ & radiũ carpus idest brachiale palmaq; præcedunt ab ipsis explicare, ordiemur, sapientiãq; diuini opificis demirabimur, quomodo magna ossa, femur scilicet, crus, & alia ex vno tantũ osse, brachiale verò exiguũ nulliusq; precij ex tot ossiculis instruxerit. verùm si diligenter eius functionem vsumq; percipimus, prorsus necessarium esse affirmabimus, eum ex multis paruis & medulla priuatis ossibus fuisse cõtextum, eorumque structuram robustis ligamentis fuisse firmatam: E os enim ex multis ossibus compositũ valentissimum est: Nam sicuti bellicæ rei periti clipeos nõ ex vna lignea tabula, sed ex multis paruisq; componunt, ne facilè frangantur, eadem est brachialis & pal-

mæ ratio. Cæterùm quare palma ex quatuor, brachiale ex octo ossibus conflatur, An quia ex palma quatuor digiti è regione positi oriuntur, magnus enim quem & pollicem appellamus, non palmæ inseritur, sed cubi tuberculo, quod cum brachiali mittitur: quoniam autem, cũ quatuor sint palmæ ossa, debebat ea secundũ alterũ extremum brachiali coniungi, si quatuor tantum fuissent brachialis ossa, nõ satis ob suã paruitatẽ fecissent, Dei sapientia quatuor illis per duos processus, totidem adiecit in vertices sinuata, vt palmæ ossium tubercula, dum illis committuntur, recipiant, adeo vt brachialis ossa octo numero sint. dictorum autem nostrorum veritatem ex dissectione percipies. At quare brachialis ossa intra sima, extra gibba fuere: vt ne manus, dum reflectitur, vltra modũ conuertatur & ne sine fulcro aliquo veluti resoluta labascat: idem de omnibus appendicibus processibusq; dicendum, vbi ossa & pręcipuè magna committi opus est, quod quidem ingreditur, tuberosum, quod autem recipit, verticillatum & vndique rotundum esse oportet: atque ita euenit caput subeuntis ossis, neque in fortioribus motibus elabi. Postquã igitur & brachiale cum radij cubitique extremis connecti necesse fuit, iure vtrumque os quandam appendicem habuit, gibbum rotundũque exterioribus interioribusq; sinuatum, sed, radius supercilium circum ambiens habet vndique, quo diligenter eius termino brachiale astringitur, sed cubitus non ita habet, pars enim interior & ad radium spectans talis est, totum reliquum in longitudinem latitudinemque totius membri, extremum in rotuudum caput intumescit, qua os hic collocatum se in brachialis sinuosam cauitatem conijcit. Quare brachiale duos articulorum ordines continet: quorũ vno manus & inclinatur, & resupinatur: altero autẽ maior brachialis artus tenditur, & recuruatur.

A B C

De radij & cubiti situ forma & motibus Cap. IX.

DE positu autem formaq; radij & cubiti deinceps dicere tentabo, Radij positus obliquus est, cubiti rectus. nam pro motus in vtroque natura, vtriusq; etiam situs esse debuit: siquidem tentionis flexionisque motus per cubitum secundum totius membri rectitudinem fit. inclinatio verò supinitas & ad obliqua conuersio per radium ministratur. Non ab re igitur radius obliquus, cubitus rectus positus est, propterea & cum humero vtriusque ossis commissura dissimilis facta est, cubiti enim humerum versus duo vertices extantes sunt, gibbi extra, interius sinuati, quorum vnus à posterioribus inferioribusque partibus est, qui & maior est, alter à superioribus prioribusque antepositio minor, in sese autẽ vergentibus coniunctisque cauis vnus magnus sinus literę ƺ persimilis efficitur. hos autem

D E

excessus

A excessus ambos quidem coronas à rotunditate nominant, magnum quidem posteriorem Attici olecranum, Hippocrates autem Anconē appellat: at vniuersæ manus in obliqua motionū aliquę ad supinū trahunt, minores sunt: quæ in pronum, maiores & magis necessariæ: atque iccirco radij positum magis in prona vergentem immensa dei sapientia collocauit, superiorem extremitatem ad exterius humeri caput adducens, inferiorem ad magnum digitum protendens Quod si cōtrariū huic positū sortitus esset, minimè in pronū supinum ue moueri potuisset. hæc in causa fuere, vt radius obliquus, atq; ita obliquus locaretur. Sed quare cubito superiacet? quoniā longior eo B cubitus est, plurimūq; eius, quæ cū humero fit, commissurę obtinet: rationique erat consentaneum, breuius os à longiore gestari. Item quare vtriusque media tenuiora sunt, quæ anconem brachialeque contingunt, pleniora? an quoniam ea sedem musculis præbere, hęc ad excessus intumescere oportuit: hi verò ad commissuras vtiles sūt: At quare cubiti extremitates anconi propinqua plenior est, radij contra quæ brachiale attingit? an quia communis vtrique est cum brachiali connexio? sed in his, quæ ad humerum pertinent, cum cubitus excellat, tanto radio maior esse debuit, quanto articulus ad alias manus functiones vtilior fuit. De radij cubitique ossium situ, C forma motibusque ita res habet, At qui sint musculi & tendones ipsa mouentes in Galeni libro de lacertorum motibus abunde disertum est: supersunt adhuc ea de cubito dicenda, quæ secundum humerum sunt, ita verò se habent: cubiti excessus in magno humeri sinu inserti manui tentionem & curuationem largiuntur, quemadmodum radij ad humerum nexus motum supinum pronumque efficiunt: vtriusque autē radij vid. & cubiti capitulorum ad humerum commissura perfectè absoluitur, imis caui humeri partibus arctè adhærescens, adeo vt nihil vacui interiaceat: quare cum manus tenditur retrò non labitur, neque ad latera, sed erigitur curuaturq; mo- D deratè: at vincula quædam valentia in commissurarum sedibus enata vniuersū articulum ambientia copulant & deuinciūnt, vt non facilè illi duo extantes vertices Coronę vocati, & ancon ex subiecto sinu elabi queant, verùm humeri os extra gibbum est, interius cauū, idq; opificis nostri dei prouidentia effectum est: siquidem manus vt se respicerent, atq; in sese vergerent melius fuit: atq; propterea humeri sinum introrsum, gibbum verò extrorsum fuit positum: Galenus.

De musculis humerum cubitumque mouentibus. *Cap. X.*

E MVsculi autem quatuor humerum mouentes bini extrà, bini que intra positi sunt, alterque alteri incumbit, sese acutis angulis & obtusis intersecantes ad X literæ figuram, vt humerum vn-

dique ita contegerent, ne locum aliquem nudum relinquerent. Sed A in eorum fabrica id præcipuè mirabile eſt, quòd geminis obliquis motibus vnum rectum conſtituunt. Nam cum lacertorum cubitũ curuantium vnus ab internis ſummi humeri partibus oriens, inde ad anteriora humeri deſcendat, alter ab exterioribus humeri locis incipiens, inde ſenſim ad interna flectatur, in confeſſo eſt eorum poſitum X elemento non eſſe abſimilem: euidens quoque eſt eorum motus obliquitas, ambo autem trahentes ſecundũ rectum, exquiſitè cubitum curuant. Sed à recto de linantes ad alterutrum latus circũ ducunt. verùm quare humerus cubito maior? quoniam & cum ciẽtes muſculi cubitum mouentibus maiores ſunt, quare & oſsium B moles eis ſubiacentium maiores eſſe oportuit atque ideo humerus cubito maior fuit, ob hancque magnitudinem inanior interius cauernoſus & concauus, ſimul vt leuis ſit & proprium alimentum in cauitate illa reponat, quam ſanè medullam nominamus. Præterea quare humerus oſſe vno, cubitus binis conſtat? an quoniam cubiti functio ſanè admodum neceſſaria crebroque vſui eſſe ſolet: aut quoniam humeri caput magnũ eſt ſimumque & minimè extuberans Quàobrẽ ſcapulæ ſinus, in quẽ id inſeritur, nõ in heminæ formam, ſed pupillæ cauatus eſt minimè extantibus labijs circundatam gracilibus laxis membranoſisque copulis ſecundum humeri commiſſurã C deligatus. Hactenus de manuum fabrica, quatenus ad oſſa copulas artusque pertinet, tractatum eſt.

De crurum hominis ſtructura, quareque ſit erecta ſtaturæ. *Cap. XI.*

Reliquum modo eſt crurum ſtructuram ſummorumque pedum explicare, Dei prius ope implorata, vt eum ex proprijs operibus extollere ac celebrare valeamus, inter cæteras omnes greſsiles animantes, ſolum hominem Deus bipedem creauit, neque ſolum bipedem, ſed etiam erectum, nam ſecundum rectam lineam D ex dorſo oriẽtia crura produxit. Quãuis enim & aues bipedes ſunt ſurſumque ſpectantes, ad rectos tamen angulos ſpina ipſorum gradientium cruribus alligatur, ſicut in homine, dum ſedet, ſpina fœmoribus, tibijs fœmora per rectos angulos inhæreſcunt. In quadrupedib. autem non ita conſtitutum eſt, ſiquidem ijs omnibus prorſum verſus poſteriora crura flectuntur, ſicut priora retrorſum, contraras enim quadrupedes crurum flexuras efficiunt, pueris repentibus quam ſimillimæ. Quare ſapienter Deus noſter homines ſic omnino formauit, vt erecti aut ſedentes vitæ negocia obirent, proni autẽ aut ſupini nihil prorſus facerent, atque alioqui erectos *facili in* cœlum E intuitu ſuſpicere iuſſit, mentemque & manus ad bonum purumque Deum cœlorum incolam laudandum, eiuſque mira opera celebranda

A da attollere naturaliter apti sumus. Huius itaque rei causa tales nos Deus instituit: quamuis enim piscis ille vranoscopus. idest cœli speculator nominatus, oculos in superna corporis parte contineat, Dei tamen cognitionis est expers, cum sit ratione priuatus, verùm ad superius propositũ reuertamur.

De extremi pedis vsu & eius cum manu similitudine. Cap. XII.

B DIcamus itaque de crurum constitutione, quoniam quemadmodum manus capiendi instrumentum, ita crus ambulandi institutum fuit, vt sapiens animal rationabileque & mansuetum decuit. Igitur neminem præterit pedes oblongos, latos, molles & multifidos esse debuisse: talis enim fabrica ad omnia difficilia loca permeanda est idonea: si fortè altos parietes, aut arbores aut saxa conscendere oporteat, sed eos etiam à terra subcauos, superius conuexos esse oportuit: Quamobrem quoniam ad hunc modum ambulatio perficitur, pede vno terram premente, altero autem crure se pro mouente, necesse vtique fuit extremos pedes firmamenti causa cru-
C ra verò motionis per locum creata esse: frequenter enim aliqua ex causa rescissis pedibus, contis quibusdam nixi homines deambulare potuerunt. propterea cum summi pedes stabilitatis causa facti fuerint, eos latos esse oblongos, multifidos, inferius cauos, superiusq; conuexos coegit necessitas: nam sicut manus articulorum varietate ad cõplectenda corpora fuerunt accommodæ, ita & pedes quã maximè manus æmulati multifidi quidẽ articulis, eaque ex parte caui, qua conuexo solo inniti debuerant, omni loco firmiter inhærere exquisitè apti sunt. Hanc ob causam talem pedum structuram homini adesse expediuit non solùm quatenus gressile, verùm etiam quate-
D nus rationabile animal est: Inde autem euidentius, quod diximus percipere poteris. si quempiam graciles scalas conscendentem intuitus fueris. gradus enim comprehendentem pedis cauitatem cernes: eos vtrinque digitis calcaneoque, quo ad eius fieri potest, complectentibus, sicque pedis basim rotundam fieri instar manus subiectum corpus ambientẽ. Secundum hoc igitur manuum similes pedes fuerunt. pollex autem alijs oppositus digitis pedibus concessus non fuit, cum sustentationes tantũ sint organa sed brachialis similem eam partem habent, quæ Tarsus dicitur, & postbrachiali respondentem eam, quæ à iunioribus medicis Pedion (latine planta est)
E est nominata: Hæ vtique tres pedis partes, tribus, quæ sunt in manu, correspondent, digiti planta atque tarsus, quarum nulla alij ab homine animali inesse reperitur: Pedis autem pars tibiæ subiecta

cum ſit compoſita: nulla propria nomenclatura inſignita eſt: trib. ea A oſſibus conſtat, talo, calcaneo, eoque, quod à medicis diſſectorijs na uiculare os appellatur: Tarſus autem & planta quamuis ſunt compo ſiti, vſitata tamẽ nomina ſortiti ſunt. Dicemus itaque ſingula ſimpli cium pedis partium qua figura ſit prædita, & ad quid referatur, quo modo ſeſe reſpiciant, atq; inter ſe collocentur: præterea quis ipſarũ numerus habeatur, deq; mollitie & denſitate & omnibus, quæ earum corporibus inſunt, ſermonem faciemus.

De oßium pedis ordine ſitu ac motu. Cap. XIII.

QVinque eſſe pedis digitos ſenſus ipſe teſtatur, ſed propter B quid ex his quatuor tribus oſſium ordinibus componũtur: magnus autem digitus duobus? Quoniam interna pedis pars cum altior ac tanquam fornix ſinuata eſſe deberet, rationi fuit conſentaneum, eam tuta maioraque ſuſtentacula habere, duoque tãtùm eſſe magni digiti oſſa. Deinceps poſt hos planta ſita eſt magni digiti oſſi terræ innixo copulata. planta autem poſt brachialis vicem gerit quinque digitorum oſſa ſuſcipiens. Et quoniam vno ordine quinq; digiti ſunt, par eſt & plantam quinque oſſibus ad quinque digitos excipiendos contineri. Poſt plantam tarſus eſt & ipſe quatuor oſſicula parua nec medulloſa continens. Ex quibus vnum cubicæ C figuræ eſt ab exterioribus tarſi partibus, & calcanei cauo coniungitur. Ex reliquis autem tribus os cubicum nauiculare ſuperuenit, rurſumque ipſum cubicum ſuper tali caput aſcendit, talus autẽ tibiæ ſurçque appendicibus inſeritur, calcaneo verò incumbit, inferius duos quoſdam exceſſus in eius ſinus inijciens: Atqui extremũ pedem tendere, ac ſurſum verſum deorſumque conuertere, ad tibię ſurçque proceſſus peculiare talaris articuli munus eſt: verum ad obliqua conuerſio eiuſdem tali articulo ad os nauiculare vergente profi citur. At calcaneũ ſuſtinendi cauſa fabrefactum, haud iniuria cæteris pedis oſſibus grandius fuit à terra latum leueque à tergo rotundum D duos ſinus habens, in quos tali capitula ſuſcipit. Ipſe namque talus medius inter tibiam, ſuram & calcaneum, ſitus eſt, à ſuperioribus tibiæ ſuræque commiſſus, inferius autem calcaneo nauiculari que, præualidis vinculis vtrobique deligatus, de extremi pedis oſſiũ ordine eorumque poſitu ac motu ſatis diſſeruimus.

De Cruris oßibus, Cap. XIIII.

MOdo ſupereſt de Cruris oſsibus ſermonem facere, & eorum figuram molem, poſitum, motiones, commiſſuras que expli care. Igitur tibia ſuperiori capite craſſa eſt, inferiori parum graci E leſcit, ſpinam præ ſe habens ſupernè vſque ad inferiora promiſſam, nauiculari oſſi incumbens, ſuræ autem deligata: vtriuſque inferiora

extre-

A extrema tibiæ videlicet ac furæ talo valentibus, nerueisque copulis annectuntur, sed fœmori summis capitibus committuntur. Sura verò extrinseca parte tibiæ adhærescit, sanè admodum tenuis, cruri tamen accommoda. Inferiori enim articulo, quo talo connectitur, cum tibia extremum pedem sursum deorsumque contorquet, qua autem superius tibiæ iungitur, fœmur longè maximũ gestat. Tertius furæ vsus est, quod exterius tibiæ superposita cruris vascula & musculos ab externis iniurijs tutos præstat, quinetiam eius gracilitas ad sedem musculis cruri circumuolutis concedendã fuit oportuna. Quoniam autem à tibia fœmur gestari necesse fuit, at gestans gestato maius esse opus, tibia fœmore maior creari debuit.
B Contrà si maior foret, pondere motus celeritatẽ impediret, rursus, si minor fuisset, homo procideret, dũ firmus stare vellet. Itaq; vt molis põdus effugeret, firmitudineq; pariter in sustinẽdo fœmore haberet, mirificus Dei erga homines amor tibiæ furã copulare excogitauit, vtrunque abundè præstantem, & immobilem standi sedem & motus pernicitatem, vtraque fœmori per tibiæ sinuata capita deligantur. vndique vinculis præpotentibus constrictæ, vt simul conseruent articulum & tueantur, ne curuantia tendentiaue plurimum ex tibia fœmur elabi permittant. Patella verò à Græcis ἐπιγονατὶς seu μύλη ap-
C pellata, quæ os nerueum cartilagineumque est, à priori parte commissuram hanc totam contegit, fœmur ipsum in priora prolabi impediens secundum eas maximè figuras, quæ à Græcis γνὺξ καὶ ὀκλὰξ vocantur, quæ latinè sonant ingenua, & genibus flexis, quin etiam non parum opis affert. ne corpus nostrum procidat in locis præsertim decliuibus totum in priora propensum: Cæterùm nõ ab re alijs corporis nostri ossibus grandius fœmur creatum est. Primum nanq; heminę innititur, primumque totam superiorem corporis molem sibi incumbentem sustinet: ipsius verò caput in sinum coxæ conijcitur, tribusque robustis pariter ac rotundis copulis deuincitur, pri-
D ma exterioribus totius commissuræ circumtenta, altera interiorib. tertia inter priora posterioraque mediam sedem occupante. At femur ipsum non recta protenditur. sed à prioribus extrinsecisque gibbum, simum verò à posterioribus & internis, Talem huius figuram etiam docere nouit Hippocrates, atque fractum conseruare, neque protinus distorquere præcepit: Quibuscunque enim fœmur directius, quàm oporteat, factũ est, hi secundum genu obtorquẽtur, vaccijque redduntur. Quamobrem necessariò femur in priora & extrinseca curuatum est. ab hemina nanq; in obliquum abdu-
E ctus inguinibus internisque suis partibus capacem regionem concedit, vt musculi, nerui, arteriæ, venæque magnitudine insignes admitti valerent. Igitur secundum figuram non iniuria curuatur: si-

quidem à ſinu, qui Cotyla dicitur, in medium vſque oblique porre A
ctum, à medio rurſus vſque ad genu in interiora deuergit, figuram
appoſitam faciens, & ad ſedendum, & ad multa, quæcunque ſeden-
tes facimus, obeunda. Duos præterea exceſſus paulò infra ceruicem
in ſima parte continet, quæ Trochanteres à Græcis, tuberoſa capita
latinè nominantur. Quinetiá ab exterioribus in gibbo alius maior
exceſſus eſt, quem γλουτὸν idest natem vocauerunt. Hactenus de ſum
mis manibus vſque ad humeros, deque intercedentibus commiſſu-
ris ac motibus, pariter de extremis pedibus vſque ad fœmora in præ-
ſenti libro diſſeruimus: ſed qui ſint lacerti & tendones hæc mem-
bra cientes, in libello Galeni de Muſculorum motibus accuratiſsi- B
mè poſitum eſt, quique ea diſcere optauerit, in eo ſeſe libro exerceat.

THEOPHILI DE HV-
MANI CORPORIS FABRICA
Liber ſecundus.

Caput primum.

IN Superiore libro totius huius operis primo de manuũ C
extremorum pedum, crurumque conſtitutione ſermo-
nem fecimus, ea membra melioris vitę cauſa homini fuiſ
ſe conceſſa declarantes: Cæterùm quoniam & ipſa & re-
liqua omnia animalis membra neceſſariò nutriuntur, nutri-
cationem verò aſſimulatio præuenit, hanc rurſus agglutinatio, quá
applicatio antecedit, & hanc ipſam per cauæ venæ vaſcula in totum
corpus digeſtio, quam item ex caudicis vena in cauam ſanguinis de-
riuatio: ſanguinis autem in caudicali vena confectionem ſucci ex vẽ
triculo gracilibusque inteſtinis per medianas venas diſtributio an- D
teuertit. At ipſe ventriculus cibos primum ſuſcipiens per gulam &
fauces deſcendentes prius dentibus attritos in ſuccum vertit, Non
alienum fuerit in hac ſecunda operis parte à ventriculo narrationem
ordiri, quandoquidẽ & conditor noſter Deus ipſũ primum aſſumpti
cibi potusque receptaculum conſtituit.

De ventriculi ſitu. *Cap. II.*

ITaque primum de eius poſitu loquamur, mox de figura & virib.
pòſt de eius functione, deinde totius corporis ſubſtantiam deſcri
bamus. Ventriculus in medio animalis corpore ſitus eſt, ingreſſum
habens à ſuperiori ſui parte, (quod & os ventriculi vocatum eſt), E
anguſtum oblongumque ab ore ventriculi ad fauces vſque pertinen-
tem: Huiuſce ingreſſus apud Gręcos proprium nomen eſt Oeſopha-
gus

A gus commune ſtomachus, latini gulam vocauerunt. Fauces autem ſunt latum intra os ſpatium, in quod columella propendet: Igitur ventriculus cibos ad nutriendum aptè confectos ab ore per gulam deorſum trahit: ij quidem dentib. atteruntur, in orbemque à lingua rediguntur, & ad fauces deducuntur. Hos ergo per gulam ventriculus attrahit ex duabus tunicis ſeſe mutuò complexis conſtitutus: quarum vna interius, altera extrinſeca eſt. Exterioris quidem fibrę ſecundum rectam lineam collocantur, interioris autem in orbem tranſuerſæ ſunt, vt in deuorando rectæ fibræ deorſum trahant, tranſuerſæ attractum circumueniant. At ipſa gula motionis, quæ ab

B inferiorib. ſurſũ verſum fit, via quædam eſt, non tanquam trahens, ſed tantum via: Siquidem dum nimio plerunque cibo oneratur animal, oppreſſus ventriculus, neque in concoquendo cibum complecti valens vi ſua expultrice ſuperuacuum extrudit, ad vomitum animal ſtimulans, vt ne cibi pondere ſuffocetur.

De ventriculi forma viciniſq; membris *Cap. III.*

Ventriculi autem figura ita ſeſe habet: poſtquam ciborum capiendorum cauſa paratus eſt, totumque locum medium occupare debuit, inter iecur lienemque poſitus, non ab re, oblongus & ro

C tundus factus fuit: oblongus quidem ſecundum rectam figuram, vt ſedem in dextra iecinori, in ſiniſtra lieni concederet. eius ima pars ſuperiore latior eſt, cum decliuis ipſe ſit, ob rectam hominis ſtaturam: rotundus eſt autem, vt minus periculis pateat: Siquidem inter omnes figuras in planis circulus, in ſolidis corporibus globus tutior eſt, cum retundi refringiúe nequeat. Cæterùm cum neceſſarium munus ventriculo commiſſum fuerit, (ad macerandos enim in ſuccumque vertendos aſſumptos cibos creatus fuit) plurimi caloris indiguit. eius autem proprium atque inſitum calidum tanto operi ſuf

D ficere non poterat, idcirco diuina ſapientia ipſum foueri curauit, à dextris iecur inſtar feruentis lebetis ſtatuens, à ſiniſtris eiuſdem vſus cauſa lienẽ, à tergo ſpinales muſculos ſpinamq; ipſã, ante incumbens omentũ ventriculũ contegere: ipſumq; vndique calore perfundere mandauit. Omentũ verò eſt cõpoſitũ corpus duabus tunicis veluti quibuſdã inuolucris contextum, ab interioribus duarum tunicarum partibus venæ arteriæque plurimæ diſperſæ ac inter ſeſe perplexæ retis imaginem faciunt: inanib. autem texturæ huius plagis pingue quoddam admodum copioſum ea loca replens, inſtrumentumque ipſũ excalfactoriũ faciens continetur, huius modi eſt omenti natura. ipſi verò abdomini muſculi adhæreſcunt: Supra ventriculum trãſ

E uerſum ſeptum eſt, eius oſtium claudens, atque conſtringens, vt ne, cum cibi potuſque ventriculus plenus eſt, rurſum verſum in gulam recurrere permittantur; Inde imæ ventriculi parti inteſtina

adiacent: quorum primum est, quod Græci pyloron vocant: quo- A niam ostij instar in inferiores partes ea. quæ excreturi sumus, emittit Iste exitus quidam ventriculi est angustus, & quadam opposita glandulosa carne circumseptus, ne esculenta non in succum redacta prius elabantur, quàm decentẽ coctionis modum acceperint. Iam satis ventriculi positum & figuram, contiguaque membra enarrauimus.

De Ventriculi viribus. Cap. IIII.

AT in ventriculo quatuor naturales facultates esse positas, sicut & in reliquis mẽbris, attractoriá videl icet, cótentricem, altertricem, & expulsori, ãita sanè discere poteris. Quod libet mẽbru alimenti appetens necessariô illud attrahit, cuius est appetens: vt autem eo frui queat, in suam ipsius substantiam omnino conuertere studet, sed quod immutandum est, temporis indiget: tempus autem nisi illud retineatur. interesse non poterit: retinenda sunt igitur tantisper donec cõuertantur cibaria. Præcedit autẽ cõmutatricẽ vis retentoria. nũ igitur hæc satis probauerint in ventriculo naturales víres in esse? an aliud quippiá clarius & euidentius, deq; alio etiá mẽbro exponere opus fuerit? Cibos ventriculus cõtinet, donec cõcocti fuerint. Cótinẽt verò & vuluæ fœtus, donec absoluantur, sed tẽpus continẽdi in vluua fœtus multo longissimũ est, quá cibi in vẽtriculo: attracto nanque maris semine, vulua id tanquam domesticũ familiareque amplectitur, seipsam vndique in arctũ compellens, propriumque ostiolum claudens, adeo, vt ne specilli quidem mucro intro ire valeat: conclusum igitur masculi semen cũ muliebri semine permiscetur, simulq; alteratur, atq; ita ambo fermentantur. vnaq; substan tia fiunt. fœtus autem menstruo purgamento nutritur & pedetentim augescit, carnis tantum formam vsque ad tricesimum diem sortitus: Deinde immensa Dei in creando sapientia carnem illam in humanam speciem efformat. Si fœtus mas fuerit, diebus triginta figuram lárgita: si fœmina, summum duobus & quadraginta. Causam verò huiusce rei, cum de genitalibus partibus loquemur, explicabimus. Itaque efformata caro propriaque figura insignis alitur, crescitque motu in tertium vsque mensem carens. Si mas fuerit, inde motu cieri incipit: at fœmina nõ ita vt mas, humidior. n. imbecilliorque est: atque ideo longioris temporis ad motum eget. ná quarto mense fœmina mouetur, Igitur paulatim crescit fœtus & mouetur, donec nouem mensium tempus elapsum fuerit, posteà mense decimo virtus contentrix perfuncta munere alteri virtuti expulsoriæ nominatæ cedit, ea fœtum pellit, in lucemque excludit, atque ita in mundum homo editur. Hæc sunt ineffabilis Dei in homines amoris opera. At nunc de expulsoria ventriculi facultate loquamur. postquam

Exemplũ de vtero & fœtu

B C D E

A Postquam in stomacho cibi versi in humorem sunt,& concoctio absoluta est, eo loco amplius morari nequeunt: igitur concoctus in vẽtriculo succus ab expultrice vi in imam partem, quæ à Græci pyloros vocatur à nostris ianitor appellatur, & in teuia intestina propellitur medianæ autẽ venulæ in tenuibus intestinis sparsæ, mundissimum succum attrahunt, & ad caua iecoris, in locumque Portas nominatum deferunt. Crassior verò succi, fæculentaque pars, atque (vt ita dicam) furfuracea ad crassa intestina detruditur.

De numero, situ, vi & substantia intestinorum, Cap. V.

B EA verò omnia substantia quidem carnosa sunt,& ex duabus tunicis constantia: situ tamen, figura, functione differunt. Rectũ nanque omnium infimum est è regione extremæ spinę interius collocatum vsque ad anulum musculum, qui Sphincter græcè à cõstringendo dicitur: Stringit enim clauditque recti extremum, vt ne inuitis nobis stercus aut flatum, aut quippiam aliud egredi permittat: quandoquidem volũtarij motus musculus hic astrictorius instrumẽtũ est: vbi aliquid excernitur, laxatus, vbi supprimendũ est, contractus. omnibus verò intestinis optimę Dei artis prouidentia duas tunicas largita est: Siquidem ex phlegmonis magnis antecedentibus Sphincter
C nonnunquam perniciosis vlceribus ipsa infestantur, adeò vt putredine corrodatur excidatque vna tunica, viuat tamen cum altera homo valeatque, & sine vitio fungi suis muneribus possit. At intestinum Colon vocatũ supra rectum iacet, quod à sinistra parte incipiẽs in dexteriorem obliquum cõuertitur. Id intestinum pituita crassoue spiritu obstructum adeo ingentes dolores patientibus concitat, vt eorum magnitudinem sustinere non posint: At cœcum intestinum & ipsum vnum de crasioribus in dextra quidem parte infra dexterum renem iacet: sinuatur autem ac latè in orbem funditur. & imperuium est, ideoq; ei tale vocabulum fuit. huiusmodi intestinũ
D sinu suo tanquam altero ventriculo alimentum ad futuram necesitatem continet, idque vicinis membris in ieiunio ex longa fame distribuit. Huic quoque rei Colon suffragatur, & ob suam amplitudinem, & ob situs obliquitatem ipsum etiam alimenta continens, inde tenuius intestinum supra cæcum porrigitur in plures orbes vehementer implicitum, vt in ipso contentus succus diutius maneat & à medianis vasculis raptus ad iecoris portas deriuetur: nam si rectum tenue intestinum poneretur, repente ad inferiora per ipsum means succus laberetur, atque imperfecta ad iecur digestio fieret, Mox ieiunum super tenue intestinum ingreditur, & ipsum flexuosè
E apud iecur positum, semperque inane, propter biliosum humorem in ipsum delabentem (meatus namq; vesicæ felleæ superuacuam bilem educens in ipsum ieiunum eandem eructat) igitur huiusce ex-

crementi fellei acrimonia fit, vt totum alimentum in ieiuno mora- A
turum dilabatur, atque ideo ieiunum nominatur. cum sit autem vacuum, magnam ſucci copiam de ventriculo ſugit, & hanc ob cauſam multæ venæ ex medianis vaſculis in ipſo inſeruntur, Inde ſuper hoc appendix quædã eſt 12. digitorũ longitudinis, & ipſa inter gracilia inteſtina connumerata, cumq; eius longitudo duodecim digitorum ſit, propterea ab Herophilo græcè Dodecadactilos nominatur. rectus eſt autem eius poſitus, paucæque medianæ venulæ in ipſo inſertæ ſunt: quoniam in ipſum primum exiens de ſtomacho, ſuccus ingreditur. Quamuis enim hoc ianitor ſuperior eſt, proximè ad ventriculũ collocatus, breuis tamen & anguſtus, exitusque tantũ ventriculi eſt. B

De tunicis & ſubſtantia ventriculi & inteſtinorum, *Cap. VI.*

PRimus autem inteſtinorum omnium ventriculus eſt, qui ex duobus tergoribus conſtat, cui ſtomachus ſuprà contiguus eſt Oeſophagus etiam appellatus, & ipſe duplici tergore munitus: fibras verò ventriculus & ſtomachus habent, in interiore quidem tunica rectas, quibus cibus detrahitur, in exteriore tranſuerſas, quę cingunt & amplectũtur. Sunt & in ventriculo obliquæ quædam fibrę tranſuerſis intertextæ retentioni moræque cibi in ventriculo opitulantes: at C
ventriculi ſubſtantia caro quædam albida & exanguis eſt. inteſtinorum quoque talis eſt, ſed gracilium penitus ſimilis, craſſorum plenior ac pinguior. Cæterum tenuium craſſorumque iuxta inteſtinorum fibræ tam interiorum quàm exteriorum tunicarum omnes tranſuerſæ ſunt. excretoria enim ſunt inſtrumenta: præterquam quòd paucæ quædam rectæ fibræ transuerſis intertexuntur, ne copioſæ ac repentinæ excretiones fiant. Potiſsimum verò in recto inteſtino multæ rectæ fibræ cum tranſuerſis permiſcẽtur: nam quicquid ore aſſumimus, in ventriculum ac inteſtina delabitur, Infimum verò omnium rectum eſt, & plærũque cum alij oſſa deuoraſſent. alij D
nummum, alij ſquamam, omnia in rectum delapſa, ibi retenta ſunt, diſtentionemque duritia ſua fecerunt, quare Dei creatrix ſapientia ea cæteris valentiora facit, quæ maiorem vim patiuntur. Eandem ob cauſam & colon inteſtinum intus inflatur magis, quàm alia, infeſtoſque dolores obſtructionem patientibus, ſitus flexuoſi anfractu, infert, atque ideo tranſuerſis eius fibris rectæ tunicas roborantes intexuntur, ne vi diſtentionis effringantur. Hæc Dei noſtri optimi fuere conſilia, atq; ita animaliũ ſaluti proſpexere. De inteſtinis ſatis copioſe dictum arbitror, ſi eorum ordinem expoſuerimus. Is ita ſe habet: gula, ventriculus, ianitor, duodecim digitorum appendix, ie- E
unum, tenue, cœcum, colon, & rectum.

Ordo inteſtinorum.

De Peritoneo musculisq; abdominis. *Cap. VII.*

A CONtegit autem hæc omnia adiacentiaque viscera quæcunque infra septũ transuersum sita sunt, veluti operculum, membrana quædam, quæ Peritoneos à Græcis nominatur, ex hac animalibus commoda multa proueniunt, primò, quod contegit: secundò, quod à superincumbentibus musculis viscera diducit: tertiò vt celerius aridi alimenti superuacua descendant: quartò ne facilè intestina ventriculusque inflentur: quintò, vt omnia infra discrimen ea colligentur, atque ceu illinantur, vt caro carni cohæreat, quemadmodum & extrema membra cuti vestiuntur. Super membranam peritoneon extra, intus & à fronte abdominis musculi octo numero positi sunt. Horum quatuor sunt paria si homo rectus collocetur, quorum primum à spurijs costis prodiens, & obliquè descendens in priora, ad pubis ossa terminatur. Secundum è contrario à coxendicis ossibus incipiens, & in priora obliquè ascendens, ad cartilaginem gladij formam referentem definit, atque in transitu primum par, ad acutos obtusosque angulos secans figuram x literæ persimilem facit. Tertium verò à cartilagine gladiali exoriens, rectà in pubis ossa descendit, & per rectam lineam musculos secundi paris intersecat, à dextra læuaque medium inter duos musculos à gladiali cartilagine vsque ad ossa pubis collocatum. At quartum par omnium musculorum intimum à lumborum vertebris incipiens, transuersum ad priora progreditur, & cum tertio pari vtraque ex parte tam dextra quàm sinistra committitur: quippe quod cætera musculorum paria coniungat, atque aurigalis fasciæ instar ventriculum & interiora constringit. Ad excernendum, ad vocem emittendam, ad arcendam viscerum inflationem opem ferunt, super hæc omnia exterius cutis commune omnium animalis membrum tegumentum ponitur.

Cur instrumenta nutritionis neruo participent. *Cap. VIII.*

VNiuersũ autẽ sciendũ est, omnia nutritoria instrumenta paruo aliquo neruo fuisse donata, vt infestantes humores dignoscerent. nam si sensus penitus essẽt expertia, nihil obstaret, quin homo breui esset periturus: quandoquidem, si, cum flaua bilis ventriculum, gulam, Intestina, iecur aut lienem, aut quodpiam aliud nutritorium membrum vellicat, aut obstruit, confestim medici aut sãguinis missione, aut purgatione, aut vomitu, aut clysterijs vexantẽ succum expellere conantur: quid cum homine ageretur, si nutricationis membra prorsus sensu carerent, nihilque doloris perciperent? Sæpius enim intestinum aliquod ab acriori succu vulneratum, sæpius erosum, non spernendum periculum intulit. Quemadmodum

etiam scriptum reliquit Hippocrates, *Tormina si ab atra bile oriantur, mortiferum est*, hanc ob causam consultoria Dei potestas nutritiuis particulis neruum pro sensu idoneum inseruit, vt doloribus percussæ, homines ad ipsarum curationem impelleret.

De succi in iecur distributione & vasculis & Mesenterio. Cap. IX.

INitiũ igitur à digestione, quæ fit in iecore, accipiamus, quomodo & per quæ vascula perficiatur: id enim mihi est propositum, esculenta omnia & poculenta in ventriculo liquescere, eiusque viribus decentem coctionis gradũ accipere, paulo superius conprehensum est, eaque concocta non amplius in ventriculo moram ducere, sed pelli ad intestina, & id quoque rectè diximus: exeuntem itaque per ianitorem succum in appendicem, duodecim digitorum longitudinem implentem ieiunum in sinus flexuosum suscipit. Huius intestina multis venulis, quæ medianæ nominantur, sparsa sunt, maioribus & minoribus ex simo iecoris enascentibus. Hæ purissimum succum rapiunt, Scybalum autem, hoc est excrementosa pars, deorsum in crassa intestina deijcitur: ipsum autem illum succum in caua B
portæ iecoris iecoris ducunt, ad locum, quæ portæ iecoris vocantur: sic illum vir quidã bene doctus Asclepiadæ temporibus cognominauit, exinde vsque ad hanc tempestatem sic à sapientibus appellatus fuit: In eiusmodi portis medianæ venulæ: vt in arboris radice colliguntur capillamentis araneisque persimiles: Verũ cum in vehementioribus motibus ipsas disruptum iri periculum esset, eas diuina prouidentia munimento fulcroque carere noluit, sed earum in ramos diuisuras carne quadam crassa, candida, suppingui, veluti supplemento firmauit. Ea multa simul vascula & glandulas, quas Adenas vocant, magnas paruásque valde multas continet, ipsamet carne venas omnes deuinciens, ipsisque stabilitatem largiens, carnẽ hanc Mesenterion, quòd media inter intestina sita est, nominauerunt: alij mesareon, C
Mesenterion quòd media inter omnia hæc vasa at tollatur: alij Calicreas, quòd esui sit iucundissima. Hæc prudentissimæ Dei artis fuere consilia. D

De vena caudicis, & sanguinis confectione, Cap. X.

EX harum omnium venarum radicibus vna quædam vena ceu arboris truncus enascitur, qui in ramos multos maiores minoresque diuiditur Hæc truncalis (vt ita dicam) vena in sima iecoris parte scinditur, ramulis suis angustissimis primum ex ventriculo atque intestinis succũ defœcatissimum ad sãguinis generationem antè elaboratum suscipiens: participant enim & mesaraicæ venæ vi quadam sanguifica, licet obscura & minima. Itaque postquam succũ hunc. E

A hunc trũcalis vena recepit, ipsum in sanguinem mutat, sanguis autẽ postquã factus est, diuiditur, & ex ipso leuis pars & aerea, quæ flaua bilis est, supernatat, & in fellis vesicam per canaliculum in ipsam fel leum excrementum deriuantem effunditur: cum verò id à vesicula susceptum in eius propriã substantiam conuersum est, superuacuum per educẽtem fistulam in ieiunum intestinum euomitur. Terrea autem crassaq; pars & veluti fęx sanguius in fundum sua grauitate decũbit. ea ex iecore tanquam abundans excluditur, sed à liene ceu familiaris per meatum in illam pertinentem attrahitur. Huius excremẽtũ à liene alteratur, & secundũ eius propriam substantiam in melancholicum succum & specie & viribus permutatur: niger enim

B lienis est raraq; & inani substantia, & multis arterijs peruius, raroq; integumento velatus: nam vt crassum terrestremq; succum in aliam formam alterando traducat, talis & est, & factus fuit. Igitur confectũ succum vis in liene sequestratoria partitur, eiusq; tenue & purum (vt in melancholico succo fieri potest) ad sui escam incrementumq; retinet, reliquum autem sibi inutile ad ventriculum expellit, quod in commodum animalis vertitur. roborat enim quas contingit ventriculi partes animalisq; appetentiam excitat. Itaque in simis iecoris intra venam illam trũcalem sanguis purißimus cum aqueo excremento relinquitur, idque altioris prouidentiæ opus fuit: siquidem

C cũ sanguis purior crassus sit, & eũ in cauã venã permeare oporteat, Angustißimique meatus sint, quibus ea cum caudicaria committitur, aqueo excremento, vt vehiculo ac duce, indiguit, vt cũ tenui corpore simul etiam crassum peruaderet.

De iecore & vena concaua, Cap. XI.

QVamobrem iecur corpus est cõpositum ex venis differentib. constans, arterias etiam venis appositas refrigerandi causa continens, neruo etiam participat, vt sensu inuadentium malorum

D afficiatur. At iecoris ipsius substantia caro quędam est mollis & rubea, veluti recens concretus sanguis. ea Parenchyma à Græcis appellatur. Quæ vndique supraq; & infra venis atque arterijs perforatur, exterius peritoneo mẽbrana inuoluitur, & in quatuor fibras scinditur. *parenchyma* Quidam autem ex mathematicis medicis, fibris hæc nomina imposuit, Prima focus dicta est: maxime namque ad succi coctionem facit, quemadmodum focus ad coquenda cibaria. Secunda mensæ nomen sortita est, quoniam mensæ vicem gerit: siquidem membrorum alimenta in ipsa apponuntur. Tertia culter nominatur: diui

E dit enim segregatq; inter se humores, aut siquid crasßius distribuendum sit, id secat atque commutat. Quarta verò aurigæ nomine prędita est: nã humores excoctos naturales vires bene regunt, atque in

melius recta ducunt. Igitur rite inexplicabilis Dei ſapientia iecur in fibras quatuor ſeparauit. ipſas namque ventriculo veluti excalfactorium tegumentum ad iuuandam coctionem ſuperimpoſuit. Fibris enim tanquam digitis maiorem ventriculi partem complectitur: verum non in omnibus hominibus quatuor fibras iecur habet: ſed in ijs qui proceritate excellunt: ſuperius autem, qua manu tangitur, gibbum eſt: intrinſecus, qua ventriculo inhæreſcit, cauum: at vena ſanguinem coquens, quæ & caudicaria dici poteſt, in cauo iecoris in plures finditur: in gibbo verò quæ caua vocatur, atque inter ſeſe caudicaria vena & concaua oſculis venularum arctiſſimis committuntur. per hæc ſanè oſcula caua vena ex caudicaria mundum concoctumque ſanguinem cum diluto illo excremento exhaurit. Itaque ex ſummo iecinoris gibbo caua vena exoritur, qua tranſuerſo ſepto ſuſpenditur, ac veluti ab radice truncus maximus ſurſum deorſumq; ſpinæ adhæreſcens porrigitur, quæ aſcendit, ſurſum per diſcriminis foramen vſque ad iugula ſpinæ incumbens fertur, ſed ab ipſa ramus magnus in dextrum cordis ſinum progreditur, vt ei ſanguinem pro alimento ſubuehat. Quod autem ex ea ad iugula conſcendit, in duas partes diuiditur, rurſumque ipſæ diuiſæ partes in binas finduntur, vnaq; ex his per humerum ad manum deſcendit, in plura germina maiora minoraque diſcerpta: altera per ceruicem in caput euadit. id autem vtrinque tam à dextra quàm à ſiniſtra efficitur. item ex magnis ſectis iugulares venæ ſunt, verũ de ipſis noſtra erit oratio, cum cerebri naturam explicabimus. At truncus venæ cauæ deſcendens, & ipſe per ſpinam incedit, ceu magnus aquæductus in venas multas exiguas & ampliores per vniuerſum corpus diſſipatus, omneſque eius particulas irrigans. A B C

De meatibus vrinarijs renibus & veſica, Cap. XII.

EX hoc magno riuo per ſpinam deſcendente duo vaſa egrediuntur, in dextram vnum, alterum in ſiniſtram, ſingulumq; in rene inſeritur. Igitur à renib. per huiuſmodi fiſtulas aqueũ ſanguinis recrementum attrahitur: non eòdem autem tempore vterque ob ſitum differentem attrahit: Siquidem ren dexter ſuperior ſiniſtro eſt adeo vt in quibuſdam ipſam magnã iecoris fibram contingat. Trahũt itaq; renes vnus poſt alterũ, quoniam ſi eodem ſimul tempore æquè valenter traherent, alter alterius functionem retrahens impediret. id boni Dei prouidentia præſentiens dextrum renem ſuperiorem & venæ cauæ proximum collocauit, vt vicinitate citra reuulſioné attraherent. Quamobrem renes quod attraxerunt capientes in ſuã ipſorum ſubſtantiam conuertunt, & in vrinæ formam permutant. hanc ipſi renes ſeiungunt per vrinarios meatus in veſicam vrinæ receptaculum emittentes. Suntautem vrinarij meatus, quos Græci D E

Vreteras

A vreteras vocát, vaſcula anguſta, oblonga, à renibus orientia, veſicæque inſerta vnum à dextra, alterum à læua: deſinunt verò iuxta veſicæ ceruicem, ſed veſicæ iter, in quod vrinaria vaſcula perueniunt, tortuoſum eſt, atque ideo vrinam relabi non permittit. Ex duabus autem neruoſis denſis compactisque tunicis veſica componitur, eo quòd tenuem humorem aqueumque contineat, verum in eius ceruice aſtrictorius muſculus ponitur, eam exactè complectens atq; concludens: neque inuoluntariè vrinam exire permittens, Eſt enim muſculus electionis inſtrumentum.

De Caua Vena inceſſu, & per corpus Diuiſione. Cap. XIII.

B CÆterum reuertentes de caua vena ſermonem abſoluamus. Magnus ipſius canalis ſpinam premens ad caudam vſque vbi ſacrum os eſt, delabitur. Eo in loco bipartito ſcinditur, deinde ſecta illa rurſus in quatuor, iterum ea in alia, emittunturque vt ſanguineo humore omnes inferiores partes irrigentur. Aliæ quidem venæ ad dextrum ſiniſtrumque crus ad extremos vſque pedes profundè, atque in ſuperficie incedunt: aliæ ad teſtes & colem: aliæ ad ſeminaria vaſcula & varicoſos aſſeſſores: aliæ autem ad veſicam, & ſi fœmina ſit, ad vterum: & de alumnis particulis hæc puto ſatis fore.
C reſiduum eſt explicare quæcunque ordinatè ſequuntur, vt fiat nutricatio.

Quot ad nutritionem requirantur. Cap. XIIII.

IGitur primus eſt os introitus: ſecunda per dentes attritio: tertia per linguam in globum formatio: quarta per gulam deuoratio: quinta in ventriculo in humorem conuerſio: ſexta per meſaraicas venas diſtributio: ſeptima in cauo iecoris ſanguinis generatio: octaua ex cauo in gibbum ſanguinis migratio: nona per cauam venam ſanguinis in totum corpus digeſtio: decima ſanguinis ex venis in muſculos profuſio, quę Appoſitio vocatur: vndecima eſt ſanguinis
D muſculis fermentatio, quæ adhæſio dicitur: duodecima eſt fermentati ſanguinis in carnium cutisq; ſimilitudinem permutatio, quæ aſſimulatio nominatur: decima tertia eſt ipſa nutritio. Ab initio ſermonem per reſolutionem orſi, in fine per diuiſionem abſoluimus, Deo duce atque fauente.

THEOPHILI DE SPIRABILIVM MEMBRORVM STRVCTVRA

Liber tertius.

Continuatio & intentio. *Cap. I.*



E hominis fabrica in libro hũc pręcedente loquuti, de eius nutritiuis particulis curiosè disputauimus, earũ positũ & magnitudinẽ, functiones præterea atq; vsus recẽsentes: in pręsenti autẽ huius voluminis parte spirabiliũ viscerum structuram explicare accingimur, Christo prius vero Deo nostro inuocato, quoniã omnia per ipsũ facta sunt, & sine ipso nihil factum est. B

De ordine dicendorum. *Cap. II.*

IGitur à corde initum capiã, quippe quòd ingeniti caloris radix & fons est, ipsumque per arterias in vniuersũ corpus diffundens omnibus eius partibus vitam elargitur. Nam cordis causa reliqua spirabilia organa creata sunt, vt eius insitus calor, refrigeretur, augescat & nutriatur: iccirco boni Dei nostri prouidentia pulmonẽ spirandi officinam procreauit, vt attractus per ipsum externus aer in cor transmittatur, eius calorem refrigerans, nutriens, augensque. verùm, quia non per se pulmo sed ad motum pectoris cietur, ne vacuum in rerum natura sit, initium exponendorum spirantium membrorum à pectore faciam. C

De pectore. *Cap. III.*

ITaque pectus est corpus compositum, ex dextris leuisque costis: in priore autem duobus ex ossibus cõstans, quorũ vnum Stethos alterum Sternon Græci vocant, à tergo duodecim spinæ vertebris quæ vnà cum pectore desinunt. Inter sese autẽ vertebrę vtrinque costarum compagibus deligantur. Sternon quidem os supra mammas vocant, quod infra est, Stethos. superius quidem iugulis & collo terminatur, ab inferioribus transuerso septo: Suprà enim pectus est. Igitur pectus spiritus instrumentum est, ipsum trahens reddensque voluntatis motu agitatum: nam per musculos & neruos ipsi motus inest, interius concauum, vt sensus declarat, totum verò internum spatium pulmo occupat, vocale simul spirabileque instrumentum. Verùm hinc exorsi eorum commoda exponamus. D E

Sternon *Stethos* *Pectus quid*

A *De vtilitatibus pectoris & pulmonis. Cap. IIII.*

SPirationis vſum in animalibus propter cor fuiſſe à natura inuentum demonſtrauimus, quod ſanè externi aeris indiget: Siquidē externus aer attractus ipſum calorem præferuidum refrigerat. Duplex verò cum ſit in corde motus, per diſtentionem videl: & contractionem, dum diſtenditur, refrigeſcit, dum contrahitur, fuliginoſa recrementa propellit: neque ſtatim à faucibus cor ſpiritum adducit, medius enim pulmo inter fauces corque intercedit, idque diuinæ eſt prouidentiæ teſtimonium, nam ſi protinus à faucibus cor animam
B acciperet, rurſumque expelleret, duorum incommodorum alterum euenire neceſſe eſſet, aut importunè aerem lædentem immitti, aut dum nihil attrahitur. confeſtim ſuffocari, propterea igitur Dei conditrix ſapientia non cor ſolùm ſpirabile viſcus machinata eſt, ſed extra pulmonem pectusque ipſi aerem purgantes temperantesque circumdedit, ſimulque per ipſorum compreſſionem vocem animali fabrefecit.

De cordis pulmonisq. & cauæ venæ proceſſu poſitu & partibus, Cap. V.

C ATqui intra pectoris inane exquiſitè medium cor eſt poſitum, vt æque totum ex pulmone refrigerium adducat, itemque vt longius à noxijs in pectus incidentibus ſummotum ſit. Totum autē pectus præualidis membranis medium interſepitur: ſuperius à iugulis, inferius à cultrali cartilagine vſque ad profundam ſpinam in dextrum ſiniſtrumque ventriculum diuiſum, qui neceſſarium alioqui animali vſum præſtant, quandoquidem plærunque dextra pars læſa, animal ex dimidio ſpirans & ſemiuocale ſeruauit, incolumi ſiniſtra remanente, qua & ipſa laborante totum protinus animal voce ſpirituque priuatur. At cor vitale principium à pulmone quatuor fi-
D bris tanquam digitis vtente præcingitur: quinta enim exigua eſt neque muniendi cordis cauſa creata, ſed ſtratum quoddam, et venæ cauæ ceu vehiculum, atque ideo in ſumma parte ad eam venam recipiendam in ſinum deſinit, ne in dextrā aut ſiniſtram laberetur, Eadē etiam fibra in dextrā vergit, nam caua vena ab iecore exoriens dexterior ad dextri in pectore ſinus cauitatem aſcendit, eius verò medium à ſuo ipſius ramo ſuſtentatur, qui in dextrum cordis ſinum ſe inſinuans, ei ad alimentum ſanguinem ſubminiſtrant. Superior cauæ venæ pars ad iugula repens à glandula thymo appellata ſuſtinetur, ſuper iugula ſciſſa iugulares venas profert, & alias multas, quaſ- *Thymū*
E dam ad ſcapulas & manus, quaſdam ad caput cerebrumque diſcurrentes promittit, De cordis pulmonisque ſitu abunde dictum ſit.

De cordis figura & cauis, *Cap. VI.* A

AT de figura nunc orationem habeamus: coni figuram refert cor eiusque basis è regione spinæ statuitur, mucro è regione pectoralis ossis, quod Sternon dicitur, carnis tegumentum satis firmum habens: vt & spiritus cordis incola hac parte conseruetur, atque vt externos in Sternon occursus à corde summoueat, paulum in sinistram coni acies vergit à proprij ventriculi spiritu exurente pertracta, in sinistra autē parte spiritus ventriculū natura molita est, quemadmodum in dextra sanguinis, verùm in medio basis cuspidisque spatio vtrinq; sunt cordis sinus gemini: horum vnus dexter est alter sinister: Sanguinis quidem receptaculum dexter est, paucum spiritum, continens, at spiritus fons est sinister, modicum sanguinis habens quandoquidem & arteriæ spiritu affluentes exiguo sanguine alimenti causa participant. contrà venæ sanguinis plenæ & spiritus aliquid vitæ causa retinuerunt. victuri enim corporis parti ventilatione opus est. B

Aliter sentit Galenus

De vasculis à corde nascentibus. *Cap. VII.*

CAeterùm à cordis basi, quę eius princeps pars nominatur, vascula oriuntur, ex sanguineo ventriculo arterialis vena sanguinem ex caua in dextrum cordis sinum deriuatum exhauriens, in pulmonemque profundens, vt ipse ipsiusque vascula alantur ac augeantur. At ex sinistro cordis cauo grandis arteria exoritur, quæ spirituosa à nonnullis & Aorte vocata est. Hæc per totum corpus dissipata, vagatur, omnes eius partes refrigerans, vitalique calore sustentans, de cordis figura eiusque partium situ hæc disseruimus. C

De cordis substantia, *Cap. VIII.*

DE tota eius substantia nunc docebimus. Cor est caro dura noxijs causis valde resistens ex varij generis fibris composita à musculis per fibras differens: musculi nanque vnius tantum generis fibris constant, aut enim rectas tantùm secundum longitudinem, aut transuersas secundum latum fibras habent: simul verò vtrasque nullus habere visus est: At cor non ex his vtrisque modo, verùm etiam ex obliquis componitur, quin etiam duritie tenore omnique robore & firmitate cordis fibræ longæ cæteris omnib. antecellunt. nullius enim instrumenti ita, vt cordis, assidua est ac vehemens opera. Quare non iniuria corporis eius substantia robusta firmaq; facta est: sed fibrarum est varietas ob motiones per distentionem cōpressionemque factas. nam per rectas attrahit, per transuersas expellit, per vtrasque obliquis additis retinet. D E

De

A *De membranulis cordis tricuſpidibus Cap. IX*

AD ipſam quoque retentionẽ tricuſpides membranæ vaſculorũ oſcula obſtruentes faciunt: neque ſolùm retentionem materialis ſpiritus à corde attracti adiuuant, immò neque ea quæ breuiſſimo tempore attracta ſunt, retrò effluere permittunt, appellationẽ autem eam à ſimilitudine tricuſpidum telorum adeptæ ſunt, quib. perſimiles ex toto fuerunt.

De Cordis auribus & pericardo. Cap. X.

B AVres præterea cordis iiſdem de cauſis cõ paratæ fuerunt: etenim cauæ rotun dæque ſunt, & exterius hoſtijs humores in cor admittentibus appoſitæ tanquam alimenti promptuarium, ne vnquam repente contentiusque trahente corde, vaſculũ diſruptionis periculum ſubeat, ſed ex aurium gremio paul atim commeatus ſubuehatur. Exterius autem cor firmo eſt opertum membranæ inuolucro, quę ab hoc Pericardios gręcè vocata eſt inſtar valli cuiuſdã domusque munitiſsimæ. hæc à cordis baſe incipiens paulatim arctior fit, tandemque vnà cum corde in coni aciem gracileſcit & oſsi C pectoris, quod Sternon vocatur, coniungitur: à corde verò vndique tanto abeſt ſpatio, quantum diſtento cordi ſatis eſſe valeat. Quòd ſi longius diſtaret, pectoris cauum impediret, dum in anhelitu trahitur ſpiritus ac redditur, at ſi minus ſpatij intereſſet, ipſũ cor cum latius diſtenditur, in anguſtiis verſaretur. Membranę huius ſubſtantia neruoſa & craſſa eſt, inter duritiam mollitudinemque mediocris: quoniam ſi durior eſſet, vicinitate pulmonem rarum fiſtuloſumque collideret: contrà ſi mollior, pectoralium oſſium aſperitate tunderetur. iccircò vt ſitu, ita etiam ſubſtantia media effecta eſt. Hactenus de corde, vaſculiſque ab eo prodeuntibus de auribus, & D pericardio membrana: præterea de horum omnium ſubſtantia muneribusque narrauimus.

De pulmonis artificio Cap. XI.

IN præſentia pulmonis artificium exponamus, quod viſcus textura quædam eſt ex pluribus vaſculis integrata, molli carne, tanquã culcitra medias plagas infarciẽs: at vaſorũ vnũ ex ſiniſtra cordis cella prodit, alterũ ex dextera, tertiũ ex faucib. Igitur his de locis pro E deuntia modo quã ſimillimo omnia in ramos ſpargũtur. In quatuor fibras pulmo ipſe diuiditur, quarũ duę vtraq; ex parte magnę ſũt: quinta in dexteriore parte nõ ſpiritus cauſa creata eſt, ſed vt cauę venę à

transuerso discrimine ad cordis vsque aurem porrecta seruitio esset. A
Verùm prope asperam arteriam reliqua duo vasa collocantur, per pulmonem vtrinque diuisa, vnaque cum ipsa aspera arteria per totũ id viscus ramorum serie distributa: arterialis quidem vena ex dextro cordis sinu sanguinem hauriens in pulmonem rigat, venalis verò arteria ex aspera spiritum adducens in sinistrum cauum cordis impellit: at ipsa aspera per nares faucesque extrinsecus animam, dũ pectus dilatatur, exhaurit: Pectus namque animabile (vt ita dicá) instrumentum est locali motu secundum electionem per musculos & neruos dilatando contrahendoque agitatum. Igitur pectus dilatatũ, pulmo pariter distentus (vt vacuo succedat) consequitur, cæterũ cor B
distentione contractioneque natura mouetur cũ ipso vero corporis arteriæ pleræque & ipse dilatatione cõpressioneq́;, modo prorsus assimili vi naturæ agitantur: sed pulmonis motus neque natura, neque electione perficitur: siquidem ex accidenti non per se mouetur. Itaque extrinsecus aer à dilatato pulmone attrahitur, idque Inspiratio nominatur. Tractus autem aer diuiditur: mundissimus enim ac tepidus iterum à corde totiusque corporis arterijs ex pulmone per arteriam venalem attrahitur: fuliginosus autem atque excrementis affluens, per asperam arteriam naresque redditur: id Expiratio vocatum est. sed quod inspiratione expirationeque cõponitur Anapnoen Græci, spirationem nostri appellauerunt. At diapnoe, latinè difflatio, ea est, quæ toto corpore ab arterijs per sensum latentia itinera fit, inspiratio & expiratio: At spirationis tres species sunt: prima est non coacta, altera coacta, Tertia adhuc coacta magis. non coacta ea est, quæ vi tantũ naturæ efficitur: coacta, quando cursu, lucta, aut vehementiore morbo talis redditur: adhuc verò magis cogitur, cum hominem interdum diutius spiritum continere necesse fuerit, vt canentibus aut natãtibus accidit. non coacta spiratio per solum transuersum septum ad proprium principium contractum pectusq́; distendens, absoluitur: coacta verò per septum intercostalibus musculis adiuuantibus. Sed canentium atque natantium per septum & costales exteriores musculos, perque maximos scapulas attollentes efficitur: siquidem interni intercostales musculi pectus contrahunt, contractũ pectus pulmonem vrgens, & vndique coarctans deprimit, instar manuum spongiam comprimentium: atque ita spiritus ab externo aere adductus emittitur, qui exiens expirationem facit.

Motus pectoris & pulmonis.

Arteriæ simili motu cũ corde mouentur.

Inspiratio.

Expiratio.

C

Spiratio.

Difflatio.

Spirationis species.

D

De voce & eius causis. Cap. XII.

VErùm enimverò quoniam homo & vocalis est, & sermocinatur, quicquid autem in homine fit, causas habet, causaq́; quadripartita est: aut enim effectrix, aut instrumentaria: aut materia, E
aut

A aut finis: ideo in homine vocem cerebrum faciet, pectus motu volũtatis attollens: igitur proxima vocis causa cerebrum est, longinquior verò est anima cerebro motũ pectoris imperans: deinde quoniã efficiens causa bifariã dicitur, vna propè, altera procul: erit vtiq; & hoc in loco longinquissima vocis causa omnium causa, contentrixque omnium diuina sapientia, quæ ita humana membra condidit & fabricata est. At vocis materia spiritus est per expirationem eiectus, instrumentum est aspera arteria cum tunica ipsius gulæque communi, finis autem ipsamet est vox.

B

De aspera arteria. Cap. XIII.

Aspera quidem arteria & bronchus nominatur, quòd ex multis bronchijs componitur. Bronchia verò corpora sunt cartilaginea circuli imaginem referentia, atque vt multi compositi circuli, inter seseq; in longitudinem impliciti, eam figuram, quæ Cylinder dicitur, constituunt. ita etiam aspera arteria, quatenus ex multis compositis bronchijs integratur, Bronchi vocabulum consequitur quatenus verò ex multis circulis Cylinder appellatur: non est autem totus bronchiorum circulus cartilago. posterior enim ipsorũ pars *Bronchia.* *Cylinder* *Bronchus*

C gulæ adhærescens neruea est: adeo vt omnes circuli oblique & à lateribus cartilaginosi, secundum posteriora verò nerui nrtura prediti sint, ne gulam duritia collidant. Gula autem & aspera arteria vna quadã cõmuni tunica ipsas intus extraq; inuoluente committuntur: idque in causa est, vt in deuorando, dum gula detrahitur, guttur ascendat. substantia tenui & densã ea membrana est, & moderatè sicca nam si rarior esset, facile fluctionibus vexaretur, & humidior reddita raucam vocem efficeret. Item si aridior, asperam vocem homo ederet: siquidem in ardentioribus febribus plerunque sedibus circa fauces asperamque arteriam arefactis, clangosas, vt ita dicam, ab Hip *Membrana gulam arteriam q; complectens*

D pocrate appellatas voces fieri necesse est, atq; ita in animalib. procerum collum aridasque cartilagines habentibus, vt gruibus & id genus alijs fieri contingit, quare de his cecinit Homerus.

Cum clangore volant liquidi super æquoris vndas.

Ostensum est præterea vocem formari nõ posse, nisi transitus gutturis arctetur, occursusque exeuntis spiritus vehementior repentinusque sit. nam si tardè spiritus emittatur, efflationem sine strepitu edet. Quod si celeriter & repente cum strepitu efflationem faciet, quod suspirium dicitur, vt verò vocem animal efformet, aeris ab inferioribus sursum versum prorsus vehementiore motu transituque *Suspirium.*

E per guttur indiget, angustiore quidem sed paulatim, ab angusto in latum se pandente, quod præstat, vocata Epiglottis.

De cartilaginum gutturis, nomine & situ, & De epiglottide. *Cap. XIIII.* A

Est autem epiglottis corpus cartilaginosum guttur contegens totum enim guttur ex tribus cartilaginibus constat, quarũ prima thyreoides, hoc est, clypeo similis dicitur: altera nomine carens: tertia arytenoides, idest situlæ assimilis. Inter se verò, vt pote cartilagines neruis musculisque reuinctæ committuntur ad claudendum ac referãdum guttur. In subitis enim efflationibus guttur ab exterioribus musculis aperitur, per plurimũ spiritum grauem ingentemque vocem efficiens. penitus autem ab epiglottide occluditur, dũ B aliquid deuoratur, ne repentina morte animal intereat. Hæc sunt inenarrabilis Dei sapientiæ opera. Nã sæpius epiglottide lentius claudente inter bibendum humor illapsus screatum citat, oculosq; erũpere, ac veluti prosilire cogit, quòd si mica inciderit, confestim necatur animal. Sed iam ad trium gutturis cartilaginum expositionẽ trãseamus, quæ scilicet earum sit figura, quæ functio:

De gutturis cartilaginum figura & munere. *Cap. XV.*

Igitur prima gutturis cartilago thyreoides idest, clypealis in priore ceruicis parte infra mentum posita est, quæ & videtur, & C quadrilatera appellatur, clypei imaginem referens, vnde & cognomẽ assumpsit. Secunda posterius atq; intus collocatur, gulæ contigua, nullius eorum, quæ sensu percipiuntur assimilis, quare & Nominè carens dicta est. Tertia verò sedem superiorem, mediamque inter hasce duas nacta est, Arytænæ idest situlæ similis, indeque appellationem traxit, arytenoides vocitata. Arytæna verò ligneum vasculũ est, quo nautæ ad hauriendum è naui superuacuum humorem: olitores autem ad irrigandos hortos, vti solent. Huic situlari cartilagini quoddam operculum mediæ inter neruum cartilaginemq; naturę super imponitur, tanta magnitudine, quantum ipsius cartilaginis hiatus patet, vt iste videlicet exquisitè occludatur. huic verò lingu- D læ nomen inditum est: quoniam tibiarum linguis ac lingulis (vtrũ- *Lingula* que enim dicitur) est persimilis. Ex membranis autem quibusdam, tenacibusque corpusculis gulam versus gutturisque hostium versatilibus hæc lingula componitur, eamq; ob causam eius corpus mẽbranosum est, ne spiritus plenum disrumpatur, neue gutturis dilatati aut compressi contrarias motiones sequens in fracturæ periculũ incidat. Humidum quoque est non tantũ simpliciter, sed viscidum quodam modo & pingue, vt sẽper humectetur, longioriq; tempore duret, vt neque facilè humore dilabente, neque facile siccescente vocẽ corrũpere periclitetur. Siquidẽ in deurentibus febribus loquẽdi E facultas tollitur, nisi prius guttur humescat. Idẽ etiã perpetiũtur per magnũ ęstũ iter faciẽtes. De gutturis lingula satis copiose disseruim⁹.

De

De neruis recurrentibus. Cap. XVI.

A IN pręsentia verò recurrentes neruos vocis edendæ instrumenta esse hinc percipere possis. Est enim quoddam sextum à cerebro orientium neruorum coniugium, in pectus per collum descendentium: ab hoc, postquam in pectus descenderit, altera quædam minutorum neruulorum coniugatio exoriens sursum versum per collum arteriam asperam calcans: reuertitur, gutturique inseritur. Indo paulatim duo hi nerui obliqui ad internam superioremque gutturis partem subeuntes per omnes ipsum mouentes musculos sparguntur, atque ideo primaria hæc vocis instrumenta fuere, verùm ideo recurrentes nominantur, quoniam per collum in pectus vsq; descen
B dentes, iterum per idem collum ad gutturis cartilagines reuertuntur. Quòd si certior fieri volueris, recurrentes neruos præcipua vocis instrumenta esse, ad id animum aduerte, si eos aut secueris, aut cõtuderis, aut laqueo distrinxeris, animalis vox funditus tollitur. Quãobrem cum pectus, pulmo, aspera arteria, prętera guttur, aperientes claudentesq; musculi, Epiglottis communisq; gutturis & stomachi membrana, spirabilia sint, & vocalia instrumenta: pręcipui vtiq; sunt vocis autores recurrentes nerui: cætera omnia eorum rationem habent, sine quibus fieri non potest.

C De pectoris motu costisq; & quibusdam cartilaginibus. Cap. XVII.

IGitur hæ spirabiles vocalesque machinæ dilatato cõpressoque pectore operantur: at pectus hunc in modum distenditur, cuiusque lateris duodecim sunt costæ, vt duorum laterum sint viginti quatuor: vtrinq; verò ipse dorsi vertebris pectore terminatis committuntur: superiores quatuordecim cum sterni ossibus ab vtroque latere septé, secundũ acutos angulos copulantur: & in spiratione vi carente hæ cõmissurę in ventré à septo transuerso detractæ, acutos angulos obtusos facere cogũtur. Quare pectus deorsũ labitur, delabẽs
D verò ventriculũ cõprimit, cõpressus ventriculus turget, deinde iterũ cõtractũ pectus ad superiora retrahitur, atq; propterea transuersũ septũ laxatur: laxatũ verò locũ vẽtriculo prębet, vt in suũ ipsius vacuũ cõcedat: id nõ semel, sed crebrius factũ, vt vẽtriculus dilatetur cõprimaturq;, efficit: atq; ideo dissectionis imperiti falluntur, ventriculũ in spirãdo adducere spiritum, ac rursus emittere & hoc pacto dilatari cõtrahiq; putãtes. Quòd si quãdo violentius spiret animal, nõ deorsũ modò ferri pectus coget, verũ etiã extra inter costales musculos exterius munere suo defũctos: at si quis diutius interdũ spiritũ continere vrgeatur, nõ solum deorsum extraq;, sed etiam supra maximos mu-
E sculos scapulas sursum trahentes pectus ferretur: reliquę autem costę, decẽ inferius sitę lõgitudine deficiunt, & spuriæ dictę sũt: in cartilagineq; degenerãtes trãsuerso discrimini appẽdũtur. Id sũmę optimi dei

rouidentiæ fuit artificium ventriculo enim spuriæ costæ incum- A bunt, Quòd si totæ osseę forent, facilè ab dextra incidentibus ictibus colliderentur, collisæ autem atque intrò in ventriculum retrusæ necem inferrent. Ob aliud etiam vtile fuit spuriarũ costarũ laqueos in cartilaginẽ remollescere: nam ventriculo inhærentes, ipsum sese modò attollentẽ modo residẽtẽ sequi debuerãt. Sępius.n. intemperãtius cibo potuq; expletum animal, vsque adeo ventriculũ in tumore exerit, vt in discrimẽ disruptionis incurrat. Igitur hac ratione spurias costas in cartilaginem versas molliri necesse fuit, ac cum ventris mole pariter subsidere attollique valerent, quod neutiquã fierent, si ossea prorsus natura rigerent. Hanc ob rem Dei incorrupta sapientia, summusq; erga homines amor eorum commodo prospiciens spuriarum costarum extrema cartilagine remolliuit, Neque tantùm hæc B sed etiam gladialem cartilaginem, quæ pectorale os, Stethos nuncupatum, terminat, ventriculi hostio, veluti propugnaculum quoddã atque vallum super imposuit, vt id ipsum hostiolum incolume ab externis incursionibus tueretur. Itaque id genus cartilagines gladialis.s. & spurias costas terminantes transuerso septo suspẽduntur.

De transuerso septo peritoneoq; & succiingente membrana. Cap. XVIII.

CAEterum transuersi septi propria essentia musculus est, duobusque amiculis includitur, ab inferiori parte peritonęi tunicę summitate, à superiori costas vestientis membranæ infima basi. C Hęc enim succingens appellata membrana toti pectoris concauo substernitur: ipsum, pulmones, cor omniaque spirabilia instrumenta ad fauces vsque & palatum linguam, os & omnes capitis cerebriq; sedes inuoluens: quoniam quomodo totum hominis corpus exterius cutem induitur, ne vlla particula nuda videatur, neque altera alteri coalescat, perinde interius membrana quædã omnia animalis mẽbra vestiens protenditur. Hæc communi quidem nomine membra- D & illinens vocatur. In duas verò partes infra septum.v. & supra septum distinguitur: quantumque eius infra septum est, Peritoneon Græci vocant: quantum verò supra, succingens membrana nominatur. Septi quidem essentiam musculum esse sensus clarè testatur, siquis animal artificiosè dissecans: eius positum ipse oculis cernat Figura sanè rotunda est & inæquali: eius namque medium neruosum est, quod circa est, quo spurijs costis & gladiali cartilagini connectitur, carne constat, non spurijs costis extrema ora adhærescens, quin eius aliqua pars eas secundum præcordia superat, perinde ac E vallum quoddam, vallo enim hanc partem assimulant. Atque adulterinas costas, gladialem cartilaginem ipsum septum, iecur, portamque ventriculi defendit.

De

A *De Mammis* *Cap.* XIX.

MAmmæ vtique & ipsæ pectori impositæ cordi præsidio sunt ipsum subiectum contegentes pariter & calore fouentes, reciprocum quoddam licet exiguum beneficium ipsi vicissim retribuentes, instar laneæ texturę nos exterius protegentis, quæ frigida corpori imposita, mox ab eo calefacta, paulo post ipsum mutuò calore perfundit. Itaque haud aliter mammarum glandulosa substantia simul et cordis quoddam est tegumentum, & ab eo incalescens contrà ei mutuum calorem elargitur. Mammarum autem hoc in loco meminimus, quoniam earum sedes propè anhelitus membra collocatur, sed ipsarum officium et vsum inferius exponemus de genitali-
B bus partibus sermonem habituri.

De ypsiloide seu lambdali osse *Cap.* XX.

AT os, quòd à forma ypsili literæ ypsiloides nominatur, mole quidem pusillum est, sed ingentia commoda, & plurima animali impartitur. Musculi enim guttur claudentes ac reserantes ex eo oriuntur, alij præterea ad scapulas pertinentes angusti & longi: item
C ad mētum alii. Quòd si quis hæc certius velit perdiscere, aut aliquod animal ipse dissecet, aut ad dissecandi magistros accedat, vt non musculos modò ab eo prodeuntes, verùm etiam & essentiam, & figuram percipiat. Igitur os ypsiloides partim ossea partim cartilaginea natura constat, geminaque nomenclatura censetur. Non solùm enim ypsiloides, sed etiā lambdoides nominatur, quod duarum literarum Y & Λ similitudinem ostendit. Situs eius ita se habet, humiles costæ ad mediam eius regionem satis pro loci ratione capacem perueniunt, ex qua rursum duæ quædam rectæ costæ æquè distanres breui intercapedine separatæ membranosam quandam copulam medio spatio continentes protenduntur. Cæterùm musculos copulasque ex
D osse lambdali prodeuntes, in sequentibus memorabimus. In præsentia de spirabilibus instrumentis sermonem finiamus.

THEOPHILI DE CORPORIS HVMANI FABRICA Liber Quartus. A

Continuatio dicendorumq́; propositio *Cap. I.*



RIA esse principia corpus animalis gubernanita, cerebrum, cor atque iecur, omnibus in confesso est. Præterea per neruos cerebrum in totum corpus sensum motumq́; diffundere, cor per arterias totum corpus ventilans vitalitatem largiri, iecur per venas tanquam per canaliculos corporis membra irrigare, alere atque augere. id quoque pro certo habetur. De corde autem & vasis in ipsum adducentibus reddentibusq́; satis copiosè disertum est. Spirandi etiam organa suprà posuimus, nunc ad cerebri enarrationem transeamus à capite initiū sumētes: quoniam veluti cerebri domus paratum fuit: ceu verò capitis fulcrum ceruix ipsa subijcitur. De qua & prius agendum ducimus. B

De collo & capitis vsu & forma, *Cap. II.*

HOmo est animal ratione vtens vocale, & sermocinans. vox per pulmones editur, hi à reliquo corpore seiuncti sunt. Inter pulmones enim atque os guttur & fauces intercedunt. Totum verò id, quod ex vertebris componitur, supra humeros atque infra caput, id collum seu ceruix dicitur, quod illi super imponitur. Caput vocatum est, cuius longitudo pilæ oblongæ persimilis est, magnitudo aūt collo proportione æquatur: Siquidem magnū caput cum valida ceruice bonum est, at cùm gracili ceruice grandius non bonum: Paruū autem caput omni ex parte repudiatur: nam si cerebrum robustum est, & spinæ medullam ob eo orientem talem esse constat. quod si vtraque talia sunt, & ossa continentia ampla esse necesse est. Aiunt enim doctiores medici, à cerebro caput, à spinæ medulla dorsi vertebras effórmari, ita imperāte qui nos condidit, Deo. C D

De capitis ossibus & suturis. *Cap. III.*

PArs capitis crinita caluaria nominatur. Sex ossibus integrata: ea verò sunt, frons, occipitium, duo vocata bregmata, sincipitis ossa: duoque lapidea. Hæc serratis pectinatim sunt structa compagibus: at coronalis sutura frontē, qui prius est & ab auersa parte post oculos positus (vnde & à Græcis Metopon nominatur) determinat Lambdalis occipitium posterius & supra primam vertebrā collocatum circumscribit, hasce duas suturas ea, quæ medium verticem recta diducit, inter se cōmittit, sicq́; harum trium suturarum figura H. literam

Metopon E

A literam repræſentat. Ea verò quæ in vertice eſt, ſutura caluariæ oſſa diſiungit, verùm ſuturæ medium verticem ſecanti duæ vtrinque recta porrectæ adiacent, & ſquammoſæ vocantur. Itaque propriæ capitis ſuturæ numero quinque ſunt: coronalis quidem ante in orbē procedens, poſterius lambdalis Λ literæ ſimilis, à lambdali ad coronalem vſque, eaque per medium verticem rectà procedit: huic autem duæ vtrinque proximæ adiacent. Squammoſæ vocatæ. duę item aliæ caluariæ & ſuperioris malæ communes, à poſteriore parte in priorem ſupra aures pertinentes, atque oſſa lapidea diſcernentes, quæ vtrinque à dextra aure atque ſiniſtra, poſt ſupraque collocantur

B figura trilatera, ſubſtantia lapidea, vnde cognomen etiam adepta ſunt: Verùm & occipitium forma trilaterum eſt, duritia lapideis oſſibus cedit, frontem autem ſuperat, ipſa quidem frons rotunda eſt, quò autem occipitio mollior, tanto ſincipitis oſſibus durior. at oſſa ſincipitis reliquis capitis oſſibus inaniora ſunt & cauernoſa, vtpote alijs ſuperſtantia. Figura quadrilatera prius coronali ſutura terminata, lambdali poſterius, vtrinque verò media & ab illa æquè diſtantibus.

De excrementis noſtri corporis vſuq́; bregmatum & ſuturarum, Cap. IIII.

C Itaque bona Dei prouidentià ſapienter comparatum eſt, vt pluribus ſuturis capitis caluaria coagmentaretur. Ipſam enim vaporibus permeabilem eſſe decuit, quandoquidem omnes halitus ac fumi & fuliginoſa fumidaque excrementa ſurſum petunt, ideoque excelſiſſima capitis oſſa rara & fiſtuloſa natura molita eſt. Excrementorum autem genera quatuor ſunt, quemadmodum & humores in corpore quatuor numerantur: ſanguis pituita, flaua bilis, atque atra: ex ſanguine vapores, ex pituita fumea exhalatio, quam lignum dicunt, ex bile flaua fumi, ex atra fuliginoſa excrementa redundant. Hæc

Quatuor excrementorū genera.

D ſanè excrementa ſuperiora corporis petentia, ſi difflari nequirent, diſtillationibus grauedinibusque homo aut ægrè curabilibus, aut ex toto inſanabilib. caperetur: vel etiā ſtrāgulatu cōitiali aut vertigine. Ipſum pręterea eſca potuq́; calidiore, pręſertim vino vetere, vtpote multū euaporante, temperare neceſſum foret. Nonnulli bellorum temporibus poſt pręlia aſſerunt, oſſa longiori tempore in campis ſtrata carne tabeſcente nuda apparuiſſe, inuentaq́; eſſe capita ſuturis carentia, verùm huiuſmodi capita facile vitium pati, & morbis eſſe expoſita facileque huiuſmodi homines in morbos in cidere ratio demōſtrat. De capite hactenus.

E
De cerebri natura eiusq́; inuolucris, Cap. V.

AT cerebrum capite tanquam quodam ſub tecto cōtinetur, eſſentia neruorū quā ſimillimus, quorū fons & pater eſſe debuit, ſolū

mollius est, idque iure concessũ fuit omnia sensilia accipienti, omnes imagines cogitanti, omnia intellectilia intelligenti. Mobilitas enim in omnibus his functionibus affectibusque aptissima est, quod autẽ molle est, duriore mobilius. Hisce de causis neruis tenerius cerebrum fuit, Cæterùm cum gemina sit neruorum natura (alij enim molliores, alij duriores, geminum quoque cerebrum effectum est, mollius in priore, durius in auersa parte, quod & Encranium græcè quasi intra caluariam & cerebellum nominatur: cerebrum enim prius posteriusque lambdali suturæ subiecta membranæ laxitas terminat. Figura cerebri talis est, qualis est eius receptaculum caluaria. Mẽbranę ipsum suprà subterque velantes, ceu quædam eius amicula, atque operimenta duæ sunt, vna extra caluariam, altera intus dura crassaque materia: sed quàm suturam mediam lambdalemque tangit, crassescit magis, eius reliqua pars quadrupla est, secundum suturas autem conduplicata folio assimulatur. Id Herophilus Solena grę cè peluim infundibulumque nominauit. Inanitas meatus admittens â figura peluis dicitur: ab ea, quam habet vtilitatem, infundibulum, In decliue enim sensili foramine terebrata est, vt infundibulum imitetur: nam per ipsam recrementa ad palatum faucesque labuntur. Quam ob rem iure optimo crassa membrana dura creata fuit, tãquã defensorium propugnaculum aduersus caluariæ percussus oppositum: at membrana tenuis insitum est cerebri tegumentum: ab ipso enim crassa diducta est, quandoquidem nisi tenuis intercederet: sed statim durior cerebrum inuoluisset, eius duritia ipsum molle collideretur. Itaque inter caluariam cerebrumque longè positu & natura distantes optimi Dei consilium medias membranas coniecit, duram sub caluaria ob eius duritiam, sub ea tenuem, vt crassiore membrana tenuis contineatur. ipsa cerebrũ contineat ab eius natura non multũ aliena. Igitur primũ cerebri tegmen & fulcrum tenuis membrana est, ipsũ reuinciens ac firmans, vt stabile atque inconcussum teneatur: verùm quanto tenuis hæc membrana cerebro durior, tanto est crassiore mollior. Item crassior, quo tenui durior, eo caluariæ osse mollior. Vocatur autẽ tenuis membrana localis, vtpote locus cerebri proximus.

Neruorũ duplex natura

A B C D

De membrana pericranio. Cap. VI.

QVoniam verò capitis caluariam omni ex parte coherceri muni rique opus erat, quòd ex multis ossibus integratur, id non inconsultum præterijt diuina sapientia. crassam nanque membranã sub caluaria positam per eius suturas traijciens, super caluariam cõstituit, ex eaque copulas producens, & easdem complicans, & in vnũ cogens, ex ipsis membranam pericranion vocatam contexuit, quæ contineret vndique caluariam & colligaret, ne vlla ex parte concussa labaret. Cæterùm tenue inuolucrum non cerebrum solùm,

E

sed

A sed etiam localem texturam, quam & reticularem vocant, ambiens ideo etiam ipsum locale dictum fuit.

De reticulari contextu. Cap. VII.

Localis autem textura hanc habet sui ortus rationem: grandis arteria è sinistro cordis gremio spirituoso vocato prodiens, secundum spinam interius ad collum vsque pertinet, pariter & vena caua è conuexo iecoris oriens, & ipsa ab inferioribus partibus ad collum vsque ascendens, prope arteriam adiacet: inde vtraq; per collum, vt ex trunco surculi, in duas partes scinduntur. Hæc venarum segmenta iugulares venæ vocatæ fuerunt, pariter arteria perinde ac vena scinditur, simulque ad caput subeuntes in multa maiora minoraque vascula sparguntur, non in superficie modò, verùm etiam profundius, itaque hi venarum arteriarumque ramuli per cerebri corpus inter se retis instar contexti disperguntur, atque huiusmodi rete reticularis textura, localisque nominatur, propterea & tenuis mẽbrana, quod eã texturã simul & cerebri corpus cõplectitur eandem appellationẽ est assecuta. In prima sanè, quæ in cerebro fit, partitione glandula quædam, quam Conarion vocant, inserta est. Ex his sanè vasculis venæ cerebri corpori alimentum subministrant arteriæ vitã largiuntur ventilantes, fumeasque sordes propellentes.

Iugulares venæ. — *Conarion* — B

De cerebri essentia & viribus. Cap. VIII.

C Cerebri vtique corpus substantia tenue est, exangue, & subpingue, veluti ex spuma quadam concretum. communi quidem nomine medulla vocatur, proprio cerebrum. Id capite quodam veluti domicilio continetur, omnem voluntarium motum sensumque corpori per neruos profundens, animabili spiritu, tanquam quodam vehiculo deferente visum quidem, odoratum auditumque & gustatum per molles, omnẽ verò particularum voluntarium motũ per duros neruos impertiens. Decenter itaq; boni Dei prouidentia excelsissimam corporis sedem cerebro colendam dedit, vt ab vno tanquam fonte omnes faciei partes vberrimè per animabilem spiritum irrigentur. at infra collum, ad pedes vsque particulæ omnes non à cerebro, sed à spinali medulla motum sensumque transmissos exhauriunt.

D

De spinæ medulla. Cap. IX.

Verum spinæ medulla ceu quoddam est oblongum cerebrum à posteriore cerebri parte, cerebello vocata, enascens, indeque per spinam vsque ad sacrum os defluẽns, vt situs propinquitate interas corporis partes minus laboriosè promoueat. Quare ob motus vim nimiam, & posterius cerebrum et spinæ medulla haud iniuria priori cerebro duriores fuerunt.

E

De animali spiritu & cerebri cauis. Cap. X.

AGe nunc animabilis spiritus domicilium videamus, si Dei opera pro dignitate admirari volumus. Id verò per dissectionem intuebimur, siquis enim ritè & paulatim caluariam frangens ossa omnia abstulerit, nudum relinquens cerebrum, id rursus artificiosè findens specus inueniet membranis tenuissimis pellucidisque interceptos, atq; inter sese à dextra & à sinistra prius & posterius discretos, intra hæc cerebri caua animalis spiritus tenuis, purus, mundissimusq; versatur: verum spiritu à corde per arterias ad caput subuolante, & exterius nos cingente aere alitur, diuturnitatemque cōsequitur: comprimitur enim distenditurque cerebrum, per distentionem aerem per nares attrahit, in comprimendo retinet. Igitur externus aer attractus intra nares, qua ad palatum foramen patet, distribuitur, atq; eius plurimum in pulmones trahitur, reliquum in cerebrum abit. A B

De nasi foraminibus alijsq; cerebri ductibus. Cap. XI.

NAsi quidem cauitas iter quoddam est, quà itur ad cerebrum ac disceditur, neque alia rectior via ac decliuior præter nasi foramina inueniri potuisset, quæ cerebri purgamenta duceret, & olfactu sensiles odores admitteret, nam cerebri sordes non fluidæ modò sunt & exiles, sed etiam crassæ & purulentæ, vt in distillationibus & grauedinibus videre licet. Eas veteres græci blænas, recentiores Myxas, .i. mucos appellare cōsueuere Duæ aliæ cloacæ decliues sunt in os per palatum ex toto cerebro superuacua euomentes, quando excrementis abundauerit cerebrū, aut aliqua intēperie affectū fuerit. Nam secūda vtens valetudine, ipsū per se valet per nasi vel sola foramina propria excrementa discutere. Decenter itaque supremum capitis culmen in suam domum tanquam dominus cæterorū sibi vendicauit, omnibus sensibus visu, olfactu, auditu, gustatu, tactuque ceu satellitibus vndique stipatum, quos & in totum corpus effundens, ipsum sensorium facit, per animabilem spiritum ipsi motum sensumque ministrans. C D

De primo neruorum pari spongiosisq; ossibus. Cap. XII.

PRimū sanè par neruorū, ex primis cerebri ventriculis exiens, ad vtrunque nasi foramen discurrit, in causaque est, vt odoramenta cerebrum sentiat. Verùm enimverò quoniam hi narium meatus propè cerebrum sunt, semperque patent, ingentia damna cerebrum acciperet ex aeris frigidi aut vaporis turbulenti immundiq; subita irruptione, aut quòd simul cum inutilibus succis boni quoque ex cerebro citò elaberentur, ideo bona Dei sapientia ossa quædam variè obliquis cauernulis instar spongiæ perforata in transi- E

tu

A tu caluariæ collocauit, vt ne corpus vllũ durius extrinsecus incideret aut syncera frigiditas rectà in cerebri sinus penetraret. Ossa hæc ab inciforiæ artis professoribus Græce ἠθμοειδῆ, idest, incerniculi vicẽ gerentia, ab Hippocrate spongiosa, & rectius, appellata sunt, siquidem incernicula rectis foraminibus pertusa sunt, ossa verò hęc in obliquum, vt spongiæ sunt terebrata, sola autem dura membrana cerebrum operiens cribri more perforatur: nã ob tortuosa ossiũ foramina excrementorum cerebri exitus impediretur, nisi longiori tempore paulatim percolarentur, contra vaporum ascensus crassitudine vetante neutiquã fieret. Ob id igitur vapores vnà cum aere B dũ fit inspiratio, ingrediuntur, & cerebri superuacua, dum aer efflatur, simul exeunt. Quamobrem aër attractus, dum inter ossium flexuosos anfractus reluctatur, calescit euadens & secernitur: atque eius pars crassior retinetur, retroque conuertitur, neque fęculenta succedens intra cerebri ventres animabilem spiritum contaminat, sed secreta pars tepida concocta, & tenuissima ad alendum augendumque animabilem spiritum peruadit.

De alijs nasi particulis. Cap. XIII.

C IDcirco propter hunc tutiorem introitum aeris & egressum, sursum supra subterque cartilagines fistulis pluribus peruię ad hunc vsum fuerunt positæ, id genus cartilagines græcè Myxtoteres appellantur: ipsarum tegumenta bina nasi ossa sunt, inter se supernè ad medium vsque feruminata, & dorsum facientia, adeo vt interius inanis cauitas pateat: ossa huiusmodi ad extremam nasi magnitudinem descendere optimi Dei prouidentia non permisit. periculũ enim foret, sed antè pòst subterque cartilagines quasdam creauit, dextrum, sinistrumque cauum habentes, & ipsa caua alia cartilagine dirempta: quæ à medicis Septum, à poetis Columna, seu columella vocatur, cauitates autem apud medicos Narium vocabulum D habent, à poetis Thalami dicuntur, At nasi acies à medicis græcè Acrorinion, quod latinè sonat, nasi extremũ, nominatur: poetæ Sphęrion. i. orbiculum vocant, sed cauitatum pauimenta poetæ torcularia appellarunt quæ nasi cartilagini vtrinque adiacent, alas. Cæterum quare nasus totus osseus non est? sed pars superior vsque ad dimidium ex ossibus, inferior ex cartilaginibus componitur? An quoniam pars superior murus oculorum vtrinque factus est? verum si vsque ad extremum nasum hæc ossa processissent, externis appulsibus retunderentur, vel etiam fragilia cum sint, facilè perfringerentur Præterea quomodo humores à cerebro delabentes manibus ex-E primi possent? item nasi alæ contrahi tendique nequissent, si ossea duritie immobiles perstitissent. eam ob causam opifex Dei sapientia extremo naso cartilaginem indidit, vt durorum corporum inciden-

Myxoteres *Septum* *Nares* *Acrorinion* *Torcularia* *Alæ*

tes ictus sua firmiore natura facilè, sustineat, & humorum defluentium copia dum emungitur, nares ipsæ comprimi valeant, atque alæ dilatentur. nam plerunque inflammato pulmone aut cerebro, magnum pulmonis æstum abunde refrigerare opus est. Prȩterea cursu aut lucta vehementius fatigati multum extrinsecus aerem ducere cogimur: inde nasi alas pandimus, vt ad satis refrigerandum incolumitatemque hominis custodiendam sufficiant. multi enim angustis naribus creati, in certaminibus suffocantur: quinetiam circa equorum valetudinem periti medici, eorum nares proscindunt, si natura arctiores fuerint: quandoquidem equi angustis naribus longo cursu valde incalentes suffocari consueuerunt. A B

Cur nasus creatus est. Cap. XIIII.

CVr autem nasus hoc modo & tali figura formatus est? an ornamenti causa? multi enim ferro laceri ac summo nasó priuati turpissimo spectaculo fuere, vt obuius quisque ægrè id ferret, atque auersaretur. quare decoris causa nasum Deus molitus est, simul vt ingredientis exeuntisque aeris quædam fistula esset ob plures, quas suprà posuimus, causas. De nasi artificio satis amplè loquuti fuimus.

De neruo visorio & humoribus in oculis. Cap. XV. C

IN prȩsentia oculorum naturam docere opus est, prius neruo molli à cerebro veniente declarato, quoniam & hi ex prioribus cerebri cauis prodeuntes, vt visum oculis suggerant, natura consuluit. Sunt quidem & hi molles, quales etiam nerui ad nasum descendentes, quòd si vtrosque vnum par, aut duo primum & secũdum nomire velis, nihil erraueris, vtrumque enim ex prioribus cerebri ventribus enascitur, & vtrũque mollium neruorum par statuitur. nam apud Galenum medicum sapientissimum, non primum par, sed vtrũque primum vocatum est, cum ab eadem radice vtrumque pullulet, & mollium neruorum vtrumque sit initium. Hi molles nerui oculos petentes, vt in ipsos visibilem vim irrigent, visorij nominantur: quoniã ab anima cognominatus spiritus, coloris cuiusq; differentias distinguens, per ipsos primo oculi instrumento christallino videlicet inhærentes emittitur: Siquidẽ cũ in oculo tres sint humores: chrystallinus, vitreus, & ouorum albo similis, primum visionis instrumentum chrystallinus est, reliqui alimento sunt. D

De oculi figura & situ & numero. Cap. XVI.

AT oculus figura est globosa. Ea enim cæteris est decentior & mobilior, atque herbæ Codye vocatæ idest capitis papaueris simi- E

A similitudinem refert, & labili est materia: Siquidem ex humoribus componitur, magnitudine autem tanta est, quantum est eius conceptaculum. Verùm quoniam corporis lucerna est oculus, vt Iesus Christus verus Deus noster in sanctis Euangelijs testatur. at lucernæ sedes nó in pauimento, non medio, sed altisimo loco est, si totá domū domusque incolas splendore perfundere debeat. itidem & eius artificiosa sapientia ex cerebro visoriam facultatem oculos haurire cognoscens, eos propè cerebrum collocauit, Cumque hominis ambulatio in priora tendat, priorem etiam oculis locum delegit, geminosque fecit, ob eius miserationis vbertatem, vt vno interdum captus oculo, altero regi homo posset: pleriq; enim ob acrem fluctionem aut
B ambos aut vnum saltem oculum amiserunt, & binos alioqui esse oculos vtile est. quoniam nó priora solùm cernere, sed etiam in obliquum, & à tergo aspicere necesse est.

De oculos munientibus, Cap. XVII.

IPsos præterea fluxili materia constantes nudos aut in summa cute expositos nequaquam dimisit, sed intra concauas sedes reposuit, & excelsis vndique partibus vallauit. Primum enim superiora superciljs obducuntur, genæ deinde ab inferiori parte tutantur, nasi ossa oculis interiecta sunt, vtrinque verò à dextra & à lęua bina sunt
C vocata iuga ceu temporalium musculorum propugnacula: oculos præterea membranis vestiuit, quas palpebras appellant.

De palpebris & superciljs. Cap. XVIII.

HAs verò duo musculi claudnnt, vnus tantum aperit. neque id absurdè factum est nó enim à duobus aurigis vnus equus compescitur, contrà potius, vt vnus auriga vno freno duos aut plures circumagit equos, sic & binos palpebram claudentes musculos vnus tantū recludere valet, hanc autem & in libro Pręsensionum Retortá pelpebrá Hip. appellauit, nam claudentiū musculorū altero affecto
D vnus tantum in officio manet, fitque secundum rectam lineam medium, quod Clasis græcè dicitur, Fractio à latinis dici potest: hæc est ab Hippocrate Retorta palpebra appellata, à poetis operimeutum & epicœle, id est subcōcaua, concauus quidem palpebrarum ambitus Concha vocatur, sed ipsius lineæ à medicis rugæ, à poetis vertigines dicuntur: Inferior palpebrarum pars, quæ immota iacet, apud medicos tarsus vocatur, apud poetas Cœlis: Cæterùm quoniam plerunque violentiore spirante vento puluis festucæ, conchulæ & minuta cuiusque rei fragmenta per aerem disiecta oculos infestare solent, pilos quosdam nihilo magis augescentes palpebris subiectoque palpe-
E bris tarso diuina prouidentia in orbem conseuit. Vtramque autem palpebram membranę vestiunt, superiorem membrana os ambiens,

Clasis
Retorta palpebra
Epicœle
Concha
Tarsus

KK

à ſupercilijs naſcẽs, inferiorẽ à genis prodiẽs: quin etiã ob ſudorem A
à capite & fronte defluentem, ne in oculos feratur, pilis incremento carentibus ſupercilia munita ſunt: horumque pilorum in ſupercilijs agmen in naſum & tempora curuatum eſt, vt arcum quendam fornicemue repræſentent, cum vt ſudorem ad naſum & tempora diuertant, tum vt decorem & venuſtatem faciei largiantur. Itaque in oculis eſſe cernendi munus, omnes dilucidè nouerunt: Sed quomodo cernant, quæque cernendi cauſa, ex quibus conſtẽt tunicis, quotque intra ea humores includantur, iam explicare tentabo.

De Neruoſis tunicis humoribusq́ue oculi, *Cap. XIX.*

Itaq; à priorib. cerebri finib. (ex ipſa videlicet eius materia) quoddã B
neruorũ molliũ coniugiũ naſi neruis adiacens vtrinq; porrigitur vnus q; in dexteriore parte, alter in ſiniſtra eſt: cũ hoc viſiuo neruo ex cerebro naſcente, ſimul & tenuis & craſſa mẽbrana oriũtur, vtraq; cũ neruo oſſis foramen peruadentes, in oculi regionem perueniunt: ibi neruus dilatatur, humorem à cryſtalli ſimilitudine cryſtalloidem græcè vocatum complectitur: tenuis verò tunica cum neruo ampliata reticularem membranam facit: hæc magis extenta & vitreum humorem includens ſimul & tunicam ragoiden à Græcis ex vuæ acini ſimilitudine dictam continet: hæc rurſum cryſtallinum humorẽ partemque vitrei nutrimentum cryſtallino ſubminiſtrãtis amplectitur. C
Inde reticularis tunica vſque ad appellatam græcè Stephanem latinè coronam, quæ & Iris dicitur, aſcendit, ibique cum alba membrana os ambiente in vnũ coit: Siquidẽ alba membrana ab oculi oſſib. veniẽs ex parte magni & ex parte parui anguli dilatatur, omnib. oculi partib. inhærens & vſque ad iridem ſe diffundens, ibiq; cum cæteris tunicis iungitur. Iris enim quid aliud eſt, quàm coitus, communisq; omniũ oculi tunicarum finis? vocatur verò corona, iris, & oculi circulus. Igitur craſſa tunica tenui, & viſorio neruo capacior oſſis foramen egreſſa & latius ſe pandens humorem oui albo ſimilem continet, ex quo lachrymæ profluunt. fiunt autem frigore aut compreſſu oculum vrgente. At ſiquis rogauerit, vnde iſte humor in dolore tam fœcundus et paratus? reſpondebimus, à cerebri humorib. materiã ſuggeri, illisq; à propinquis partib. rurſumq; & illis ab alijs, iuxta Hippocrat. dictũ. *Omnia ex ijs, confluxus vnus, & conſpiratio vna & omnia ſimul patibilia.* Eadem mẽbranula ſub iride extenuata & pellucida læuiſſimaq; effecta inſtar cuiuſdam perpoliti corniculi interius circuli inane complet, corneã tunicã efficiens, verũ tunica hæc cornea omniũ extima cũ ſit, tenuiq; corpuſculo, ab exterius incurſantibus reſcindi potuiſſet, icirco diuina ars huic tunicæ alia huius gracilia nitidaq; corpora velu ti plicas quaſdam compoſuit. atque in quadrupla fit cornea tunica, E
vt corporũ perſpicuitate expeditum ſit. viſorij ſpiritus iter, ſed corporũ eorũ appoſitio, quæ Ctedones à diſſectionis magiſtris vocãtur, extrin-

Vnde la chrima | *Ctedones id eſt, tridentes* | *Tunicarum oculi ordo.* | D

A extrinsecis iniurijs minimè sit obnoxia, tunicarũ ordo is est, prima cornea: Secunda vuea, seu acinalis: tertia reticularis: quarta superinhærens, alba appellata. Igitur secunda acinalis figura est rotunda. nã vuę acino similis est, colore atra, quoniã crystallinũ humorẽ claudit. colores.n. in atrũ vergentes, oculis iucundissimi sunt, vt fuscus & cyaneus: molesti sunt splendidi. itaq; crystallinus humor perspicuus, vt crystalus, fulgensq; iure huiusmodi septo cinctus est. Id genus quandã atrocẽ machinã Dionysius Sicilię tyrannus in eorũ supplicium excogitauit: carcerẽ quendam difflabilem sanè, sed vndiq; tenebricosũ extruendũ curauit: propè hunc alterum domicilium luce clarissimũ

Qui colores oculi iucundi.

Dionysius Siculus tyrannus.

B & calce illitum ędificari iussit. atq; ita rei diu in carcere macerati, postea in splendidissimam domũ ducti occæcabantur. Rotunda est autẽ crystallini humoris figura à globo deficiens: eius.n. prior pars instar lentis compressa est. ea parte acinalis membrana rotundo foramine caua est, extra superueniens sola cornea, veluti quoddam operculũ includit. cæterùm vt ne crystallinum humorẽ cornea membrana cõtingeret, diuina cauit sapientia. nam simul & corneæ particulam è directo foramini aduersam latius tendens, & humore tenui ac mundo oui albo simili crystallinum circumfundens. adhæc tertio æthereo luminosoque spiritu locum totum pupillæ refarciens, videndi facul

C tatem suppeditat. Visorius nanque spiritus è cerebro veniens per mollis nerui fistulam in crystallinũ vsq; humorem ac pupillã patenti calle perlabitur. at crystallini humoris pars pupillam spectans tenuissima tunica, quæ inde aranealis dicitur, candida fulgentiq; ex molli neruo genita inuoluitur: igitur pupillæ imago ceu quodam in speculo in hac membrana splendida omniumq; læuissima consistit.

Cur glauci oculi cæcoantur

De oculi coloribus, *Cap. X X.*

QVando humor verò copiosus acinali tunica continetur, nigri sunt oculi: contrà, si paucus, glauci: atq; id est in causa, vt glau

D cos habentes oculos ante senectutem cęci euadant. si moderata insit humiditas, eiusmodi sunt oculi, quales habent accipitres.

Cur mobiles oculi & gemini, *Cap. X X I.*

QVoniam autem visio in directum fit, manca vtique esset ac deficiens, si rigentes atque immobiles essent oculi, prorsusq; paucissima viderent homines, propterea opifex noster Deus lubricos eos plurimumq; circumagi, & cum ipsis pariter, totã ceruicem conuerti voluit, hanc eandem ob causam binos & satis magno interuallo inter se discretos esse curauit.

De musculis oculorum & neruis mouentib. Cap. X X I I.

E ITaq; si eos motu cieri oportuit, & per musculos omnis fit motio musculos oculis mouendis esse concessos nemo est qui dubitet. Motus planè oculorũ seni sũt numero, primus introrsũ ad nares: alter extra ad paruũ angulũ: tertius sursũ ad supercilia. 4. deorsũ in gena

quintus circumuoluens: sextus sistens & retinens. Quare & ratio coegit totidem esse musculos harum motionum opifices, duos ex obliquo secundum vtrumque angulum, tertium superius, quartum inferius, quintum oculum circumagentem, sextum maiorem, in ipsa nerui radice stabilientem cohercentemq; oculum, nequando extra sedem prosiliat. Igitur seni hi musculi non solùm motus autores sunt, Verùm etiam ossium oculos continentium inanes cauitates implent, verùm secundum neruorum durorum coniugium è cerebro exoriens, per hosce musculos spargitur, in ipsos mouendi potentia per animabilem spiritum deriuans. A

Quomodo fiat visio, Cap. XXIII. B

ESto sanè circulus aliquis ab vno tantum oculo, adhuc altero clauso inspectus, ab eius centro vsque ad pupillam ipsum videntem recta tibi linea cogitetur, nullam in partem decliuis, neque à recto positu deflectens: rursum à pupilla vsque ad lineam circulum claudentem, quæ à Græcis Peripheria appellatur, alias cõplens rectas lineas: deinceps inter se collocatas pertinere animo concipias, figuramque ab hisce rectis lineis & circulo circumscriptam conum appellato, eius aciem pupillam ponito: basim verò circulum, sed rectam à circuli cẽtro exeuntem, & inter alias rectas totumque conum mediam axem dicito, item superficiem huiusce figuræ superiorem extremitatem. C His demum positis in axe coni à pupilla ad circuli centrum per aerẽ medium pertinentis, milium aut tale quippiam exiguum suspendi imaginator, id sanè orbis centrum occultabit, pupillamq; ab eius visione penitus arcebit. Quodcunque enim corpus inter externum visionis obiectum, & oculum interponitur, impediet, neque ritè obiectum videri permittet, id si aut penitus amoueatur, aut in latus propellatur, rursum obiectum visu percipietur. Hæc quispiam ritè condocefactus nonne sapienter mathematicos tradidisse asseuerabit, visilia cuncta secundum rectas lineas videri? Igitur has rectas visiones appella, & orbis circunferentiam (vt ita dixerim illis visionibus cerni dicito, sed eius centrum alia visione sentiri, quæ per coni videlicet axem perficitur: totum verò circuli planum compluribus alijs in ipsum peruenientibus visionibus. At quæcunque visiones æquè ab axe distant, & in aliqua plani parte consistunt eiusdem ordinis appellantur, græcè Omotagees. Ita namque è pupillæ centro visorius spiritus egrediens, aeri tanquam conus quidam innititur, & ad visilis rei magnitudinem ampliatur, atque ad eundem modum efficitur visio. Verùm enimverò vidisti ne vnquam, Solis radios per angustum foramẽ ingressos proculque tendentes, nullam in partem declinantes, neque deflexos, sed directissimè currentes? talem tu visionum rectum incessum mente concipito. D E

De

A *De quibusdam videndi affectibus.* *Cap. XXIIII.*

QVam ob rem visile quodque ab aliqua in ipsum incidente visione prorsus aspicitur, interdum quidem vltra visile corpus visu protenditur, interdum ad citeriora contrahitur. Item quod alterutro oculorum cernitur: si dextro, & in propinquo sit, in sinistra parte esse videbitur: si procul, magis in dextra, quod sinistro autem spectatur, propius in dextra, longinquius in sinistra magis positũ creditur. at quod vtroq; sentitur, mediũ tenere locũ existimatur. Quod si fortè papilla sursum versum, aut deorsum è propria sede pellatur,
B omnia sese oculis duplicia repræsentabunt.

De Neruorum ordinib. è cerebro nascentibus, *Cap. XXV.*

IAm verò tempus instat neruorum coniugia è cerebro nascentia recensere, sed molles neruos è cerebri prioribus cellulis emanare eorumq; par vnũ ad oculos visiuam facultatem, alterum ad nares olfactoriã subuehere, satis dilucidè suprapositum est: præterea ex ijsdẽ prioribus cauis alium neruorum durorum ordinem oculis motum irrigantem oriri docuimus: sed initium à tertio coniugio faciamus. Itaque tertius neruorum ordo ex cerebro & ipse propè secundum na-
C scitur, ossis basi subter cerebrum positi cunealisque vocati adhærescens, sed per faciei partes & linguam linguæque finitima loca dissipatur, adhuc & in membranã os fauces, epiglottida, guttur, asperam arteriam, gulamq; vestientem ducitur, faciei sanè partibus, prȩterea temporaneis & maxillaribus musculis, labijs & nasi alis sensionem motumque impartitur: linguæ verò, ori, faucibus, epiglotidi, gutturi, asperæ arteriæ, & gulæ, solam sentiendi potentiam inuehit, motum enim à sexto neruorum ordine hæc membra suscipiunt.

De lingua, *Cap. XXVI.*

D LIngua verò materia quidem est musculosa, magnitudinem oris portione consequitur, figura oblonga est, tereti mucrone, locutionis gustatusque instrumentum est, motus ei à septimo neruorum è cerebro fluentium coniugio subministratur: eius excessui ab osse ypsili elemẽti formã habente ortus est, is & linguæ radici colligatur.

De maxillis. *Cap. XXVII.*

ORis profectò duas esse maxillas vnam suprà, alteram infrà omnibus clarum est: at sola inferior cibi exterendi causa mouetur, altera immobilis manet. nam si vtraque moueretur, vtraque inu-
E tilis & ociosa foret. sed quemadmodum in molaribus lapidibus videmus frumentum inferiore moto confringi, ita & in nobis, sed contrà fit. quandoquidem animantibus, si maxilla superior moueretur,

non vulgare nocumentũ cerebro, ex concussu ingrueret, inferior sa- A
nè à musculosa latitudine detrahitur, quæ ex posterioribus capitis
excessibus (acromia Græci vocant) enascitur, & infimæ maxillę par
ti vsque ad ipsam summam inseritur. similis est hæc musculosa am-
plificatio muliebri phialæ quam vulgo Græci Stomomanicon ap-
pellant, ab vtrisque verò temporaneis musculis inferior mandibula
clauditur, eadem instar molaris lapidis à mansoribus musculis agi-
tata escas atterit atque comminuit.

De Dentibus. Cap. XXVIII.

MAxillæ vtrosque dentium ordines cum sedibus suis, quas Grę
ci Phatnia, nos pręsepia dixerimus, cõtinent, earum singula B
sexdecim dentes exigit, ex ijs quaterni primi, quia secant, à Græcis
τομεῖς nominãtur, acuti & lati, vt mordic⁹ secẽt, idonei. hi deinde qua
tuor caninis dentib. cingulo vtrinq; cinguntur secundũ basim latio
ribus superius acuminatis, quales in canibus videntur, hi ad dura os
sa conterenda apti sunt, vltra quos ab omni parte maxillares, quos
& molares vocamus, lati, duri grandes asperi, idonei.

Quædam hic deficiunt.

De cute in facie. Cap. XXIX. C

ET circum tenta, propterea que glabra est. nam si hirta esset, nõ
solum aspectu fœda, sed etiam efferata facies videretur, oculo
rumque munus prohiberetur, permota verò faciei cutis rugas effi-
cit, quæ à Græcis Stolides nominantur. *Stolides*

De principibus animæ viribus. Cap. XXX.

IGitur priores cerebri ventriculi fronte contenti imaginatricem
animæ partem possident: tres enim cũ sint, ab animabili spiritu
procedentes functiones, imaginatio, memoria & cogitatio, tria simi
liter in cerebro tãquã hospitia discreta sunt: prior, posterior, medi-
usq; ventriculus. In priori imaginandi potentia in habitat: in medio D
cogitandi: in postremo memoria, non sine summa autẽ ratione hũc
ordinẽ habuerunt, prius enim quicquid in quolibet euidens est ima
ginationẽ excitat, deinde quæ vtcunq; cogitata fuerint in memoria
veluti in quadã custodia reconduntur, vt occasione inuitãte ad vsus
Autoris dubitatio nostros depromantur, Cæterùm cur poeta Homerus & pleriq; alij
Græci scriptores animæ principatũ in corde esse prodiderũt, quin-
etiã & ipsum diuinũ Euangelium huic sententiæ clarissimè accedit,
quare, inquit, *cogitationes ascendunt in corda vestra?* hanc ego quęstio-
nem dissoluere nequeo. Medici nãque cũ multas de ratiocinij me- E
morięque interitu disputationes agitauerint, quo loco passio fieret
nullum alium pręter cerebrum inuenire potuerunt. Quo circa & ac-
commodata

A commodata ad curationem epithemata, fomenta aliaque auxilia nō cordi, sed capiti applicuerunt: siquidem stultitia, atra bilis, furor, comitialis, morbosus sopor, insania, occupatio, lethargus, delirium, obliuio, neruorum resolutio aut omnis corporis, aut partis, omnia hæc vitia affecto cerebro eueniunt, eius enim corpore aut incalescente aut refrigerato, aut arefacto, aut humescēte, vel etiam membranis ipsum vestientibus itidem vitiatis, seu neruis ab ipso prodeuntibus ob aliquas causas obturatis. De capite hæc enarrasse satis fuerit.

THEOPHILI DE ARTIFICIO CORPORIS HVMANI

B

Liber Quintus.

Proponit dicenda. Cap. I.



E Spinæ dorsi medulla ortisq; ab ea neruis: prçterea de omnium genitalium partium formatione sermo noster in prçsenti volumine disputabit: quoniam verò commu-
C nes capiti colloque partes sunt, per quas annuimus, renuimus, ipsumq; caput ad obliqua circumagimus, ab istis initium facere opus est, quoniam primum hæ capiti atq; inter se committuntur.

Quædam supra posita repetit. Cap. II.

Nullum sanè ossium motum fieri, nisi artus constituant, & per musculos cohærescant, plerunque ostensum est, prorsumq;
D oportere motorem esse musculum, quod moueatur. ossium compagem. item artuum motiones præualentes iuxta & moderatè duras copulas fieri, id quoque docuimus. ad hæc necessariò copulas ossiū motos artus in orbem cingere, ne vnū ab altero distet, & musculum corpus esse ex simplici carne neruoq; conflatū, denique musculo à neruo motus facultatem præstari, omnia hæc superius enucleauimus.

De spinæ medulla ab eaq; nascentibus. Cap. III.

E

OMniū neruorū radix cerebrū est in ipso tanquā in agro quodam rationabili anima consita, aut primo aut per mediā *Rationalis anima in cerebro est*

ſpinæ medullam, quæ à poſteriore cerebro naſcitur, per ſpinam autem dorſi ad ſacrum vſque os delabitur materia, cerebro omnino ſimili conſtans, quocirca & longum cerebrum eam medici nominauerunt, permulti ex hac nerui oriuntur, in germina infinita diducti, per iſtos omne corpus primum quidem motu, deinde & ſenſione participat. A

De capitis ad ceruicem connexu motibuſque. *Cap. IIII.*

CAEterum capitis artus, vtpote neruorum omnium inferiora animalis membra mouentium fontem in ſeipſo continens, tutiſsimam inter omnes artus molitionem iure adeptus eſt. Tutela B ſane atque ſtabilitas copularum craſsitudine, muſculorum copia, totiusque coagmentationis firmitate præſtatur. Igitur caput cum prima ſecundaque vertebra committitur, cum prima tuberoſis capitis proceſsibus in ipſarum foramina ſeſe inſinuantibus ſingulo vtrinq; complectente, at ſecunda vertebra proceſſum quendam accliuem oblongumque exigens, per ipſum valentiſsima copula capiti annectitur, per hanc vtique ad ſecundam vertebram adhæſionem annuit caput renuitque, ad latera autem per primæ vertebræ commiſſuram conuertitur, ſed per muſculos tendoneſque firmatur, accliuis ſecundæ vertebræ proceſſus à recentioribus medicis Specillaris, à vetuſtioribus Dens appellatur, ſic ipſum nominauit Hippocrates. Demonſtratum verò eſt, abſque muſculis motum non dari: itaque ſurſum verſum, deorſum, in dextrum, in ſiniſtrum per muſculos caput commouetur. C

De vertebris ſpinæ. *Cap. V.*

VErtebræ in homine ſunt quaternæ vicenæ: à capite quidem vbi primę ſecūdęq; vertebræ cōmittitur, vſq; ad vertebrarū thoracis initiū ſeptē, quę ceruicis ſūt: ipſius thoracis, duodecim: quādoquidem & vtriuſque lateris nexus ſunt duodecim, ſed ceruicis thoracisque vertebræ diſsimiles ſunt: in inferiore dorſo vertebræ ſunt quinque. at omnes ſunt mediæ perforatę validis ligamentis & mediocriter duris cohærentes, ſpinæque medullam cauis tenuibus cōtinentes. Verum quoniam curuare ſe homo ad neceſſaria opera & ſupinum reflectere debuerat: diuina prouidentia non ſolis copulis priuatim vertebras inter ſe colligantibus contenta fuit, (neceſſaria eſt enim ingenſque vtilitas) ſed extrinſecus aliam copulam colore flauo, materia inter neruum cartilaginemque media ſuperdidit, omnes vertebrarum artus communi vinculo continentem neque id ei ſatis fuit, ſed vtrinque à lateribus copulæ dorſales muſculos ad eundem vſum, vtq; etiā vertebrarum inania ſpatia farcirent, collocauit. Hos dorſales muſculos communis loquendi conſuetudo Apacia nō- D E

Apacia

A cia nominat, ſub vertebris ſanè ſacrum os ceu fulcrum quoddam & baſis ſubiicitur. Inter ſe autem vertebræ deligatæ proceſſus quosdam iugorum montis inſtar, ſecundum ſpinæ regionem exigunt, ne in poſterius ſpina recuruetur, Preterea cum vena caua & grandis arteria à ſuperiobus ad inferiora deſcendentes ſpinę adhæreſcant. prudenter vertebræ interius paulum ſinuatæ fuerunt: vt ne cum ſe inclinant homines, ſpinaq; in orbem flectitur, ea vaſa collidantur. Cęterùm cur ſpina ex multis oſſibus integratur, neque ex vno tantũ oſſe conſtat? aut cur non ex tribus quatuor ve magnis oſſibus, ſed ex pluribus minutiſque?

B

Cur ex tot oſſibus ſpina conſtet. Cap. VI.

AN ſi ex vno tantum oſſe conſtaret, neutiquam ſe inclinare, neque vllam in partem deflectere inſtar ligni homines potuiſſet, quòd ſi curuari interdum, dum annunt renuuntque, cogerentur, oſſa friabilia fragiliſque naturæ in plura fragmenta diſſilirent. at ſi ex tribus quatuor ve grandioribus oſſibus effecta eſſet, ipſius medulla oſſium foraminibus recondita, dum homo ad neceſſaria negocia curuatur, diſijceretur. articulorum enim flexio ad rectos angulos fieret, atque ita mors cita ſequeretur. nunc autem curuatis hominibus,
C & ad latera conuerſis, ſpina in orbem reflexa, medulla illæſa inuiolataq; ſeruatur.

Dubia quædam circa vertebras & ſacrum os. Cap. VII.

SEd quare inferiores vertebrę eodẽ ordine poſitę ſuperiorib. maiores ſũt? an quia ferens, quam id quod fertur maius eſſe neceſſe eſt, ideo & natura imum os omniũ maximũ molita eſt, quòd vertebris omnibus tanquam fundamentum ſubſternitur? magnitudine ſecunda eſt illi contigua vertebra viceſima quarta, idemq; ad caput vſque aſcendens ſẽper inuenies: cur verò ſuperiores vertebræ inferioribus
D inaniores capacioreſq; ſunt. In primis ſanè propter medullæ ſpinalis exortum, vt eius ſummæ partes inferioribus ſolidiores eſſent: ſecũdò, vt ſuperiores vertebræ inferioribus leuiores, non adeo ipſas ponderе fatigarent. Sacrum os autem cunctis vertebris ſubſtratum ritè omnibus robuſtius firmiuſque factum eſt, vtpote baſis, ſuſtentaculumq; vertebrarum. Iam ad partes prope Omoplata à Græcis vocatas, à noſtris ſcoptula operta poſitas declarandas, ipſarũq; vtilitates indicandas tranſeamus.

E *De humeri articulo & latis oſſibus Scapularum. Cap. VIII.*

ITaque quoniam humeri caput in aliquo cauo vt mobilis eſſet omnia inſeri debuit, huiuſce caui gratia proceſſus quidam cerui-

cis instar à lato scapularum osse exigitur, isq; summo vertice sinuatur, vt superius humeri caput possit recipere. Hæc est prima summaque vtilitas, ob quam lata scapularum ossa creata sunt altera est: vt auersas pectoris partes per easq; animæ promptuariũ cor videlicet tueantur. Ille namque locus optimè munitus est, quod manuum subsidio defendi non potest. A

De Acromio vocato, & humeri motibus. Cap. IX.

IDcirco & propriam spinam vtroque scapularum lato osse diuina prouidentia exeruit. huius enim ossis summum verticem modicè adaugens, & in rectum attollens, ibiq; iugulum connectens, id quod à Græcis Acromion nominatur, efficit, tegmentum pariter humeralis articuli præsidiumq; futurum: nec non & humeri caput sursũ prolabi non permissurum, protinusq; ipsum scapularum latus longius à thorace discedens retenturum: nam hoc loco, si nihil ad articuli custodiam poneretur, facile à quocunque deforis incursante læderetur ac facile humeri caput ad lati ossis scapularum excessum prosiliret, vt pote neque profundum sinum neq; altiora supercilia habentem. Nisi enim cum hoc iugulum connecteretur, nihil vetaret, quin latum os scapularũ super thoracem incideret, & humeri articulũ angustiorem efficeret, multasq; ipsius humeri motiones impediret: eo enim quòd longissimè à pectore distat, ipsi potissimum multiformis datur mobilitas. nam si costas attingeret, aut prorsus proximè situs esset, quemadmodum in quadrupedibus iuxta os pectoris Sternon dictum oppositumq; tergum, Epomidas vocatas, & collum habuit, nullo pacto manuum in orbem motiones fieri valerent, quemadmodum nec quando luxatus humerus super costas ceciderit. ad nullam enim oppositarum partium in id genus affectibus manus tendere possumus costarum conuexo humero se obijciente, ipsumque extrorsum & in latera protrudente. Igitur ijdem nobis ad hunc modum naturaliter habentibus affectus obuenirent, nisi humeri cum scapula nexus acromion Græci nominant, longissimè à pectore abesset. B C D

De Iugulis. Cap. X

IN medio interuallo ceu firmamentum quoddam iugulum diuina sapientia collocauit: Siquidem homini bipedi animali & erecto ingredienti latum sanè pectus constituit: at humeralem articulum exterius molita est, eandem prouidentiam & iuguli creatio testatur. Cum enim lata ossa scapularũ in dexteriorem partẽ recuruari necesse esset, vtrumq; iugulum inter pectorale os & extremam latorum scapularum ossium spinam situm est: sed vacua ossium istorũ spatia E

ab

A ab vtroque spinæ latere, musculis humeralem articulum cientibus re plentur. At quare non directum ab osse pectoris iugulum, ad ossa lata scapularum natura produxit, sed alibi gibberosum, alibi sinuatum? an si directè iugula ad scapularum lata ossa pertinerent, non satis amplè pectus posset dilatari?

De humeri compagine. Cap. XI.

B QVare autem superius humeri caput rotundum est, ipsum recipiens sinus modicè cauus? an quoniam tota manus ad multos iuxta variosq; ciendos motus idonea humeri caput rotundum & id recipientem cauitatem haud ita profundam supercilijsq; humilioribus cinctam habere debuit? igitur humeralis articulus multis & validis membranosis copulis deligatur, at sursum versus & deorsum in dextrum & in sinistrum, introrsum iuxta & extrorsum per musculos tendonesq; mouetur. Quicunque vero id genus copulas, musculos, & tendones cupit dignoscere: simias, si in promptum dentur, dissecato. harum si copiam non habeat, vrsos, si & his careas, obuia C quæque animalia dum modo aliqua corpora dissecet.

De coxæ articulo. Cap. XII.

DE coxæ articulo deinceps dicemus: artificiosamq; Dei sapientiam circa horum ossium compagem ostendemus. nam spinæ compositionem absoluens eius fini sacrum vocatum os adiecit, cuius à lateribus ossa duo longe maiora & figura multiformia collocauit, ad ilia vsque maximam illorum partem producens, (appellantur autem ilium ossa) ad latera etiam & deorsum versus paulatim extendens. Id genus ossa Coxę nominantur, sinus verticillatos profun- *Ilium. Ossa Coxæ*
D dosq; habentia, in quos fœminorum capita conijci debeant. Huiusmodi cauitates à Gręcis Cotylę vocantur, à Latinis heminæ dici pos- *Cotylæ*
sunt, continenti eas ossi coxę vocabulum est, vnde inquit Homerus.

Vertitur in coxa, nostri & dixere Cotylam.

Igitur quandoquidem maximum opus ab hac commissura præstari debuit, crus autem longum & graue est, ex ossibus constans, copulis alligatum musculis vestitum tentione curuatuque indigens,
E vtpote ambulatus organum futurum. Solus autem coxæ sinus fœmoris tuberosum caput recipiens, tanto muneri satis non fuit, (multis enim colligantibus opus erat,) Dei erga homines a-

mor, ex heminæ fundo teretem neruum promisit, cartilaginosum vinculum fœmoris capiti insertum adstringensq;,ne facilè elabatur Inde ex heminæ oris aliæ copulæ oriuntur,totum fœmoris caput in orbem constringentes, non teretes & solæ, qualis quæ ex fundo porrigitur, sed latæ tutoque heminæ oras ad commissuræ præsidiū ambientes. Itaque cum id genus vincula,idque etiam, quod de fundo exoritur, aliqua fluctione maduerint, fœmoris caput in quatuor loca exilire permittunt, aut extrorsum versus, aut introrsum,aut in priores partes,aut in posteriores: propterea has easdem copulas duriores, aridioresq; diuina sapientia condidit. A

De cruris totius musculis. *Cap.XIII.* B

QVoniam verò ossium structura nō ad ambulandum solum & ad standum satis erat,verùm etiam & iacere,& stare & ambulare hominem erecto corpore oportebat,cruris ossa ab hemina ad genu maiorib, multisque musculis in neruosam naturam desinentib, vndique dissipauit. Itemque à genu commissura ad malleolos vsque & calcaneum alijs frequentibus crassisque musculis ossa illa, potissimum posteriores partes, quas Suras appellamus,communiuit:istos omnes ad cruris artus mouendos, & ad vim decoremque ipsi addendos summa Dei prouidentia creauit,& ceu quædam amicula eos cruribus circumposuit. C

De sede *Cap.* *XIIII.*

VErùm super hæc omnia eius consilium atque vtilitas in comparanda homini sede apparuit: nam suprà vtraque crura sed infrà sacrū os,& ab vtroque latere, quoniam rectos ad angulos in sedēdo heminæ commissura curuatur,multisque tegmentis cum ad inania amborum artuum spatia replenda, tum ad decorem augendum,stabilitatemque sedenti homini præstandam opus erat, multos solidos musculos & situ diuersos,alios obliquos,alios transuersos collocauit, rectos alios secundum clunes interposuit ad vtrumq; munus obeundum,vt stantibus scilicet ornamentum, sedentibus indolentiā, tutamque sedem secundum clunes in dextrum & sinistrum bipartita compararent. D

De pectine, *Cap.* *XV.*

A prioribus autem partibus rotundis processibus in signem magnitudinem habentibus, vocata pubis ossa in vnum coeuntia & in exteriora recuruata per cartilaginem committuntur,vnamque spatiosam concauitatem faciunt,vuluam, vesicam, rectum intestinum contegentem iuxta atque tuentem. Duobus superior vesica est, rectum intestinum subiacet, vulua medium locum tenet. nam super intestinum subter vesica est. E

Pubis ossa

A *De situ Vuluæ . Cap: XVI.*

IGitur primum situs eius rationem exponamus. Nullus sanè locus vulue aptior, quàm iste inueniri potuit. & ad venereos amplexus & ad semen recipiendum, & ad fœtus incrementum. vulua enim in maximũ tumorem ad absolutum fœtum pariendum naturaliter distendi potest, vt deorsum versus & ad crura facilior sit fœtus emissio. nam vulue ceruix feminis est introitus, & iam absoluti fœtus ad exitũ via. Muliebre nanque genitale in concubitu adeò distentum patescit, vt recta iniectum semẽ subito atq; affatim in vteri ventriculos subeat. facto conceptu tam arctè occluditur. vt intrinsecis æquè atq;
B extrinsecis penitus inaccessum sit. Fœtu perfecto latissimè dehiscit vt totus infans isthac peruadere possit.

De vuluæ materia, cellis, figura, cornib. & testib. Cap. XXVII.

IGitur nõ inconsultò neruosa modiceq; dura est vteriq; substãtia. Interius autem vteri cauum in duos sinus distinguitur, à dextra vnum, alterum à læua. Proinde masculos fœtus in dextra, feminas in sinistra magis conciti dicebat Hippocrates . Vterus sanè T literæ imaginem refert. ita tamen, vt huius literæ pediculus in mulie-
C bris genitalis summo collocetur, superior verò vteri pars vteri ceruix est, at pediculi cum transuerso capite connexio vteri caua laxitas est, verùm transuersam T literæ virgulam vtrinque recuruam esse necesse est, vt vtrobique facta curuitas vteri cornua repræsentet. Propè vtrunque cornu fœminæ testes siti sunt, vtpote a b vtroque latere semen vterque in vtrumque cornu iacientes, neque figura similes marium testib. sunt, nec æquè grandes, sed minores, duriores atq; imbecilliores, lenticulariq; forma præditi.

De Fœtu, ad fœtumq; pertinentib. Cap. XVIII.

D

AD hunc sanè modum in vtero fit grauiditas, quando ab ingenito spiritu seminis humor intra vuluæ tergora natura asperiora detrusus inciderit, cum muliebri semine & ipso tenaciore permiscetur. Ipso etiam vtpote viscidus asperaque contingens corpora, facilè instar vnguinis adhærescit. Inde iam vnico temporis momento multa admirabilia opera à summo artifice Deo initio creandi animalis perficiuntur. Vulua celeriter circa semen contrahitur, tota ceruix, potissimum tamen inferius eius hostiolum diligenter concluditur. Humore interiorem vuluæ faciem inungens, & eius aspri- *Amnion*
E tudinem læuigans, membrana fit, quam Græci Amnion vocant, hanc aiunt eum, qui fœtus veluti sudor est, recipere. Ex ipso autem semine altera membrana gignitur : eam Græci à farciminis

similitudine Alantoidea nominarunt. Hæc foramine in vesicam pertinente caua intra se infantis veluti lotium vsque ad partus tempora colligit. Extra has in orbem tertia quædã membrana superdatur, quam Græci Chorion, Latini secundas dixere: & per iter qnoddam vsque ad infantis vesicam perforatur. Hoc in meatu secundarum venæ arteriæque omnes infanti eo more quatuor enascuntur, quo ex multis radicibus collecti caudices oriuntur. duę sunt arteriæ, duę venæ, quarum medius est vrinæ canalis Vrachos inde apud anatomicos appellatus, è vesicæ specu lotium in Alantoidea tunicam deriuans. Ab singulo enim vasorum in vterum intrantium mensesq; isthac purgantiũ, osculo nunc positæ venæ arteriæque circa concipiendi tempora gignuntur. Istas inter se tenuis membrana, sed valida connectit: quæ exterius vasis omnibus adhærescens & ex penitis vteri partibus oriens vascula omnia, ipsumque vterum operit, colligat atque tuetur. Id genus vasa ad infantis vmbilicum procedunt: rursum ab vmbilico vna ex duabus vena composita vsque ad iecoris caua fœtui alimentum subuehens perlabitur: Artertiæ verò cordis longitudinem euitantes cũ spinali arteria coalescunt, per ipsamq; in cor spiritum transmittunt. omnis enim alimonia & vita infanti per vmbilicum suggeritur.

A

Vrachos

B

C

Exemplum & repetitio de pertinentibus ad fœtum, Cap. XIX.

IGitur si quispiam grauidam capram accipiens, & ipsam artificiose rescindens notitiam capere voluerit. in humore intra vuluam contento ex fœtus sudore manante, vtpote omni qualitate carente, ac minimè noxio infantem natare, & ex vmbilico per conceptacula tunc sanguinem spiritumque aduehentia sustentari, comperiet. Itaque membranæ omnes fœtum inuoluentes intra vuluam sunt positę: Amnius fœtui contiguus sudorem ab ipso defluentem colligit, sed vocatus Alantoides versus infantis genitale foratur, vt suprà posuimus: & vrinæ iter, quod Vrachon vocauimus, intra foramen recipit. illud verò infantis lotium educit, ne cum sudoris humore misceatur. Vrina enim acris cum sit, tenerum fœtum acrimonia sua corrosisset. Quapropter diuina sapientia summo homines amore complectens, ipso fœturæ tempore plures tunicas machinata est, diuersis humoribus suscipiendis. Tertia membrana, quam secundas nominant, effecta est intra vuluam quidem sita, procul tamen à fœtu ex venis arterijsque contexta, per qua omnia intra vuluam membra nutriuntur. Inde quoq; appellationem hanc, Chorion apud Græcos adepta est, quòd omnia ad fœtum pertinentia contineat. Alantoides verò membrana ab intestini similitudine vocabulum

D

Vrachon

Chorion

E

A bulum habet, quasi intestinalis. Vasculorum sanè ostiola in vterum subeuntia Acetabula nominantur. Ea si firma aridaque sint, fœtum quamuis grauem vsque dum absoluitur, retinēt: Si madentia lento que humore viscida fuerint fœtum retentare nequeunt, sed abortiuum partum fieri permittunt. Id Hippocrates medicinæ prometheus contemplatus, in separato quodam sermone ita scriptum reliquit. *Quæcunque vterum gerentes citra euidentem causam bimestres aut trimestres abortiuntur, his vteri acetabula muci plena sunt, neq; præ grauitate fœtum sustinere valent, sed abrumpuntur.* Acetabula

B *De virilis membri situ.* *Cap. X X.*

IGitur quoniam præsens hic liber hominis fabricam docere proposuit, à duobus autem patre scilicet ac matre homo gignitur, (ita enim præcepit, effector & conditor mundi Deus) Iccirco & genitales partes necessariò duas esse melius fuit vnam maris alteram fœminæ ad recipiendum idoneam. vtraque pudenda nominantur. Sedem autem ad virilis pudendi situm aptiorem non esse, quàm vbi nunc est, ex his discere facilè fuerit, num propius ano ipsum poni oportuit? an aluum exonerantibus id esset incommodum? sed sursum versus ad abdomen collocari non deforme solùm, verùm etiam inutile foret, & facilè ab exterius incidentibus vim pateretur.
C

De Arrectionis tempore. *Cap. X X I.*

ITem num semper rigens protentumque aut contrà laxum semper & flaccidum, aut viciſsim, quemadmodum nunc habet, esse debuit? primùm si continenter arrectum esset, à quaque leui causa læderetur, esset deinde incommodū atq; deforme: at si flaccescens langueret assiduè, prorsus esset superuacuum id, cuius causa creatum fuit, præstare non potens: Quod si alternis modò laxum, modò rigens sit, id ipsum mehercule omni admiratione dignum extiterit, quod quale ipsum debere esse ratio cogitauit, tale nunc esse reperiatur.
D

De virilis membri materia. *Cap. X X I I.*
E

QVamobrem cum genitalis membri corpus durum iuxta & cauū esse fistulosumq; debuerit, ex osse quidē vt reliquę copul

oriri cernitur, at cõcauum & fistulosum ex omnibus solum est, taleque ipsum esse vtilitas postulauit, vt rectum nullamque in partem declinans in venereo congressu perduraret, verum distendi etiam spatiosiusq; reddi eius iter oportuit, vt quam plurimum semẽ quam lõgissimè rectaq; in vteri sinus profundatur. Quare vocati hypospadiçi idest quasi spadones & oblæsi cum colis meatus in fine retorqueatur, generare non possunt, id verò curatio declarat. rescisso enim vinculo, apti ad generandum efficiuntur. A

De causa arrectionis, & collo vesicæ tam maris quã fœminæ Cap. XXIII B

IGitur pudendum spiritu distenditur, biniq; ue ab vtroque eius latere musculi adiacent, meatũ in seminis missione, si multũ eijciendũ sit, veluti quædam manus distendentes. Cæterũ quoniam vrinę vesica prope sita est, nullum aliud expellendæ vrinæ, iter, quã quo & semẽ vtitur, excogitari potuit. Itaque non iniuria & ipsius ceruix omnem peritonei membranæ locum occupauit ab ano, cui à principio insedit, ad eam, quæ apud virile est, germinationem ascendẽs. At in mulieribus cum genitale nõ propendeat, huiusmodi processũ vesicæ ceruix non itidem habuit, sed muliebre pudendum sedi incumbit, ad superiorem autem eius finem vesicę collum terminatur, atque inde vrina profunditur, cum neque ita flexuosum, vt in viris, neque ita longum esse debuerit. C

De præputio tam mulieris quam maris, Cap. XXIIII.

PElliculosæ verò appendices extremis vtriusque genitalibus adiectæ, in mulieribus quidem ornamenti causa procreatę sũt, vtque ne vuluæ refrigescant, tanquam operimenta obijciuntur: in viris autem pręterquam quòd ornamentum addunt, neutiquam ipsi carere mas potuit: igitur omnes, quas viri habent, particulas, eædẽ & in mulieribus conspiciuntur, eo solum differentes, quòd mulierum genitalia intus delitescunt, virorum extrinsecus pendent. D

Quare mulier viro imperfectior. Cap. XXV.

QVocirca medici perhibent, virum esse muliere perfectiorem, huiusce rei causã caloris excessũ tradiderunt, Fœmina enim cum sit frigidior: generationis membra foras propellere non potuit. Verius tamen dictu fuerit ad generis propagationem in hunc modũ fœminam fuisse creatam ad recipiendum continendumque semen, E

præ-

A preterea ad alendum perficiendumque fœtum idoneum instrumentum. Icc irco mas fœmina calidior, merito membra ampliora, grandiora mobilioraque possidet: statim sanè & mulieris testes exiliores imbecilliores ac frigidiores esse debuerũt: eorum pariter semen paucius, infirmius, & frigidius, æquè autem genitale durius & cauernosum, in cuius extremo pelliculosum additamentum suspenditur, quod præputium appellatur, id in cunni præclusione rescinditur.

De motu virilis membri, Cap. XXVI.

B NVnc vtique quo motus genere virile cieatur doceamus: tres cum sint in corporis particulis motiones, naturales, electoriæ ex vtrisque mixtæ, qua istarum trium virile moueatur, declaremus, Primùm si electoriè proximè nati infantes electione carentes immobiles hac parte permanerent: contra verò ipsos arrigi videmus identidem & nobis secũdum quietem accidit, Quare hinc efficitur, vt naturalis sit pudendi motio, non electoria. In contrarium autem multis corporibus quiescentibus, prorsumque immobilibus, alia nuda mulierum virorumúe corpora intuentibus, aut tangentibus protinus ac repente virile commouetur: igitur electoriè non naturaliter commoueri videtur, relinquitur sanè tertiũ, vt mixto scil. genere

C moueatur, nam quatenus musculis mobile voluntariò mouetur (omnis enim per musculos motio electoria est) quatenus verò à spiritu, naturaliter. Itaque virile & naturalem & electorium motum habet.

Omnis motus per musculos Voluntarius est.

De testium materia & forma. Cap. XXVII.

AT viriles testiculi, quo mas fœmina calidior, eo fœmineis maiores sunt. Quare de ipsorum materia, magnitudine & figura, preterea de canalibus ad eos pertinẽtibus, deque germinantibus ab illis in presentia differamus. Igitur testium materia glandulosa est, colo

D re alba, fungosa, leuisq;, vascula multa capillacea aranealiq; tenuitate per ipsam glandulam sparsa: figura quidem lenticulari formati unt.

De vasis ad testes euntibus. Cap. XXVIII.

POrro vasa ipsos ineuntia ita se habent: quæ in dextrum viri testẽ dextrãque in muliere vuluam feruntur, à magnis canalibus spinæ adhærentibus supra renes oriuntur: vena, à caua vena: arteria à grandi arteria: quæ verò ad sinistrum testem in viris sinistramq; in

E mulieribus vuluam perueniunt, bina sunt & hæc, vna arteria, altera vena: non item à magnis conceptaculis sed à ramis in renes subeuntibus expullulant.

Cur in dextro mares, in sinistro latere fœminæ gignantur. Cap. XXIX. A

QVamobrem iam neminem fugit, sinistrum testem in viris, sinistramque vuluam in mulieribus fæculentum, dilu tum serosumque haurire sanguinem, atque inde recipientes quoque particulas non absimili temperamento esse necesse est, nam sicut purus sanguis fęculento calidior est, ita & eo vescentia mẽbra dextra, scil. sinistris calidiora sunt, alia quoque ratione magis calorem participantia, quòd ab iecore collocãtur, Id enim ab Hippocrate rectè sæpius inculcatum est, *Membra è regione posita necessariò magis reciproco munere foueri.* B Inde etiam mirari desine dexteriores partes marium, sinisteriores fœminarum esse feraces: quandoquidem mas sit fœmina calidior.

De causa voluptatis in coitu, Cap. XXX.

ARteriæ sanè atque venæ à locis prope renes ad genitales partes descendentes in mulieribus quidem vteri fundum prætereunt, eius verò latera conscendentes in duas partes finduntur, Inde portio vna ad muliebres testes à lateribus positos, & ipsa vtero incumbens proficiscitur, altera fundum petens tota per ipsum dissipatur, hoc in loco vasculorum sinistri vteri sinus orificia vasculorum C dextri orificijs committuntur: quare & serosus humor à dextra vulua, licet obscurè, participatur: cuius acre quiddam pruriginosumq́; habentis, ingens erat futura vtilitas. id genus namque & excitare membra hæc ad opus potest, & insignem inter operandum voluptatem afferre. Quando enim humor iste exire postulans iccircòque excitans, & ad excretionẽ proritans atque vnà multus & calidus spiritus exhalare optat, immensa quædam voluptatis magnitudo concipienda est. Huc adde, & harum partium sensum multo quàm in cute vegetiorem. Accedit præterea & aliud non mediocre subsidiũ à glandulosis corporibus, ab vtroque colli vesicæ latere positis, in D quibus seminis instar admodum tamen tenuior humiditas reperitur.

De seminis essentia, Cap. XXXI.

SEmen planè spiritus quidam ac veluti spumeus est, quare si humi spargitur mox, longè minus apparet citissimeque arescit protinus exhalante spiritu viscida parte relicta ac in se ipsam residente, neque enim vt mucus aut pituita diu durat neque arescens eandemque molem retinens, tenuis namque & aquea & incocta est E istorum humiditas, contra crassa tenax vitalique spiritu referta, quæ est in semine.

De

A *De seminis generatione.* *Cap. XXXII.*

CVius sanè genitura ita se habet. Vasorum in vuluas pertinentium, quæ secundum eius latera findi suprà posuimus, pars de orium petens perinde in plures anfractus reflectitur ac circa mariũ testes vascula reuoluuntur. supra namque est vena, infrà arteria, in multos orbes vtraque sinuata. In his tortuosis ambagibus dũ ad testes iter faciunt, diutius sanguis spiritusq; vagati cõcoquuntur, perspicueq; in primis orbibus humor quid à cruentus aspicitur, qui paulatim in posterioribus magis albescit, quosque in postremis iam B testes intrantibus diligentissime exalbuit. Ij nõ inanes & peruij hunc transmissum humorem recipiunt, coquunt iterum, & ad animantium propagationem perfectissimè in maribus elaborant, calidiorem que efficiunt, & itineris longitudine & receptaculorum viribus exquisitissimè concoctũ. imperfectius verò fœminarum testes ob ante dictas causas semen gignunt.

Cur sanguis in venis morans albescit. *Cap. XXXIII.*

VErum cur sanguis diu in venis Stagnans exalbescit? an quoniam membrum omne sibi alimentum assimulat? Igitur nihil mirũ si C albæ vasorum tunicæ in sibi similem formam sanguinẽ conuertunt.

De vasis semen emittentibus. *Cap. XXXIIII.*

CÆterum cõcoctum in testibus semen cum excernendum esset alio rursum canaliculo ipsum ad exitum ducente opus fuit. Ita que in mare cum foras semen proiecturus esset, eiusq; crassioris magnam copiam educturus ad virile vsq; pertinet, & in iter vrinarium semen eructat, longus, latus ac varicosus. at in fœmina, cũ intra seipsam semen mittat, idq; paucum atque subtilius emissorium vasculũ angustum & breue in ipsa vulua inseritur.

D *De supergeminali,* *Cap. XXXV.*

QVæres iterum cur seminarium conceptaculum non intra testes sese immergit? sed supergeminalem, quæ appellatur, vtrisque natura interiecit? an rari cum sint fungosiq; & molles testes, cum densis validis ac duris seminarijs vasculis tutò committi non poterant? Siquidem prudens natura nulla essentijs contraria in vnum cogit, nisi copulam aliquam amicitiæ conciliatricem in medium cõijciat. Quanto enim à seminarijs alueolis viribus densitate duritiaq; supergeminalis vincitur, tanto ipsa testes superat. Quinetiam ipsius E partes, quæ seminis vasa contingunt, durissimæ, quæ testes, mollissimæ sunt, quæ mediæ interiacent, quo propiores vasculis, duriores, quo testibus, molliores creatæ sunt.

De supergeminali in fœminis. *Cap. XXXVI.* A

VErùm quare in muliebribus testibus non euidentes ac sensiles supergeminales conspiciuntur. an quoniā in primis muliebris testis: deinde seminarius riuus exiguus est, Igitur nihil mirandum. si & eos adnectens vinculū sit perexiguum. præterea & ipsorum materiæ differentia modica est, nō vt in maribus maxima: nam masculi testes humidiores molliores q; fœmineis sunt, & seminariæ fistulæ duriores: contrà in fœmina hæ minus duræ, quia non tam longæ, neque tantum seminis fuerant concepturæ, testes autem minus rari & fungosi, aridiores q;: quia frigidiore temperie constant. iure itaque natura inter se propinqui cum sint, testibus magis duratis musculi ad testes missi: seminarijs verò canalibus ipsos intrantibus mollioribus factis, exili inter ipsos copula opus fuit. paulatim ab vnius duricie in alterius mollitudinem recedente. At quoniam marium testes sunt penduli, iccirco & in vtrumque musculus vnus ab ilium sedibus porrigitur, vt & ipsis motus ad locum facultas subministretur. B

De mammarum & vulua, lactis mensiumq; consensu. *XXXVII.*

CÆterū de mammis accuratè loqui superius polliciti ad ipsas iā sermonem conuertamus, primumque inter ipsas & vuluam mirum esse consensum quotidiana docet experientia in fœtuum abortibus, quemadmodum nobis Hippocrates declarauit, & citra eos cum secunda valetudine animal fruitur, paruæ enim in crescente animali, æq; ac vuluæ cernuntur, perfecto autem, & generandi tempore appetente, cum vuluis pariter ad decentem vsq; magnitudinis modum extuberant. In qua vtroque membro consistente, semen accipere fœtumq; absoluere ad vuluas pertinet, mammarum autem in lucem editum animal alere officium est. Verùm cur adeo mutuo inter se consēsu hæc membra afficiantur, nunc exponemus. id enim ipsum mirificam Dei artem promulgabit: nam cum ad vnum conficiendū opus vtrumque membrum comparauerit, ipsa per vasa connexuit, (quę in suprà habitis de pectore sermonibus ad mammas procedere monstrauimus) venas arteriasque in prȩcordia totumq; abdomē diducens, deinde infernè ascendentibus cōmittens, à quibus in vuluam & scrotum venæ porriguntur. Sola namque hæc in animalibus vascula partim à locis supra septum profecta ad inferiora corporis labuntur: partim ab infimis sursum repunt. Sola igitur modo posita membra per vascula consociari debuerunt, vt quando in vulua fœtus conformatur atque augescit, soli illi ab vtroque membro cōmunes venæ irrigent alimentum. At cum fœtus est editus, in mammas retro totum perlabitur: atque hanc ob causam fieri nō potest, vt probē

C D E

A bè eodem tempore menses ferantur, & lactet fæmina: semper enim alterum membrum exarescit in alterum sanguine declinante. Nam cũ ante vteri gestationem in mulieribus florẽtem ætatem agentibus quicquid superuacui colligitur, singulis mensibus natura per conceptacula in vuluam pertinentia excernat, cum grauidæ fuerint, fœtus à conceptaculis nutrimentum exhaurit. illic igitur venæ tam capaces tamq; prolixæ sunt, vt inde fœtus abunde nutriatur, semperq; aliquid superuacui redundet. Quando itaque toto grauiditatis tempore contractum in communibus hisce alimenti vasculis tanquam promptuarijs quibusdam exerit, distenditq; vehementer, ac veluti locum humore submergit, tunc aliò migrare contendit: sed nulla est B alia regio pręter pectus, in quod venæ distentæ iuxta atque oppressæ sarcinam suam propellunt. Item & totius ventris ex pręgnatione tumor transmittens atque protrudens incedentem locum compellit. Ita sanè lac mẽsium germanum appellauit Hippocrates. octo menses quidem agens, alimento vero redundante, sic etiam & fœtu aliquem languorem passo, neque satis cibi attrahente, aut mulieris corpore aliqua ex parte vitiato, vt sanguis satis copiosus gigni non possit: confunditur tunc quidem perturbaturque operum naturæ ordo, contrarijsque affectibus mammas vexari necesse est, modo lacte ante tempus affluentes, cum fœtus ęgrotat, modò gracilescentes, C cum vuluæ inopia laborant. propterea dicebat Hippocrates, *Mulieri ventrem gerenti lac ex mammis multum emanans fœtum infirmat*. tanquam videl. in mammas prorsum eo, quod abundabat, ascendente, quod in venis fœtus reliquerat, præ imbecillitate. quantum ipsi satis erat ad moderatum alimentum attrahere non potens. Contra cum dixit iterum, *Mulieri vterum gerenti si mammæ gracilescant, abortus fiet.* Fœtum quidem tunc valentem esse putandum est, sed alimenti inopia laborare: quare primum ex venis vuluæ communibus sanguinem sugit, indeq; mammæ contabescunt, posterius paulo per abortum excluditur, nutrimento penitus ipsum deficiente. Hæc de admirabili humani corporis artificio altissima conditoris nostri sapientia monstrante sint tradita.

Lactatio & menstrua non simul esse possunt

Lac mensiũ germanum Hippocratis

QVÆSTIONES NATVRALES ET MEDICAE A IVNIO PAVLO CRASSO Patauino editæ.

Quæstio prima.



VARE homo iecur maius, quam cætera animantia possidet? An quoniam homo cũ animal sit, multis tam ani- B
mi quàm, corporis laboribus occupatũ, vnde magna est
opus spirituũ multitudine, à quibus mẽtis corporisq; ro
bur ad agendũ prouenit, spiritus verò ex sãguinis purio
ri parte extenuata creantur, multus ideo in homine sãguis sit necesse
est, vt generandis multis spiritibus materia suppetat. At sanguinis cre
andi iecur instrumentum est: quare magnum ipsum prouidens na-
tura creauit, vt potentius esset sanguinisq; capacius: prę terea in agen
do spiritus plurimi dissipantur. crebra itaque spirituum instauratio- C
ne opus fuit.

Quæstio II.

CVr plerunque calidum iecur habentes, frigidiore ventriculo
sunt? an quoniam iecoris magna caliditas ventriculi calorem
dissipat, cum ipsi inhæreat. & complexu foueat, Quemadmodum
maiorem flammam à minori extingui & extabescere cernimus.

Quæstio III.

CVr Anginæ prodesse medici perhibent stercus canis, qui ossa
comederit, & achoribus fimũ sturnorum oriza vescentium? D
Vtrum cum primæ concoctionis, quæ in ventriculo fit, excremen-
tum sit stercus, nimirum si ex diuerso cibo diuersa quoque redditur
stercoris facultas & qualitas. neque enim per concoctionem cibi vis
penitus aboletur. Ex certo igitur cibo certa in stercore qualitas re-
manebit, quæ ad certum morbum tollendum idonea fuerit.

Quæstio IIII.

CVr alicũi ardentissima febre laboranti sudor interdum frigidus
emanat? an humores febrim excitantes in conceptaculis pu E
trent, solidorũ autem membrorum caliditas extincta est, per quæ re
frigerata, effluens sudor nimirum frigidus efficitur.

A *Quæstio V.*

QVare vinum dulce iecoris obstruit foramina, pulmonum verò obstructiones demolitur? Vtrum quia vinum dulce in vētriculo breui commoratur, neque ibi perfectam concoctionem expectat? Nam cum naturæ humanæ sit valde familiare, & eadem fermè temperie præditum, (calidum enim humidumque est, ex quibus qualitatibus ipsa dulcedo resultat) quàm celerrimè à iecore eiusdem temperaturę viscere similitudinis ratione inconcoctum attrahitur, cumque sit crassæ substantiæ, qualia sunt omnia verè dulcia, nihil mirum si in angustis iecoris conceptaculis inhærescens, ea oblinat ac
B obstruit. Ad pulmones verò cum peruenit, non tale est, quale anteà. Sed longum iter per venas medianas faciens, & in iecinore commorans concoquitur extenuaturq́;, & partibus illis terrestrioribus depositis ex conuexo iecinoris emergens, purius atque syncerius in pulmones per cordis dextrum sinum (in quo etiam magis elaboratur, in fluit. Atque inde iam pulmones ingreditur, Quos non obstruit, cum quia (vt ostendimus) longe tenuius effectum est, tum quòd ex angustioribus iecoris venis in patentiores pulmonum illabitur, ibique cum crassis illis humoribus admixtum eos extenuat, secumque impetu rapiens habiliores expulsioni per tussim facienda reddit.
C

Quæstio VI.

CVr quibus iecur calida intemperie afficitur, manuum partes internæ pedumq́; caliditate fermè perpetua vexantur? Vtrum quia multi halitus, qui ob calorem humores digerentem gignuntur, per alias corporis partes vt pote rariores facilius transpirant: interiores autem manuum pedumque regiones penetrare & euadere nequeunt. Sunt enim hæ densæ admodum & angustissimis foraminibus præditæ. Huius autem rei causa est tendo quidam latus ex musculo
D prodiens, & cuti internæ pedum ac manuum substratus, & sua densitate vaporum exitum intercludens: qui retenti magis incalescunt, atque ita sensui molestiam inferunt. Inde quoque efficitur, ne partes illæ pilis obsitæ sint: ijdem enim illi vapores meatus subeuntes membrorum, ac sese, (dum exitum petunt), vicissim propellentes inter se inhærescunt, refrigeratique in corpus illud oblongum gracileque, quod pilum appellamus, conuertuntur. Glabrę nimirum partes illis sunt, cum vaporibus quę pilorum materia sunt exitus obstructus sit.

E *Quæstio VII.*

CVr post multam sanguinis in febribus profusionem (vndecunque facta sit) aluus liquida redditur? an caliditas nobis,

nsita, cum rectè valet, omnia corpori nostro vtilia, & necessaria ex A
quisitè ac diligenter exequitur: ciborū. videl. cōcoctionē, in sanguinē conuersionem, in singulas partes digestionem: cum verò imbecilla est, nihil horum bene perficitur, atq; inde venter fluidus existit. Quę enim malè concocta sunt, tenuiora dilutioraque remanent, quandoquidem concoctio omnia crassiora efficiat, eorum igitur excrementa talia quoque erunt, cumque à iecinore malè concoctus succus de bilius attrahitur, & in vitiosum sanguinem versus non rectè in alia membra deriuetur, inibi remanens intestina humectat, & assiduo ferè profluuio ventrem sollicitat. Itaque cum sanguis multus, in quo domicilium ingeniti caloris est, antea effusus fuerit, nimirum ea B
omnia vitiose administrari necesse est.

Quæstio VIII.

CVr munera omnibus iucunda sunt? an animis hominum honoris commodiq; cupiditas insita est, cupiditatem autem res concupita si possideatur, sedare solet: id verò delectare perspicuū est. At munus honoris signum est. nam ille, cui mittitur, à mittente honoratur, & aliquo in precio habetur. Vtilitatem præterea munus affert. C

Quæstio VIIII.

QVare Ventriculus magis astringentibus eget quam iecur. An cibi & medicamenta pro varia membrorum temperatura euariant, & non eadem omnibus conueniunt: cum singulæ corporis animalis partes in propria natura seruari debeant: seruantur autē per similia, Ventriculus itaq; frigida & sicca natura præditus, nimirum: astringentibus cibis & medicamentis conseruatur, atque iuuatur. quippe quæ ex frigida & sicca qualitate constent. At iecur calidum cum sit & humidum, astringentibus non eget, nisi quatenus à la- D
xantibus. & distrahentibus eius substantia per astringentia conspissata defenditur. Laxatum enim imbecillius redderetur, vimque suam & actionem toti corpori conferentem amitteret: Ventriculus autem & ob hoc, & temperaturæ similitudine valde astringentia nō recusat, quæ si iecinori applicarentur, eius temperaturam lædentia maximam noxam inferrent.

Quæstio X

CVr lutum Armenium in pestilenti febre conuenit? An affectus isti populares & pestiferi nō nisi ex maxima sāguinis putredine E
concitantur, & quanto maior putredo est, tanto atrocior pestis inuadit? Signa verò putredinis sunt pustulæ versicolores per cutē vndique

A dique erumpentes. At putredinis materia humiditas est, quamobrem bolus Armenius, cum vim exiccandi habeat exasperandi astringendique facultatis expers, summopere huic morbo resistere aptus est, Quòd si astringeret, maioris detrimenti autor esset. materiam nanque concluderet, eamque magis putredini obnoxiam redderet. Preterea ex quadam occulta proprietate veneno ipsum aduersari credendum est: alioqui omnia siccantia similiter pestem propulsarent.

Quæstio XI.

QVare humanum caput distillatione, quam Græci catarrum vocant, sæpe tentatur? huiusce rei causæ quatuor referri possunt.
B prima est cerebri temperamentum nam frigidum atque humidum cerebrum est, vnde pituitam procreare facile potest, quæ est vera & propria distillationis materia Secunda causa est laxitas & raritas membri, ob quam vndique confluentes humiditates & vapores facillimè suscipit: exemplo esse possunt glandulæ, quas Adenas Græci nuncupant, quæ laxitatis suæ ratione ad accipiendam pituitam paratissimæ sunt, immo semper ea redundant, cerebrum verò est tanquam glandula magna. Tertia causa est multitudo atque amplitudo meatuum cerebri. Hi sunt autem partim foramina lata, per quæ commodissimè vapores ab inferioribus partibus subuolant, partim cõ-
C ceptacula, quæ intra extraque sunt, venæ. v. & arteriæ. Itaque multitudo amplitudoque vasculorum & foraminum, quæ in basi cerebri sunt facilem ascensum plurimis vaporibus præstant. Quarta causa est vel potissima, ipsius humani capitis situs, etenim cum rectè figuræ homo sit, summaque ipsius pars caput existat, & ingeniti caloris sedes in corde sit: Iste rectà sursum fertur, caput petit, quem humiditates consequuntur, & vapores omnes in cerebrum tanquam in fumarium ascendunt: quod cum laxum sit, facilè suscipit: & quia frigidum, eos in humorem condensat, atque inde fit distillatio. Bruta
D verò animãtia ideo rarius distillatione capiuntur, quòd capita in terram decliuia gerant, calorque & vapores in ea haud ita facilè ferãtur.

Quæstio XII.

CVr Diurnus somnus plurimis obest? an natura non temerè vitam nostram in somnum & vigiliam partita est, cuius vtriusq; modus si exceditur, naturæ ordo turbatur, detrimentumque afferat necesse est? Diurnis itaq; exercitationibus calor innatus totam corporis ambit superficiem, excitatur, attenuatur, perficitur, concoquitur, & meatus corporis aperiens, & humores secum ad exteriora per-
E ducens expellit, corpusque mundum reddit, propterea tunc animal vegetum alacreque efficitur. In somno verò calor ad intima retrahitur, motusque eius naturalis & spirituum intercipitur: vnde torpe-

scunt, crassiores frigidioresq; efficiuntur atq; iccirco quanto magis homo dormit, tanto segnior fit ad agendum, quoniam spiritus obtunduntur, & calor violenter à motu coercitus emarcescit, qui omnium nostrarum actionum autor est. A

Quæstio XIII.

QVare à somno in genis oculorum tumor apparet? An quoniá per somnum spiritus interius occlusi crassescunt cum motus priuatione (sicut enim exercitatio attenuat, ita otium crassitudinem gignit) tum, cum aliorum vaporũ admixtione, nam omnia excrementa in somnis præter sudorem retinentur. Crassiores itaque turbulentioresque spiritus in cute genarum inhærent, eamque peruadere nequeunt, genarum siquidem membranæ duræ densæque admodum sunt. Quocirca ibi potissimum retenti spiritus oculos efficiunt turgidiores. B

Quæstio XIIII.

QVare cum rem gestam aut fabulam quampiam recitamus, aut aliquid noui nunciamus, semper fere nonnihil addere affingereque solemus? An res quanto admirabilior, tanto delectabilior iucundiorque habetur. animus enim noster semper nouarum rerum appetens est, vt in pueris perspicere licet, qui ad spectacula quæque auidissimè concurrunt, & cuiusque sermones attentissimè audiunt. Itaque nos vt auditoribus gratificemur, eosque magis delectemus, eis maiora & admirabiliora narrare studemus. C

Quæstio XV.

CVr plantæ pro locorum varietate mirum in modum bonitate prauitateque euariant, earumque maximè propria hæc differentia esse percipitur, adeo vt quæ nonnullis in locis venenosæ, letalesque sint, in alia loca translatę mitescant penitus, earumque fructus iucundi & edules efficiantur, quę in genere animantiũ haud ita euenire conspicimus. Etsi ipsa quoque non parum in genio permutari contingat? An ideo id sequitur, quoniam terræ plantæ adhæreant, & nunquam ea absolui, sicut animalia possint, perpetuoque ex terra suum hauriant alimentum: quale verò alimentum accipiunt, talem acquirant naturá temperiemque necesse est. Qualitas enim alimenti in eo, quod alitur, remanet, vt euidenti experientia comprehenditur. In humo quidem varij multiplicesque humores continentur diuersis & innumeris facultatibus prędíti, & singulis ab ipsa enatis talem suggerit humorem, qualem intra se plantæ ab ortus initio contraxerunt, & vnaquæq; è terra talem, qualis ipsa est, alimoniá sugit. Rosa náque ex terra humorẽ talẽ haurit, qualis & ipsa est facultate. sic alliũ & reli- D E

qua

A qua omnia ex terra prodeũtia: Nisi.n.id ita haberet, ea quę generátur similia, seminibus nõ crearentur. Cuicunq; igitur plantæ ex terra cognati humoris plus, quá conueniat, attrahitur, ægrotare plantam illã necesse est, cui minus, arescere. At si humor in terra à plantæ natura diuersus insit, pro diuersitatis gradu aut plantam interire, aut in aliam abire naturam opus est, aut à principio neque ibi sponte, aut ex semine oriri apta fuerit. Argumento est, quòd neque in Ionia, neque in Peloponneso, cũ multi anteà id tẽtauerint, laserpitium prouenire queat, in Libya verò passim sponte nascatur. Quantum.n. locus à loco quátũuis propinquo ingenio distet, ex eo etiam clarissimè percipi potest quòd alicubi syluestres plantę orientes, inde aliò vel vlnę spatiũ trans-B latæ, amplius expullulare nequeunt. neq; enim terra hæc succum talẽ habet, qualẽ syluestribus plantis illa præbebat, sed aut virosiorem, aut dulciorem aut humidiorem, aut ficciorem, aut asperiorem, aut frigidiorẽ, aut calidiorem, aliaque id genus innumera. innumeræ enim in ipsa facultates insunt. At animalia, cum terræ affixa nõ sint, in diuersis terrarum tractibus eandem seruare naturam possunt, quádoquidem ex terra suum non hauriant alimentum.

Quæstio XVI.

CVr poesis excellentius quiddam, & magis philosophicum, grauiusque præsefert, quàm historia? An historicus quæ facta sunt, narrat, poeta quæ fieri potuissent & qualia? Poesis namque potius generalia: historia verò singularia persequitur. Generale autem illud est, cui quæ nam dicere aut facere secundum decorum aut necessitatem contingat, explicare. Quod poesis sibi proponit nomina comminiscens & imponens. Singulare autem fuerit, quid Alcibiades gesserit, quid passus fuerit, recensere.

D

Quæstio XVII.

CVr poeta aut furiosus, aut ingeniosus esse debet? An quoniam fabulas ita constituere, atq; oratione explicare conuenit, vt quã maximè ante oculos poni videantur. Ita namque & legentiũ & spectantium affectus præcipuè mouebuntur, si veluti ipsas res cernere se se existimauerint, Nemo autem in aliorum animis affectus excitare poterit, nisi ipse prius quodammodo in eosdem affectus inciderit. Iccirco & frigescens alteri frigus infert, qui verè irascitur, alios in iram concitat, lachrymans, alijs lachrymas elicit. Quocirca si ingeniosus E fuerit poeta, maximè omnia confingere & in omnia se vertere poterit. Si furiosus, maximè animo concitari & altiora tanquam diuinitus afflatus comminisci poterit.

Quæstio XVIII.

CVr eorum imagines & elaborata simulacra libenter intuemur, quæ verè cernentes horrescimus & contristamur, vt ferarum immanissimarum & cadauerum? An quòd hominibus à pueritia imitatio insita est & eo differũt ab alijs animantibus: quòd maximè sunt imitatores, omnesq; imitationibus delectantur: imagines autem & simulacra, quædam sunt imitamenta naturæ. Altera quoque causa esse potest, quòd discere non philosophis solùm iucundissimum est, verùm etiam alijs, licet minus discendi participes sint. Idcirco enim delectantur imagines intuentes, quoniam accidit spectantibus disce- A
re, & quid vnumquodq; sit, ratiocinari, vt quòd hęc huius, illa verò illi- B
us reij imago sit.

Quæstio XIX.

QVare cum omnes virtutes pulchræ sint, & honore dignæ, tamen iustos potissimum, fortes, ac liberales honoramus? An, quod virtutes illæ maximæ habentur, quæ mortalibus vtilissimę sũt quandoquidẽ virtus est facultas benefica (Idcirco igitur iustos viros & fortes ciuitates maximè colunt Nã fortitudo in bello, in pace iustitia ipsis præcipue vtilis est. post has liberalitas amabilis est. Liberales namque pecunias & opes concedunt, neque de illis certant, quas C
auidissimè cæteri mortales concupiscunt.

Quæstio XX.

CVr sanitas res optima existimatur? Quoniam duorum, quæ apud vulgus maximo in precio sunt, effectrix est sanitas: voluptatis videlicet & vitæ. Sine sanitate namq; vita diuturna esse non potest: nihil præterea suaue, nihil delectabile in vita languenti corpori vsquam reperitur.

Quæstio XXI.

QVare apud Lacedæmonios comam nutrire honestum pulchrũque habebatur? An quoniam ingenuitatis signum erat? neque enim comam gerenti vllum seruile opus exercere facile est. D

Quæstio XXII.

CVr arte aliqua victum quærere turpe est? contra nullam exercere artem ingenuum decorumq; existimatur? An quoniam qui ex arte quæstum faciunt, ab alijs pendeant necesse est? vtque multos alliciant, sese submittere, adulariq; coguntur. At ingenui ani- E
mi est, liberam vitam degere, neque ad aliorum libidinem candorẽ suum polluere, & macula inficere.

A

Quæstio XXIII.

QVamobrem quæ naturaliter etiam contristant, si illis assuescamus iucunda nobis redduntur? An quæ nobis secundũ naturam sunt, nos delectare solent? nihil est enim aliud delectatio, quam animi seu corporis motio reuersioq; subita & sensilis ad pristinum naturę habitum. At vsitatum iam tamquã naturale euasit. Consuetudo enim cognata naturæ assimilisque est. Siquidem id, quod sępe fit, proximum est ei, quod perpetuum est. perpetuò autẽ natura agit, consuetudo verò frequenter.

B

Quæstio XXIIII.

CVr quicquid necessariò agitur, tristitiam infert atque molestiã, etiam si anteà iucundè fieret, quam nobis necessitas esset imposita? An necessitas violentum quoddam est, violentia verò pręter naturam est? Sed omnia præter naturam nobis infesta sunt. iccirco rectè dicitur, omne necessarium tristabile est. Vnde cogitationes, sollicitudines, animi corporisq; labores vehementes infensi omnibus sunt. Contrà desidia, ocium, negligentia, lusus, quies, somnus, iucunditatem afferunt. nullum enim horum necessariò nobis iniungitur.

C

Quæstio XXV.

CVr nonnullorum præteritorum meminisse nos oblectat, quæ cum adessent, terribilia nobis erant ac tristia? An omne illud nos delectat, cuius anteà in nobis cupiditas inerat? Cupiditas enim est rei iucundæ suauisque appetentia. At omnes honoris, gloriæque appetentes sumus. præteritarum igitur calamitatum memoria nos delectat, quas euasisse nobis honori & laudi datum est. Propterea ignominia præteritarum recordatio tristis est atque odiosa, easque occulere ac obliuioni tradere omnes conantur. Præterea malum non habere suaue est. ideo exantlatas miserias memoria complecti nos oblectat, quòd in præsentia illis carere, nosq; in tuto esse gaudeamus. Item quicquid admirationem inijcit, delectationem affert, ingentia verò pericula superasse & maximas ærumnas constanter pertulisse, admirationem concitare solet. Ideo talia memoria repetere summam voluptatem afferre consueuit.

Cupiditas quid

D

Quæstio XXVI.

QVare animi angores & mœror assiduus corpus emaciat, & tristi pallore contaminat? contrà verò hilaritas, & gaudium corpus plenius vegetiusque reddit, & ipsũ florido colore depingis. An tristitia est quidam timor, timor autem est quædam insiti ca-

E

loris refrigeratio, & spirituum fuga & cohercitio & debilitatio, Qua. A
propter cibus ingestus concoqui nequit: concoctio enim caloris est actio. Vel vtcunque concoctus ob caloris conclusionē viarumq; ob frigiditatē angustias per corpus nō distribuitur. Aut praue noxieq; humiditates ob cruditatem genitæ ad membra nō attrahuntur: illis enim similes non sunt, Per similitudinem autem fit attractio, aut parum ex illis attrahitur apponiturque, inde corpus assiduè magis extabescit, cum plus sit illud, quod ab eo digeritur, quam quod apponitur. fœdus etiam inde color sequitur qui ex caloris viuacitate & succorum bonitate atque copia efflorescit. At ex gaudio & animi tranquillitate ingenitum calidum propriam retinet temperaturam ro. B
boraturq;, spiritus mobiles sūt, & in omne corpus diffundūtur, vnde tenues, puri nitidique redduntur. Inde fiunt ob caloris potentiam optimæ concoctiones, ob eiusdem in omnes partes dilatationem alimenti ad membra deriuatio. Nam & alimentum benè concoctum attractioni habile est, membra proprio calore prædita valenter attrahunt, et transitus caliditate amplificantur. Necessario igitur bona hinc prouenit corporis nutricatio & color florens atque suauis emergit.

Quæstio XXVII.

C

CVr nōnulli subito & immodico gaudio, aut metu exanimantur? ob iram autem, aut excandescentiam quantūuis acrem & vehementē nemo interijt? An metus ex innati calidi refrigeratione ortū habet, & ad proprium fontem reuocat cohibetq; spiritum & sanguinem, extimas corporis partes refrigerans, vnde nonnulli pauore correpti toto corpore horrent & contremiscunt. Igitur nihil mirum, si nonnulli ob repentinos pauores mortui sunt: præsertim cum eorum animula naturaliter imbecilla vehementiore hac perturbatione concussa extinguatur ac suffocetur. Extinguitur quidem ob ipsam affectus naturam, quam in refrigeratione consistere diximus: suffocatur D
autē, quoniam omnis & sanguis & spiritus ad suum initium refugit & relabitur, ibiq; locorū angustia conculcatur, & solita ventilatione priuatus, suffocatione cōmoritur. Magno verò gaudio nonnulli exiguo animo præditi mortui sunt: quòd in his animæ facultas, id est calor natiuus ad exteriora feratur, non cum tenore & feruore: immo contrà siquid prius habuit tenoris & firmitatis, id nunc exoluit laxatq;. Dissipatur itaq; cum latissimè profusus extrorsum dilabitur, & vitæ arcē sedemq; destituit. At nullus ira succensus perijt, quoniam in eo extenditur quidem funditurq; sanguis & spiritus, sed nō refrigeratur, neque dissoluitur caloris naturalis robur: quin magis inca- E
lescit feruetq; & potentior efficitur, In proprio enim domicilio id est corde, omnibus his afficitur, neq; ad exteriora dispergitur.

Quæ-

A *Quæstio XXVIII.*

CVr omniũ noua felicitas magis odiũ in se cōcitat & inuidiã, quã vetus & perpetua? An quoniã antiquũ & vsitatũ proximũ videtur naturali? nã qui antiquitus & per generis successionẽ diuites sũt, aut principatũ habẽt, aut potẽtiã, aut amicos multos, aut egregios filios, & alia id genus possidẽt. at si propter hęc aliud quippiã ipsis bonũ eueniat, aut nequaq̃, aut lõge minus ipsis inuidemus, & ęquiore animo toleramus, quã eos, qui nuper diuitias, potẽtiã, imperiũ, aut alia similiter bona adepti sũt. Huiusce rei causa hęc est, quòd illi res verè suas possidere videtur, hi verò alienas. Nam quod semper, aut B longo tempore ita se habere perspectum fuit, verum esse existimatur. Noua verò omnia adhuc aliena aduentitiaque & non propria esse videntur, quare hos non sua habere homines arbitrantur.

Quæstio XXIX.

CVr neq; bestiarũ nos pudeat, neq; puerorũ? An hoc scire poterimus, si prius quid sit pudor, nobis perspicuũ fuerit? At verò pudor est tristitia quædã & animi perturbatio, circa ea mala aut præterita, aut pręsẽtia, aut futura, quę nobis ignominiã dedecusq; afferre vidẽtur. Igitur cũ de ignominia quędã cogitatio pudor sit, et nõ de euẽtis: & nullus qualis de se sit opnio, satagit, nisi propter opinãtes, ne C cesse est eorũ quẽq; pudere, quorũ rationẽ habet. Rationẽ autẽ habet eorũ, qui se admirantur, quosq; ipse admiratur, & à quib. vult magni fieri, & cum quibus de honore cõtendit, & quorũ opinonẽ non contemnit. Item nõ prędictorum modò nos pudet, verum & eorũ, qui ea, quæ occulta esse volumus, alijs pro dituri sunt, vt serui sunt, & eorũ amici. Contrà verò in totũ eorũ nos nõ pudet, qui neque alijs referre possũt, & quorũ famã homines & opinionẽ despiciũt. ab illis enim nulla in nos turpitudo redundare potest, cuius metum & suspicionẽ dicebamus esse pudorẽ, Tales autẽ sunt & bestiæ & pueri.

Quæstio XXX.

D CVr cũ aliqua bruta videamus in reb. venereis & in cibis potionibusq; sumendis longè modestiora, quã multi sint homines, ea nõ ꝓpterea dicimus tẽperantię virtute esse pręditas? Veneri. n. nõ nisi statis anni tẽporibus dedita sunt: Esca verò simpliciore, neq; varijs cõdimẽtis pręparata neq; lõge petita, sed facili & exposita vescuntur, edẽdiq; finẽ famis naturalis nõ voluptariæ cupiditatis extinctio facit? An tẽperãtia est mediocritas in voluptatibus, quæ tactu gustatuque percipiũtur, idq; honestatis & nõ aliarũ rerũ causa. omnis enim virtus honesti est, & ad honestũ dirigitur. Quisquis igitur ab his vo- E luptatibus aut timore, aut pręmio, aut ambitione, aut aliquo id genus alio abstinuerit, iure is temperans dici non merebitur Propterea alias præter hominem animantes temperantes non vocamus, tã etsi quãdam temperantiæ vmbram præse ferant, quòd in ipsis ratio

non sit, qua diiudicantes honestum sectentur. sed naturæ appulsu in venerem quodã tant ũ anni tempore concitantur, cũ scilicet excremento seminario in proprijs vasculis collecto ad ipsum eijciendum non voluptatis consequendæ sed molestę irritationis abijciẽdæ causa permouentur. eo itaque eiecto, nec denuo genito, quid mirum, si etiam coeundi desinat appetentia. idem in esca et potu accipiendis dicendum est: nulla enim honesti notitia prægressa meram naturæ impellentis vim bruta sectantur, qua sublata & ipsa conquiescunt. A

Quæstio XXXI.

CVr canes summo nisu atque ægerrimè aluum exonerant? An reliqua animantia crassioris intestini figuram ita constitutã habent, vt superius angustum deorsum versus in latiores sinus sese explicet? contrà in canibus à podice incipiens intestinum arctissimũ est, quantòque superius ascendit, tanto laxius efficitur. Excrementa igitur per maximas angustias elabentia non nisi maxima vi impulsa erumpere possunt. B

Quæstio XXXII.

CVr pueri si parentes pulsent, nõ dicũtur impiè & iniustè agere, contrà si grandes natu id perpetrauerint, ab omnibus maximè sceleris dãnantur & per leges supplicio afficiuntur? An iniustè & scelerate agere quis dicitur, cũ per electionẽ & sponte agit, & noscẽs inquem, & propter quẽ, & cuius rei causa. Cum verò nihil istorum sciens aliquid iniusti perpetrauerit, iniustus quidem non erit, sed infelix. Nam si quis existimans hostem se interficere, patrem interficiat, iniustum quiddam fecit, sed nemini iniuriam intulit, ipse verò aduersa fortuna vsus est. Itaque quòd quispiam iniusta faciens iniuriam non inferat, neque iniustus sit, ignorantia in causa fuerit, cum quem, propter quẽ, & cuius rei causa lædat ignorauerit. Verùm enim verò nõ quęlibet ignorantia à sceleris culpa absoluere potest. C D
Distinguẽda est igitur ignorantia. Quotiens enim alicui aliquid agẽdi ignorantia causa sit, tunc iste non sponte id agit, quare neque iniuste agit. At si ipse sibi ignorantiæ suæ autor sit, & aliquid erroris ex ignorantia illa, cuius ipse causa fuit committat, iste iam iniustè agit, & iure sceleris autor vocandus est. Vt exempli causa temulentis accidere solet. Temulenti namque aliquid mali perpetrantes iniustè agunt: quoniam ipsi ignorantiæ sibi autores sunt. poterant enim nõ eousque bibere, vt patrem ignorantes verberarent. similiter & ex alia id genus ignorantia, quæ aliquorum culpa prouenerit, iniustè agentes iniusti sunt. Qui verò aliquid ex ignorantia illa delinquunt, cuius ipsi autores non sunt, sed ipsa illis perperam agendi causa fuit, hi profectò iniusti non sunt. Huiusmodi verò ignorantia naturalis est, qua B

A præditi pueri parentes suos ignari pulsant: ipsorum enim ignorantia naturalis in causa est, vt pueri ob huiusmodi actionem iniusti nō vocentur. nam ignorantia vt ita agant, cuasa est, neque ipsi ignorantiæ autores sunt. quod natu grandioribus rarò & ex aliquo infortunio incidere solet.

Quæstio XXXIII.

CVr feræ fortes dici non mereantur, quamquam audaces valde & in periculis intrepidæ conspiciantur, vt apri, vrsi, leones? An ille fortis est, qui cū ratione, honesti causa, vitæ periculis sese obijcit *Ex primo libro magnorum moral*
B illa constanter atque impauidè sustinens? Quamobrem illum fortē ne dixeris, qui non timeat se amissurum diuitias, quas naui & pelago commiserit. neque illum, qui tonitrua & fulgura non veretur, neque aliud quicquam quod supra hominem terribile sit. neque enim fortis iste, sed furiosus appellandus est. neque illum, qui propter peritiam & experientiam animosus est, vt milites, qui per experientiam nouerint in tali loco, aut tali tempore, aut ita se habentibus hostibus, se nō posse ab illis quicquam pati, si eos propterea audacter expectent, atq; confligant, non idcirco fortes erunt. nam si earum conditionum nulla adesset, non expectarent, ideo iure tales fortes non sunt dicendi.
C Rursum illi, qui ex imperitia quę euenire possent ignorantes, nihil timent, fortes non sunt. Item nonnulli propter animi affectum fortes interdum videbuntur, vt amantes, aut, furore perciti, neque istos sanè fortes esse concedendum fuerit, quoniam affectu illo sedato non amplius fortes videbuntur. At virum fortē semper fortem esse conuenit. Alij sunt etiam, qui propter ciuium aut sociorum pudorem pericula adeunt, fortiterq; se gerere videntur: Verum & isti è fortium virorum cœtu eijciendi sunt, quemadmodum & illi, qui alicuius premij spe compulsi in pericula sese præcipitant. nam si ab illis pudorē,
D ab his commodi expectationem abstuleris, statim ignaui timidique deprehendentur. Cum nullus igitur taliū fortis asserendus sit, restat eum solum fortem esse dicendum, quem ab initio descripsimus, Itaque neque vllum brutorum genus quantumlibet ferox & animosum fortitudinis virtute prēditum est, cū rationis particeps non sit, nullá que honesti notitiam habeat, sed animi tantùm concitatione inpetuque trahatur.

Quæstio XXXIIII.

E QVare icta fulmine corpora incorrupta manent, indeque ortum est, vt neque ea cadauera veteres vrerent, neq; terra obruerent, vt nullam ea sentire corruptionem omnibus perspicuum esset? An

ab aura acri & ignea fulmine extincta corpora siccantur? & vis quædam sulfurea, perinde atque sal inspersus hæc syderata corpora à corruptione vendicat? Quare Clymenem Euripidis poetæ damnant, quæ Phaethontem de cœlo tactum in vallibus computrescere cecinerit. A

Quæstio XXXV.

QVare nauium gubernatores vituli marini tergore, & hyænæ corio extrema vela operiunt muniuntq;? An id faciunt, ne fulmine contacta deflagrent? Semper enim summa quæque fulmina petunt: ea verò animalia nunquam de cœlo tanguntur. B

Quæstio XXXVI.

CVr gallus iugulatus, qui in arbore fici pependerit, tenerescit? an carnis teneritas & mollitudo à concoctione, sicut contrà duritia ex cruditate prouenit, concoctio autem calore perficitur? Cum igitur fici arbor calidi sit temperamenti (vt eius lacteus & adurens succus clarissimè testatur) auram acrem calidam & concoquentem expirat, quæ quicquid afflarit, concoquat & remolliat necesse est.

Quæstio XXXVII.

CVr in Eunuchis pueris mulieribusq; & febrientibus vox acutior editur? An acutę vocis hæc reddi causa solet angustia scilicet vocaliũ instrumentorum, per quæ aer vocis materia exhalare debet? in eunuchis quidem & mulieribus semitæ illæ angustæ sunt, cũ omne illorum corpus frigido temperamento sit prędítum. Frigidum autem arctandi constringendiq; vim habet. At de pueris id dici profecto non potest, cum in his qui crescunt, plurimum insit natiui caloris. De illis dicendum igitur est, vocis itinere exilia esse & angusta ob crescentis adhuc corporis imperfectionem, multæque humiditatis ea replentis abundantiam: In febricitantibus autem calor ille naturæ inimicus humiditates membris ingenitas consumens, vias etiam vocis ac transitus aridiores efficiens necessariò constringit. C D

Quæstio XXXVIII.

4 Ethic Nicomach. QVare qui natura sunt iracundi facile mitescunt? An quòd interius iram non continẽt, sed quam primum eam profundunt, vltioneq; sumpta conquiescunt? id verò efficitur, quoniam vltio lætitiam affert, iccirco iram, quæ tristitia quædam est, abigit atq; propellit. An illud etiam verissimè dici potest, iracundi biliosa sunt temperatura, sanguisque ipsorum cum plurima bile permixtus humore tenui, calido, sicco, feruenti facillimè inflammabili, talis & ipse E

redditus.

A redditus est. Itaque cum ira ex feruore sanguinis in corde atque inflammatione excitetur, qui feruido inflammabilique sanguine præditus est, necessariò citò excandescit: at hic feruore inflammatio cito quoque euanescat necesse est, vtpote à materia leui dissolubili euanidaque prouenieus, perinde atque in stupa & paleis ignem subitò accendi, confestimque extingui conspicimus.

Quæstio XXXIX.

PRopter quid verecundia non omnem ætatem decet, sed iuuenilem? Arbitramur enim huius ætatis homines prudentes esse debere. An cum animi perturbationibus agitati vitam degant neq; rationi obtemperent, in pleraq; vitia prolabuntur? At verecũdia tãquam freno retardantur, cohibenturque: ob id verecundos adolescẽtes laudare solemus, vtpote qui ignominię labem verentes, à flagitijs se abstineãt, & ad virtutum iter deflectant. Nihil est enim aliud verecundia, quam timor infamiæ: Hominem verò ingrauescentis ætatis qui verecundię affectione laboret, nemo laudauerit, cum nihil ab eo committi debere arbitremur, cuius eum pudere conueniat. neque enim probi viri pudor est, quandoquidem ex vitiosè actis oriatur. hæc verò agenda non sunt, quare neque pudendum est, nihil autem refert an verè, an secundum opinionem sint turpia: neutra enim perpetranda sunt. 4 Ethic. Nicomach.

B

C

Quæstio XL.

QVare cum pudore, afficimur, facies rubore suffunditur? An motus quidam & affectio animalis facultatis pudor est? Est. n. contristatio quædam, & perturbatio metusque eorum quæ ad infamiam spectant, in huiusmodi sanè affectione innata caliditas primum intima corporis subit, & ad suum principium fomitẽque recurrit. cumque ipsa sanguis & spiritus, rursumque subito ad exteriora reuertitur. nisi enim reuerteretur, timor esset, non pudor. repente namque pudor fit, nihil mali facultate animæ, præter infamiam turpitudinisque notam expectante, sed præ mollitie (vt ita dicam) & ingenita formidine, viri longe præstantioris conspectum non ferente, sed refugere, ac, si fieri posset, sese è medio proripere festinante. Quamobrem in profundum se recipit tanquam fugitans ac latebras quærens, citra tamen insiti calidi refrigerationem. Quod verò timori accidere consueuit. At vis ratiocinatrix insurgens, excitat impellitque partem patibilem, (ea verò est, quæ metu verecundiaque iactatur) vnde reuertitur, & ad exteriora mouetur, modo motionis eiq; simillimo, qui in frigido balneo fieri consueuit, cum caliditatis refractio fit & incrementum. Potissimum verò facies erubescit, quoniam eò facultas corporis gubernatrix subsidium suum sanguinem spiri- 4. Ethic. Nicomach. 2. Rhetoric. 5. De Accident. & mor.

D

E

tusque transmittit, tamquam in partem ope magis egentem, quippe quæ detecta expositaque cum sit, sese velare atque abdere, si possit, percupiat. A

Quæstio XLI.

Lib. de Frac. de artic. de Medicatr.

QVare (vt dici solet) exercitatio membrum robustius præstat, & bene habitum, ocium contrà eneruat atque emaciat? An caliditas naturalis omnium bonorum in corpore nostro effectrix est, vt bene. v. nutricetur, validumque sit, quantoque plus huiusce caliditatis in corpore inest, tanto & plus virium. Frigiditas è diuerso omnibus naturæ facultatibus actionibusque inimica est. At motio exercitatioque cuique membro conueniens calorem hunc auget, proinde plus alimenti ad ipsum attrahit, melior inde fit concoctio & nutricatio & robur cõsequitur, Cõtra quies & desidia refrigerat, vnde malè alatur membrum necesse est, atque inde contabescit & imbecillum efficitur. Vtque in summa dictum sit. Quælibet corporis nostri partes, si laboribus, quibus singulæ assuetę sunt, moderatè vtantur, salubres, adultæ, tardeque senescentes euadent, si non vtantur autem, sed ocio torpescant, languidiores efficientur, crementum nõ acquirent, citoque senecta corripientur. B

Hippoc. lib. 3. de artic.

Quæstio XLII. C

QVare pater magis amat filium quàm filius patrem? An amicitia est quædam actio amandi, neque vllus præterea amandi finis est præter actionem, sed ea ipsa actio finis est? Pater igitur semper quodam modo magis agit, quoniam ipsius quoddam effectum filius est: hoc autẽ & in animalibus fieri cernimus: omnes namque erga id, quod ipsi effecerint, amore afficiuntur. Pater igitur filium, qui suum ipsius opificium est, beneuolentia complectitur, memoria & Spe ductus. In eo enim se renouandũ quodammodo credit. Nihil autem istorum in filio reperitur, quid igitur mirũ, si pater filium magis, quàm filius patrem, amore prosequitur.

Pauli Iunij Quæstionum finis.

STEPHANI ATHENIENSIS PHILOSOPHI EXPLANATIONES

In Galeni priorem librum Therapeuticum ad Glauconem.

Augustino Gadaldino Mutinensi interprete.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO IOANNI GRIMANO

Patriachę Aquileienſi dignisſimo.

Auguſtinus Gadaldinus

S. P. D.



Ibri duo Galeni de curandi ratione ad Glauconem ſcripti, cùm & ab eo medico ſint compoſiti, qui omnium hominum teſtimonio plane perfectus fuit, & ad eum philoſophum ſint miſsi, cuius egregiæ laudes apud Galenum leguntur: pulcherrimi non ſine cauſa & fructuoſiſsimi ſemper habiti ſunt. Cuius ſanè rei illud quoque maximò argumento eſſe poteſt, quòd frequentiſsimi in omnium cuiuſque gentis medicorum manibus perpetuo fuerint. Si quis eſt autem, qui eorum pulchritudinem ac vtilitatem optimè vnquam nouerit, is mihi demum fuiſſe videtur Stephanus Athenienſis, cognomento philoſophus: qui eos explanando, eximiam illam ac propè arcanam doctrinã, quæ in ipſis continetur, tanquam theſauros medicinæ reconditos ac pretioſos, miro quodam modo & aperuit, & ſub omnium oculos poſuit. De quo tametſi nihil admodum certi, quod ſciam, habeatur, quo tempore vixerit: illud tamen dubium non eſt, eum nec ignobilem fuiſſe philoſophum, ex quo etiam philoſophi cognomen illi tributum video, nec in Hippocratis Galeniq́ue diſciplina mediocriter fuiſſe verſatum, ac multis etiam eiſdemq́ue bonis libris abundaſſe, quos hodie nos ob temporum iniuriam deſideramus. Huius ergò explanationes in priorem hunc therapeuticum librum Galeni, quòd nondum in poſteriorẽ inciderim, vnà cum Galeni verbis, è græco in latinum ſermonem conuerti. In quibus interpretandis maximos equidem ſuſcepi labores cùm vnicum duntaxat habuerim exemplar, idq́ue adeo deprauatum, vt vix aliquando niſi coniectura potuerit intelligi. Eas autem mihi in primis tibi Reuerendiſsime Antiſtes dicandas eſſe cenſui: quòd & egò tam deuinctum me tibi eſſe ſentio, vt niſi grati mei erga te

animi

animi ſignum aliquod oſtendam, ingratus merito & ſim et habear: & tu de hac ipſa re facere iudicium potes: qui præter ſacrorum librorum lectionem, qua trãquillum iſtum tuum animum incredibili per ſe quadam morum ſanctitate præditum excoluiſti, & philoſophiæ tractationem, qua ſummarum rerum ſcientiam adeptus es: alijs quoque bonarum artium ſtudijs ac medicinæ in primis mirificè delecteris: veterem ſcilicet maiorum tuorum morem ſequutus, qui adeo bonas omnes literas adamarunt, vt innumerabiles propè hebræorum græcorum, latinorũq́;
B *auctorum manuſcriptos libros maximo labore æreq́; conquiſiuerint, ac celeberrimam bibliothecam in literatorum hominum gratiam publicauerint. Te igitur magnopere rogo, vt hoc munuſculum, paruum illud quidem, non paruo tamen ab animo oblatum, hilari fronte accipias: illud tibi perſuadens, me, ſi maiora vnquam parare potuero, ea quoque libentius ſub tui nominis claritate editurum eſſe. Vale.*

STEPHANI ATHENIENSIS
In priorem Galeni librum
Methodi Curatiuæ ad Glauconem explanatio.

AVGVSTINO GADALDINO MVTI-nensi medico interprete.



Vòd quidem non communem tantum omnium hominum naturam ò Glaucò, sed etiam propriam cuiusque medicum scire oporteat: & olim ab Hippocrate rectè dictum fuit, & à nobis etiam in ipsis (vt nosti) artis operibus abunde laboratum est. B

1. Epidem sect. 3. in principio

Procemium duo hæc subindicat: alterum, vnde huius libri conscribendi occasio extiterit, nimirum à Glaucone, qui causam dedit: alterum, quæ oratione explicari possint, & quæ non possint. nempe communia tradi oratione possunt, propria non possunt. Quis enim quantitatem vel qualitatem proprietatis, quæ in vnoquoque est, possit deprehendere? C Quidam igitur opinati fuere Galenum communem naturam hominum hoc in loco calidam & humidam intelligere: quòd dicant hominem in exuperantia calidi & humidi naturam obtinere. At hi videntur mihi eorum, quæ à scriptore tum in libro, De temperamentis, tum in alijs omnibus ipsius operibus dicta sunt, haud meminisse. Nam ipse vbique ferè pronunciat hominum temperaturas quatuor simplices, & quatuor compositas esse, & præter has omnes, illam quæ Eucratos id est, temperata est, hasque vniuersas in humanis corporibus inuenire licet. Cur ergo reliquis omissis, calidam & humidam dixere? quam & omnium pessimam D esse arbitratur Galenus, putredinosorumq; morborum causam esse pronunciat. Nos autem dicimus Naturæ nomen, tum apud Hippocratem, tum apud Galenum quatuor significata obtinere. Significat enim aliquando temperaturam: cum dicit, *Naturarum hæ quidem ad æstatem, hæ verò ad hyemem, bene vel male se habent. Aliquando particularũ constitutionem: vt cum ait, Quosdam esse natura angusti thoracis: alios, qui crura veluti leuiora, ac pro superiorum ratione, tenuiora habeant. Significat etiam aliquando facultatem corporum dispensatricem: quando Hippocrates inquit, Naturæ morborum medici. Significat etiam animorum* ὁρμὴν *hoc est appetitionem propensionemue: quando ait, Naturæ animalium indociles.* E Hoc ergo in loco Naturæ nomen non de temperatura, neq; de animorum appetitione,

3. Aph. 2.

6 Epidem sect. 5. prin.

Libro de alimento


ne,

A ne, sedde reliquis duabus profert. Licet enim reuera in omnibus hominibus communem quandam inuenire facultatem, attractricem, retentricem, alteratricem, & expultricem: quin & sensibilem & motricem. Ac omnis sanè homo has habet facultates. neq; has quidem puer habet, minimè vero ætate vigens: vel ætate vigens habet, senex nequaquam. verum omnes æqualiter ipsas habent in æstate, ac omni tempore, in omni regione, & aeris constitutione. quare & actiones ab ijsdem facultatibus prodeuntes habent. Hæcq; omnium hominũ dicuntur esse communia: nimirũ quæ omnibus æquè hominibus insint. Enimuero partium etiam constitutionem omnes similiter ha-
B bent. Nemo est enim, qui non habeat caput, manus & pedes. Neque enim, si quod monstrum genitum sit, ex hoc vniuersalem orationẽ accusare oportet, tanquam non rectè dictam. omnes enim secundum naturam se habentes, manus, & pedes, & vno verbo, totum corpus suis partibus distinctum habent. atque hac in re inter se non differũt. Hæc igitur est communis natura. Est & propria in vnoquoque differentia. Alteratrix enim quæ est in Platone, ab ea quæ est in Dione differt differentia quadam ineffabili, & quæ sub sermonem cadere non potest. Atque iccirco oportet, à proprijs ob difficultatem quæ in ipsis est, recedendo, de communibus sermonem facere: vt in hunc
C modum ab ipsis ad particularia sermonem accommodantes, non omnino aberremus.

2 *Non tamen sicuti communis, ita etiam propria vnius cuiusque scribi potest. sed scripta contrario modo se habent ad actiones, tum sæpe aliàs, tum non minimè in ijs quæ nunc à me scribentur.*

Per ea quæ superius dixit, particularium auxit vtilitatem: per ea, quæ nunc dicit, horum venationem comprehensionemq; orationi
D non posse subijci ostendit. & ait, contrario modo se habere sicuti cõmunia ad particularia, ita scripta ad praxeis, idest actiones. Dũ enim artis opera exercemus atq; tractamus, particularia quærimus. Ingredientes enim ad ęgrotum quempiam, non communem, sed propriam illius naturam curamus. Verum in sermonibus particularia tum dicere, tum interpretari nequimus: sed & ipsa sub communium doctrinam reducimus. Hocque inuenire licet: non in febribus tantum, sed & in alijs etiam affectibus. nam in illis etiam opere quidem particulare curamus: sermone autem, vniuersale docemus.

E 3 *Petijsti enim, vt nos remediorũ quandam tibi vniuersalẽ methodum subfigurraremus. Hæc autem qualitate & quantitate singulorum præsidiorum, & modo eorum vsus, & occasio-*



ne, quæ horum omnium cognitu difficillima est, perficitur. circa A
quam præcipitem admodum existentem, quemadmodũ alicubi & hoc dicit omnium bonorum nobis auctor Hippocrates, sæpenumero vides nõ vulgares solùm medicos, sed optimos etiam falli.

Hoc in loco confirmare magis suam ipsius rationem volens, hoc est particularia oratione nõ posse explicari, & hæc intulit. in quibus ostendit Glauconem petijsse ab ipso. vt curatricem sibi methodum compendiose scriberet. Sed quoniam hæc, ait, progredi non potest B
nisi per quatuor hos canones, quantitatem. qualitatem, vtendi modum, & occasionem: oportet sanè & hos canones rectè assequi. Qualitas igitur ab affectionis specie sumitur. si enim morbus calidus, refrigerare: si frigidus, calefacere: quemadmodum si siccus, humectare: si humidus, siccare eum debemus. Verùm non sufficit hæc tantùm nos scire: sed & quantitatem metiri adhibendorum præsidiorum: id quod nõ amplius à specie, sed à quantitate affectionis, & ab ipsius magnitudine sumitur. Nam si nouerim, verbi gratia, refrigerari oportere, nec sciuerim quantum refrigerari oporteat: falli me circa curationem est necesse. Quippe quotquot quantitatem ignorarunt, vel C
præsidijs imperfectius vsi fuerunt: in contrariam certè intemperiem corpus imprudentes duxere. Oportet etiam vt modum vtendi sciamus: verbi gratia, stomacho patienti quomodo præsidia adhibere oporteat, intrinsecus an extrinsecus. Sæpenumero .n. incurabilis cũ est stomachus, nullũ intus adhibitũ medicamentũ sustinet. In hoc enim nobiscum bene agitur, si extrinsecus curationem adhibeamus. Quin & dysenteria, (quæ est intestinorum vlcus) aliquando per inferiora, nonnunquam per superiora vtendi modum nobis dictat. nã cum vlcus est in tenuibus intestinis, per præsidia, quæ superius ingeruntur, curationem molimur: cum infrà in crassis est, ijs quæ per in- D
feriora inijciuntur, vtimur. nec vulgaris est hic scopus. Sed præ omnibus his difficillima cognitu est occasio, quippe quæ maximè momentanea sit, sicuti diuinus Hippocrates in Aphorismis pronunciauit, inquiens, *Occasio autem præceps.* Nam cum semper fluant nostra corpora, & varijs subinde modis se habeant: præsidia etiam in ipsis diuersa esse, & alia singulis occasionibus necesse est. Nequaquam ergo occasio, quæ maximè præceps sit, comprehendi potest: ne si quis ipsam iuxta sequi ac comitari queat: ita vt appositum præsidium opportunè adhibeatur. Ob idque infortunia speiq; frustrationes nõ E
idiotis tantum, sed optimis etiam medicis euenire conspicimus. Verùm idiotæ ob suam ipsorum imperitiam cadunt: artifices ob rei

incom-

A incomprehensibilitatem. Cum ergo quatuor sint hi scopi: duo tum communes sunt, tum idiotis etiam cognitu faciles, modus vtendi, & qualitas. Quis enim nescit calidum refrigerandum esse, & frigidum calefaciendum. Quin & vtendi modus quamuis difficilius percipiatur quàm qualitas, non omnino tamen captu difficilis est. Reliqui duo tum proprij, tum cognitu difficiles sunt, occasio & quantitas. Nec affectũ vllũ prohibere quis poterit qui his scopis non vsus fuerit. Ad ipsa enim artis opera ipsis necessario egemus. Si igitur necessariũ est per hos scopos fieri curationem, sanatioque siue his perfici nequit, quippe quæ vniuscuiusque propria sit, propria autem scribere B sit difficile: ad communia necessariò conuertimur, hæcque docemus, nihil nobis primario ad curationem conferentia, sed secundaria ratione. Illa enim particularibus adaptantes, raró spe euentuque frustramur.

4 *Quinetiam quod magnum sit quantitatem recta coniectura ad facultatem accommodare, idem vir scripsit. Cum igitur ad recte curandum maximè conferre videatur & occasio & quantitas præsidiorum, hæc autem in singulis ægrotantibus propria inuenias: nihil autem quod sit proprium, ratione explicari C possit: hac ratione quod commune est, scribere cogimur, quamuis id vsu sit secundum. Nam & quosdam ægrotos sæpenumero inuisimus, quibuscum dum sani erant, non eramus versati, quare cum quem colorem, vel habitudinem, vel naturalem calorem, vel arteriarum motum haberent, haud sciuissemus: satis aliquando idonei iudices magnitudinis morborum nõ fuimus. Nam quantum à natura distat vnusquisque morbus, ad tantum etiam peruenit magnitudinis. Quantum autem distat, so D lus ille scire potest, qui id quod secundum naturam est, exquisitè cognoscit. Hoc ergo in ipsis ignorantes: ne omnino hæsitemus, ad id quod commune est, confugimus, quamuis id vsu sit secundum.*

Probe sermoni additum est, bona coniectura id est εὐστόχως. cõiectu ralis enim est ipsa quantitas: nec à quopiam exquisitè ponderari potest. sed vnusquisque, prout est prudens, ita ad id quod exquisitum est, accedit. In hocque excellentes medici cæteris imprudentioribus E præstant. quippe qui ad quantitatem coniectura assequendam præstantiores sint. Vox autem, ad facultatem seu ad vires (græce ἐς δύναμιν,) vel præsidiorum, vel laborantium, vel medentium accipienda

est. Præsidiorum quidem, in hunc modum, quando ægrotanti corpori vel nutrimentum vel medicamentum offerimus: horum non moles, sed vis inuestiganda est. quippe multa inuenire licet, quæ in magna mole paruam vim, vel in parua magnam obtineant. Enimuero serpentium venenum mole minimum, vi maximum existit, Confestim enim ad cor iecur, & cerebrum repit vnaque cum principijs totum corpus corrumpit. Olera multam quidem molem habent, vim verò minimam. exiguum enim admodum corpori nutrimentum præbent. & ob id multi idiotæ admirantur. A

5. *Plus verò & in hoc quidpiam artifex habet quàm iners. Et quid est hoc ipsum plus? Hippocrates quidem & hoc primus omnium, quos scimus, scripsit. Plenius autem id explicarunt ex posterioribus, quicunque illius scripta intellexerunt: quorum vnus fuit Mnesitheus Atheniensis, vir tū in reliquis omnibus, quæ ad artem spectant, abunde doctus: tum quantum methodo artem medicam exercere oporteat, nulli peritia secundus. Hic Mnesitheus à primis & supremis generibus auspicatus, diuidi ea oportere censuit per species, genera, & differentias: & rursus diuisa eodem modo diuidi: & illa rursus eodem modo: quousque ad talem quandam speciem perueniamus, pòst quàm diuidendo, in vnum numero & indiuiduum desinamus. Mihi verò satis est breuibus tibi meam explicasse sententiam. nā ridiculus essem, si te tua docerem, tanquam iampridem ea à Platone non didiceris, neque enim vt te aliquo pacto quicquam de hac methodo, quæ circa diuisionem versatur, docerem, mentionem feci: sed quia mihi ad sequentem deinceps sermonem omnem, vtilem eam fore existimo. causamq́ ob quam subinde plurimos medicos errare vides, cum tu discere cuperes. eam tibi aliter indicare non licebat. Nam quæ in alijs sectis contingunt errata, & quæ multi medici in ægrotantibus delinquunt: primam ac maximam causam habent, diuisionis prauitatem. Quidam nanque in primis & supremis generibus persistunt, solis indicationibus, quæ ab ijs sumuntur, contenti. Quidam vsque ad aliquid quidem diuiserunt, ad finem tamen vsque non peruenerunt. Multi etiam vitiosis diuisionibus sunt vsi.* B D

Inertes, hoc est ἀτέχνους dicit, eos qui artē sine ratione aggrediuntur, quemadmodum & Plato ostendit, inquiens, *Artem haud voco rem, quæ* E

A *quæ sine ratione est: Artifices verò, eos, qui Hippocraticis methodis aduersus morbos pugnant.* Igitur artifices plus habent, quàm inertes ex hac dignotione: Veluti & Hippocrates in Prognostico ostendit, inquiens, *Prænoscens enim & prædicens apud ægrotantes præsentia, præterita, & futura, credetur vtique ægrotantium res cognoscere.* Ex his autem eo in loco ostēdit etiam curationem optimè ipsi esse progressuram. Sed vnde dignoti o ipsi erit? An certè quia ἐυμεθόδως id est, recta methodo arte vtatur. ἐυμεθόδως autem nihil aliud est, quàm per diuisionem rectā: ita vt genera sumendo, & per proprias differentias in species diuidendo, demum in aliquod indiuiduum incidat, quod non amplius
B diuisionem suscipiat. Hoc ergo Mnesitheus fecit, philosophiam aliasque disciplinas exquisitè callens, atque in medica arte primas partes ferens. Hic primus post Hippocratem aggressus est methodo medicam artem constituere, hac vsus diuisione. Si lubet, eius diuisionem in medium afferamus. Dicebat ergo Mnesitheus, Medicum vel sanis sanitatem custodire: vel ægrotantibus ægritudines morbosue curare. at sanè sanitatem similibus custodire: morbum contrarijs tollere. perpetuóque causas morborum excindere. caussas autem vel quantitate, vel qualitate infestare. quantitatem vel in spiritibus vel in humoribus considerari. ac rursus qualitatem vel
C vel mordacem esse, vel salsuginosam, vel acidam, vel acrem, vel cadam, vel frigidam. Sed & horum singula ab alijs rursus causis fieri. etenim succos eiuscemodi genitos esse vel à natura statim in prima animalis cōformatione, vel ab adscititia quadam temperatura posterius ob errores facta. * *

Nam & anni tempus succorum ideas commutare: quem enim esse, qui nesciat æstatis tempore bilem procreari, hyeme pituitam, ac sanè sanguinem à vere, sicuti melancholicum succum ab autumno? Quin & regionem eadem posse quæ & anni tempus, & ætas, & diætę formam alio vel alio modo institutam. Quin & labores succos muta-
D re. hos autem vel circa animā, vel circa corpus consistere. ** ipsius vero animæ, qui immoderatis lasciuijs vtuntur. nam nimium etiam venereorum vsum subiectū animæ spiritum digerendo dissipandoúe, laborem animalem vtique dici. Quin & curas cogitationesúe: tristitias item, memoratas succorū qualitates facere. Hic ergo Mnesitheus ita diuidens, in ea incidebat, post quæ deinceps progredi nō licet. Sed quoniam Galenus cum Glaucone philosopho disputat, generis meminit, & differentiarum, & specierum, & indiuiduorum: in quibus ipse fuerat conformatus, ac ab incunabilis, vt ita dicam, educatus, à Platone ipsa discens. ob id ait, mentionem horum feci,
E non vt te tua docerem: hoc enim ridiculum esset: sed quia ad docendorum pollicitationem eiuscemodi diuisiua methodus vtilis est: ac etiam quia ob errata, quæ circa ipsam contingunt, medicorum in-

fortunia speique frustrationes accidunt. cuius rei tu causam disce- A re cupiebas. Nunc ergo, inquit, audi: Controuersia quæ in sectis contingit, ac multorum medicorum infortunium speique frustratio, ex diuisionis prauitate oritur. Fit autem tribus modis. Nam quidam primis generibus sunt contenti, nec amplius ipsa in alias particulares species diuidunt: sicuti sanè etiam Methodici fecerunt: qui strictum duntaxat, & fluxile, & complicatum iudicarunt sciri oportere: nec vlterius hæc diuiserunt. Quidam autem genera quidem diuiserunt, imperfecte tamen nec vsq; ad indiuidua diuisio ipsis peruenit: quemadmodum etiam Erasistratus fecisse videtur. Alij etiam prauè diuiserunt, qui essentialibus differentijs accidentales opposuerunt: B sicuti sanè Archigenes fecit. hic enim dicebat, febrium has quidem vehementes esse, has verò diuturnas. At porrò vehementia quidem essentiæ febrium propria est: nam caliditatis est characteristica ac obsignatrix, quæ caliditas ipsius febris essentia est: diuturnitas autẽ accidens est: accidit enim febribus, vt vel in longum vel in breue tempus extendantur. dicebat igitur, febrium has quidem esse vehementes, has verò diuturnas: quando vehementi imbecillum, diuturno breue opponere oportuisset. Hoc ergo modo in diuisionibus errantes, sectarum etiam controuersiam constituerunt.

6 *Quicunque autem omnia & quæ secundum naturam, &* C *quæ præter naturam sunt, ad eiuscemodi methodum reducens, ex omnibus ijs quæ per diuisionem sunt inuenta, integram sumit indicationem: hic solus, quantum per humanas vires licet, medendo non errabit, atq; notos quidem melius quam alios: ignotos autem quàm fieri poterit proxime notis curabit. Si quis enim distinxerit primum quidem ætatem, postea temperaturarum ac facultatum differentias, cæteraq; omnia: quæ hominibus insunt, calores dico, habitudines, pulsuum motio-* D *nes, assuetudines, vitæ studia, & animi mores: hisq; differentiam, quæ est inter marem & fœminam, addiderit, ac quæcunque ad regiones, & anni tempora, aliasq; ambientis nos aeris constitutiones spectant, conuenienter distinxerit: hic ad propriã laborantis naturam dignoscendam prope accedet. Verùm ex his omnibus quædam in libris, De pulsibus, quædam in libris De temperamentis sunt determinata. Sicuti etiam eorum omniũ quæ præter naturam sunt, quotquot sunt per genera & species* E *differentiæ, vniuersas in libro De affectibus definiuimus. Nũc*

verò

A *verò tota nostra oratio de ijs erit ægrotis, quorum naturam, antequàm in morbum inciderent, sciueramus: cum ipsis tamē reliqui etiam omnes intelligentur, qui nobis erant ignoti. Neq; enim difficile fuerit ab eo, quod perfectè est distinctum, id etiā, quod tale non sit, inuenire.*

Nos ergo Mnesithei diuisionem tradidimus: ac quomodo diuisionis prauitas errorum sit causa, demonstrauimus. Age iam auctoris etiam diuisionem tradamus, per quam omnia tum quæ secundum
B naturam, tum quæ præter naturam sunt, sciri oportere, atq; ab vnoquoque indicationem quandam desumi censet. Quæ igitur sunt secundum naturam, vel elementa sunt, vel temperaturæ, vel succi, vel particulæ vel facultates, vel actiones, vel ætates. quin & anni tempora, & regiones, & recentiores constitutiones. Horum autem singula subdiuiduntur. Nam elementorum aliud est calidum, aliud frigidū, aliud siccum, aliud humidum. Ac temperaturarum nouem sunt differentiæ, quatuor simplices, & quatuor compositæ, ac præter has temperata. Succorum etiam alius sanguineus, alius pituitosus,
C alius biliosus, alius melancholicus est. Particularum etiam aliæ imperant, aliæ imperantibus subseruiunt: aliæ connatas solùm habent facultates, aliæ connatas simul & influxas, & aliæ quidem similares, aliæ instrumentales: ac similarium aliæ actionem obeunt, aliæ vsum præstant: ac rursus instrumentalium aliæ actionem obeunt, aliæ vsum præstant.

Ac facultatum aliæ sunt naturales, aliæ animales. & animalium aliæ sensibiles, aliæ motiuæ aliæ rectrices. atq; sensibiliū, alia visoria, alia auditoria, alia olfactoria, alia gustatoria, alia tactoria. Motiuę vnà cū partibus motis diuiduntur: tot. n. sūt specie motiuæ facultates,
D quot & partes motæ, Rectricum alia imaginatrix, alia cogitatrix, alia memoratrix existit. atque hæc est facultatum animalium diuisio. Naturalium autem alia est vitalis, quæ à corde prouenit, atque per arterias in vniuersum corpus dispensatur: aliæ autem re vera sunt naturales. & harum aliæ sunt primæ, aliæ secundæ. ac Primarum alia est formatrix, alia generatrix, alia auctrix. Secundarum, quæ sanè primis subseruiunt, alia attractrix, alia retentrix, alia alteratrix, alia expultrix est. Actionum porrò subdiuisio eadem est cum facultatum subdiuisione. quot enim facultates, tot etiam actiones existunt Aetatū etiam alia puerilis, alia vigens, alia decrescens, alia senilis.

E Temporum anni aliud vernale, aliud æstiuum, aliud autumnale, aliud hyemale. Regionū quoque alia calidior, vel frigidior, vel siccior, vel humidior est: alia calidior & siccior, vel calidior & humidior,

vel frigidior & siccior, vel frigidior & humidior: alia temperata. Cōstitutionum itē eodem modo. constitutiones autē (græcè κατασκευὰς) A dicimus particulares aeris mutationes: quæ sanè cum anni tempore non necessariò consentiunt: quoniam sæpe numero inuenire licet in æstate constitutionem hybernam, & in hyeme ęstiuam: atque in alijs eodem modo. Hæc porrò est rerum, quæ secundum naturam sunt, diuisio.

Iam ad alteram veniamus sectionem, rerum scilicet quę pręter naturam sunt. Hæ genere sunt triplices. aliæ faciunt: aliæ fiunt, aliæ sequuntur. faciunt causæ, fiunt morbi, sequuntur symptomata. Causarum aliæ procatarcticæ idest primitiuæ, aliæ proegumenæ, idest antecedentes: aliæ synecticę, idest coniunctiuæ. B Morborum alij sunt similares, alij instrumentales, alij communes. Similarium alij simplices, alij compositi: & alij quidem secundum nudam qualitatem, alij cum materia influxa. Et instrumentalium, alij in formatione, alij in numero, alij in magnitudine, alij in compositione. Et qui in formatione sunt, alij in figura, alij in meatu alij in cauitate, alij in asperitate, alij in leuitate. Et qui in numero sunt, in ijs alia deficiunt, alia abundant. & deficientium, alia tota deficiunt: alia, partes. & abundantium, alia ex genere sunt eorum, quæ sunt secundum naturam: alia ex genere eorum, quæ sunt præter naturam. Et qui sunt in magnitudine, in ijs alia deficiūt alia excedūt. C Et eorū qui spectantur in positura, alij fiunt ex naturali partiū positione permutata: alij cōmunione, quæ inter ipsas est mutua, læsa. Hæc est morborum diuisio. Symptomatum autem, alia in læsionibus actionum considerantur, vt apepsia, idest inconcoctio, allucinatio, & singulæ aliæ læsiones: alia in corporum affectione, veluti cū malus color hominem deprehenderit, quemadmodum in ictèris, vel quæcunque alia affectio: alia in ijs quę excernuntur, vel cohibentur. vt in alui profluuijs & suppresśione, in vrinæ retentione & in Diabete vocato. Actionum læsio, alia est absoluta, alia debilis, alia deprauata. Atque hic scriptoris diuisio terminatur, D quæ incipit quidem à generalisśimis, procedit verò vsque ad indiuidua per medias subalternas species: quæ genera quidem sunt inferiorum, species vero superiorum: & ob id subalternorum appellationem sortitæ sunt.

7. *Incipiamus igitur à febribus: quandoquidem & tu earum præcipue curandarum methodum tibi tradi cupiebas: primūq́ue de simplicisśimis, quas Hippocrates Ephemeras, idest diarias vocat, dicamus. Tales sūt quæ ob lasśitudines fiunt, & ebrietates, E & iras, & iracundias, & tristitias, aliasq́ue animi curas vehementes. Et quæ ex bubonibus ortum habent, ex hoc genere*

sunt

A *sunt: præter quam si absque vlcere fiant manifesto. tunc enim suspectæ sunt, nec vllo modo mites. Sed & vigilia plerunque simplicem febrem intulit, sicuti sanè & refrigeratio, & exustio. Hæ omnes febres facillimè solui possunt, hoc sanè modo. Oportet siquidem eos confestim ducere ad lauacra, atque ad aliam consuetam victus rationem. Quandoquidem qui celebratam illã diatriton (idest triduanam inediam) in omnibus hisce admittunt, acriores sæpius eiuscemodi febres reddiderunt: quamuis*
B *& aliter præterea delinquant. quemadmodum certe vides multos in quolibet ingressu delinquere, ita vt manufactum re vera faciant morbum.*

Hoc in loco consequenter incipit exequi id quod Glauco petijt: ac primo loco methodum tradit curandi febres diarias. Diarias autẽ vocant febres, quæ ex spiritu incalescente fiunt: quæ sanè simplicissimæ atque benignissimæ sunt, atque ad sui ipsarum generationem vnius diei tempus satis habent. Fiunt autem hæ febres, vel à corporeis vel ab animalibus motionibus, corporeis quidem, ex lassitudinibus, stipationibus, & ebrietatibus: animalibus verò, ex curis, tri-
C stitijs, iracundijs, & reliquis id genus, ex his enim omnibus cum cõteratur spiritus, *acriorque seipso reddatur: impertitur cordi caliditatem, atque eiuscemodi febrem accendit. Sunt ergo omnes hæ febres, vt diximus benignæ: quemadmodum sanè & quæ ex bubonibus excitantur. In his tamen sermo distinctione limitationeque indiget. Nam febrium, quæ ex bubonibus excitantur, hæ quidem sunt diariæ: fiuntque euidenti quapiam causa in corpore prægressa, veluti si impegerit quis, vel alioqui vlcus habeat. Quoniam enim quæ do-
D lent, fluxu semper tentantur, materiæ ad membrum vlceratum ferri student: postea in itinere imbecilliori particulæ occurrentes, in illam decumbunt, illamque molestant, atque in tumorem attollunt. Vocatur autem eiuscemodi res, Bubo. Sæpenumero autem cũ copia sit in corpore, periculumque immineat, ne ab ipsa vires suffocentur: natura veluti repugnat, ac recalcitrat, ipsam deponere volens. Quoniã igitur haud potest per sensibiles excretiones eius vacuationem moliri, ipsam transmittit ad imbecilliores partes, Adenas, seu Glandulas, dico. Sicuti enim hostes ciuitatem obsidentes, quàm varij milites custodiant, à potentioribus propelluntur, irruunt autem in im-
E becilliores, à quibus haud amplius propelli possunt: Sic & succi, dũ à valida facultate propelluntur, ad imbecilliores particulas accedũt, Glandulas dico: quæ sanè non imbecillitatis tantum ratione ad ma-

terias suscipiendas promptè se habent, verũ & ob propriam ipsorũ A raritatem. nam cùm laxæ sint, meatusque apertos habeant: facilè in seipsas copiam admittunt. Hæ ergo febres quæ ob copiá eueniunt, benignę nó sũt: sed ex genere earũ quæ ex putredine succorũ fiũt, existẽtes, periculũ inferunt non vulgare. Atq; mentẽ diligenter adhibere oportet, ne imprudentes ijs qui ex putredine febricitant, sine custodia victum instituamus, putantes eos febrem habere diariam: cùm eiusmodi error oriatur ob communitatem, quam bubo tam ad eas, quæ ex putredine oriuntur febres, quàm ad diarias, vt diximus, gignendas habet. Diarias igitur curare, haud est difficile: immo admodum facile. Nam statim post accessionis declinationẽ, lauacris ipsos B vti iubemus: atque ad consuetam victus rationem reducimus. Methodici verò non ita sanè, sed cùm eos assumunt, iubent ad tres dies cibum non capere: quòd accessionem, quæ per triduum fit, obseruandam esse censeant. Arbitrantur enim cunctos ferè morbos per triduum accedere. Hi ergo, eiuscemodi laborantes maximè lædunt: quippe qui eorum febres acriores reddant: atque ad febris acrimoniam, intemperiem, quæ ab inedia prouenit, addant. Non solùm autem in hoc errant: sed vt aliquid facere, nec frustra ad laborantem accedere videantur, perfusionibus vtuntur importunis, & irrigationibus, & cataplasmatibus: à quibus non solùm nihil iuuatur laborás, quinimmo lęditur, atque ob id ait Galenus ab ipsis manufactum fieri morbum. C

I Quæ igitur ad curationem harum febrium pertinent, in promptu sunt: quæ verò ad dignotionem, diligentiam maiorem requirunt: nec vllus ante nos quantum res exigebat, ea scripsit. Vnde nihil mirum est, multos in curationibus tantum delinquere, quantum etiã in dignotionibus falluntur. Sæpenumero enim quidã casu aliquo in graues morbos ab initio inciderũt: sicuti vino repleti, vel exusti, vel refrigerati, vel lassitudine D fatigati, vel vigilias perpessi, vel irati, vel quomodocunque aliter à causa, quæ ex seipsa lædere possit, correpti: deinde totum id ob antegressam causam non ob aliam quandam affectionem euenisse arbitrati: negligentius instituta sibijpsis victus ratione, latenter incurabilem, aut ægre admodum curabilem morbum seipsos proiecere. Ob hæc igitur ante omnia prouidere oportet, sicuti etiam Hippocrates adhortatur, vt non futura so- E lum, sed & præterita & præsentia prænoscamus. Nam & quod nunc proponitur, ad eam artis partem attinet, nosq; quàm ma-

nis[illegible]

A *nifestè poterimus,id scribemus. Neque enim parua est differentia,si laborantem laueris,ac confidere iusseris: an per omnem custodiã securitatẽq; traduxeris. Ingressos igitur ad ægrotantẽ,primum quidem à maximis ea quæ circa ipsum sunt, considerare oportet:postea ab alijs,nihil etiam quod minimum sit,pro viribus omittentes. Nam quod magis,vel minus indicationi à maximis sumpta,credamus,id ex aliorum additione fit. Maxima igitur febrientibus omnibus,tum in pulsibus,tum in vrinis* B *indicia sunt. Addere etiam ipsis oportet vniuersa alia circa faciem & dicubitus & respirationem ab Hippocrate dicta, & quæcunq;,vel per superiora vel per inferiora euacuantur. & sanè si quod etiam symptoma circa quamlibet particulam corporis,vel ipsius actionem consistere videas.qualia certè mille in millibus ille scripsit,nullum ex ijs negligenter prætereas. Hæc quidem in omnibus febribus sunt communia. Quare in simplicissimis quoque, de quibus præsens est sermo,nihil horum omittere oportet. Sed quoniam quæ à pulsibus & ab vrinis sumuntur,* C *febris formam indicant: Pulsibus quidem nec phlegmones signum habentibus,nec penitus inæqualitatem in vna arteriæ applicatione,vel si habeant,eam omnino obscuram: Vrinis verò vel omnino ijs, quæ secundum naturam sunt,similibus:vel non multum à natura distantibus : Tunc accedere oportet ad vniuersa alia superius dicta. Ac cum, veluti chorus, consonanter omnia loquantur,fidere iam oportet:&,si velis,interrogare,num aliqua manifesta causa præcesserit. Nam* D *si & hoc fassus fuerit ægrotans:prima febris solutione expectata,lauare statim oportet:cùm fidelior tibi dignotio fiat ex ipsa solutionis forma. Nam & arteriarum motio ei quæ in sanis est,ex toto assimilatur,quippe cùm nulla alia febris ad id quod secũdum naturam est,redeat: ne si tempus illud inter priorem extremitatem & secundum principium, interiacens, quammultum fuerit, quemadmodum in tertianis & quartanis. In illis enim febris signum semper permanet: In diarijs autem to-* E *tũ deletur accessione cessante, Plurimis autem ipsarum etiam madores,quibusdam verò etiam sudores vtiles post apparent:*

ut omnino sanè veluti vapor quidam copiosus ex profundo A
attollitur. Sed & vrinæ multo meliores nunc quàm in febris initio tibi apparent. Et si capitis vel alterius cuiusdam partis dolor simul inuaserit, nec is ipse amplius perdurat. Et laborantis facilis tolerantia, cum maximum & ipsa sit indicium, ac veluti sigillum quoddam vltra omnia alia, febris mansuetudinem tibi indicabit. Et si, dum lauantur, nec horror quidam insolitus molestauerit, nec alia quæpiam insuauitas: Et si post lauacrum deinceps in facili tolerantia perstiterint: confidenter B
iam ipsos nutries: ac vinum intrepidè bibendũ præbebis, quantum præsentibus est conueniens.

Dignotio via est ad curationem, & sine hac modus curationis rectè cõfici nunquam potest. Necessarium igitur est, vt qui diariam febrem curaturus est, eius prius dignotionem possideat. Promptum ergo est dicere, diarias febres à procatarctica causa fieri: quæ verò ex putredine ortum habent, non item. & hac re has ab illis distinguere oportet. Sed quoniam sæpenumero euenit, vt febris, quæ ex putredine ortum habet, cum aliqua procatarctica causa inuadat: vt ex hoc sæpe decepti inexercitati medici suspicentur eam febrem esse diariam: hincque negligentius victum instituentes, magnopere peccent. C
periculumque non vulgare laboranti comparent: ob id melius est vniuersam exquisitè diariarum febriũ naturam per vocata signa tum præsentia tum præterita apponere. Horum autem signorum alia sunt maxima ac principalissima: alia secundam habent naturam. Ac maximis quidẽ maximè credere oportet: iam verò minimorum etiam suffragium est addendum. Nam hæc addita, maiora cõfirmant, atque stabiliunt. Maxima autem sunt signa, quæcunque à principijs sumuntur. Principia autem tria sunt, vt sæpius didicimus, cerebrum, cor, & iecur. Cerebrum sanè haud multum nobis ad febris D
dignotionem confert: sed cor & iecur. atque hæc meritò. Nam febris proprius est affectus cordis: huius autem affectio per pulsus ostenditur. Quin & caliditas est succorum in venis & iecore existentium: qui certè per vrinas ostenduntur. Igitur signa maxima in febribus, vrinæ sunt & pulsus. Reliqua verò sunt accubitus, & eius differentiæ: & quęcunque circa faciem apparent, in prognostico iam ab Hippocrate decantata: respiratio, & ipsius rhythmus: & si qua actio in aliqua particula oblæsa sit: & quæ vacuantur, vel retinentur: & si qua particula tumorem habeat, vel aliquem dolorem: Hæc in- E
quam omnia addere oportet dignotioni, quæ à maximis sumitur. Itaque vrinæ in diaria febre habere debent subsidentiam, hoc est hypostasim

A postasim albam, lenem, & æqualem, ac sanorum subsidentiæ similem. Parum tamen duntaxat in colore & consistentia à naturali statu digressæ sint, ob febris nimirum caliditatẽ acriores quoquo modo redditę: & nullũ putredinis, signũ habentes: est autẽ, id subsidentię inæqualitas. Tales ergo sint vrinæ. Sed & pulsus magnus permanet, & celerior, & frequentior ob caliditatem. æqualis etiam sanè est, ac nullam indicat inæqualitatem, nec contractionem accelerat: id quod febrium ex putredine ortarum proprium est: cùm facultas insistat ac conetur per contractionem putredinosa, fuliginosaque excrementa expellere. quod si inęqualitatem habeat pulsus, mediocris

B ipsa est. fit. n. aliquãdo hęc ipsa inęqualitas ob febres diarias, quę ex stipatione gignũtur: in his. n. cùm clausi sint meatus, nec amplius quę digeri solita sunt, euacuentur, facultas ab ijs grauata, aliquam in pulsu facit inęqualitatem. Hæc ergo sunt maxima. Si verò omnia memorata cum his conueniant: tunc dignotionem confirmare, stabilireque oportet. quandoquidem ipsa magis scientifica erit. Si etiam laborans febrem sibi ab aliqua procatarctica causa, vel aliqua ex ijs quæ circa ipsum sunt, euenisse dicat: tunc sanè statim post accessionis solutionẽ ad lauacrum abducendus est. Non tamen in ipsa morbi solutione dignotio negligenda est. sed certè tum in lauacro, tum

C post lauacrum signa aduertenda sunt: in lauacro quidem, si nullus ipsis fiat horror: nã hic in febribus ex putredine ortis, fieri naturâ solet, cùm à lauacri tepore putredinosa excrementa fundãtur, ac ad particulas sensibiles ferantur, easque mordicent, hacque de causa horrorem faciant, Sed & post lauacrum digitos ipsi arteriæ inijcere oportet: & interrogare, num aliquam præter naturam affectionem corpus habeat. Nã si re vera febris ipsa sit ex natura diariarum: nullum modum præter naturam pulsus indicabit: sed in omnibus sanorum rhythmum seruabit, non vt in tertianis, & quartanis, & reliquis omnibus ex putredine ortis. in illis enim, nec in interuallo eti-

D am. inuenire licet pulsum, qui pulsui secundum naturam existenti, ex toto similis sit: sed is omnino putredinis signum habere conspicitur. In diarijs sanè vnà cum accessionis solutione morbificæ etiam causæ cessant, nec reliquiæ amplius affectionis illius, quę febrẽ peperit, remanent. Quin & quibusdam ipsarum madores (quos Græcè νοτίδας appellant) laudabiles apparent, quibusdam verò sudores. Quęsituq; dignũ est, cũ febris in spiritib. sit, vnde sudor excernatur. & dicimus, spiritum qui iá calefactus est, dum excernitur, succũ aliquem circa superficiem inueniendo eum, attenuare, atque in sudores resoluere, secumque etiam excernere. *Nonnulli verò dicere conati*

E sunt, spiritum festinare, vt digeratur: deinde densiori superficiei occurrendo, sisti: atque in aquæ naturam reuerti: hincque sudorem excerni. Hoc autem est absurdum. primum quidem, quoniam non

ſpiritus ſed vapor eiuſcemodi ſymptoma ſuſtinere poteſt. Pręterea, A licet etiã demus ſpiritũ poſſe in aquã conuerti: ipſe tamẽ in cõuerſus fuerit, non amplius excerni poterit. Nam ſi meatus ita denſati ſunt, vt etiam ſpiritui non ſint peruij, multo magis non permittent humorem exire. Craſsior enim ſpiritu eſt humor. Quare hæc explanatio, aut eſt recipienda: ſed quæ à nobis dicta eſt. Differt autem quantitate mador à ſudore. Sudor enim, eſt copioſus: madores autem pauci. Omnia igitur hęc ſigna animaduertere oportet poſt balneum. Quin & vrinas rurſus inſpicere oportet, atque attendere, ſi multo meliores nũc euaſerint. Omnino verò ſanè ſi quod ſymptoma in febre acciderat, id & nunc ſoluetur. & quod vltra prædicta colophonem, B ac veſtigium imponit, eſt ipſa facilis tolerantia laborantis. hæc enĩ præcipue diariæ febris dignotionem confirmat ſtabilitque. Nam in ijs febribus quæ ex putredine oriuntur, aliqua omnino anxietas oritur, & difficilis tolerantia: putredinoſis quibuſdam ſeminibus ad os ventriculi tendentibus, & tale ſymptoma facientibus. Si ergo hæc à nobis memorata, conſona ſint, ac idem inter ſe inuicem loquantur, naturam febris diariæ indicantia: oportet confidenter lauare, & conſueta victus ratione nutrire. Dare autem debemus & ipſis vinum: eius menſuram, tum ad laborantis conſuetudinem, tum ad præſentem neceſsitatem, metientes. hoc enim eſt quod ipſe ait, *quantum præſentibus eſt conueniens.* C

* alias interrogare

9 Nos verò (vt noſti) ipſis dicere ſolemus, antegreſſam cauſã à laborante dici non ſuſtinentes. quod maximum eſt indicium eum non errare, qui talem quampiam ſit adeptus facultatem. Si ergo manentibus adhuc animi affectibus conſideratio fiat, ex pulſibus, præcipuè tentanda eſt, vt in libris. De pulſibus ſcriptũ eſt. Poſt hos autem & ab alijs dignotio eſt petenda. Si verò illi quidem ceſſauerint, affectio autem remaneat: obſcurum profectò ex pulſibus inuenies indicium affectuum qui febrem fecerint, ſed & ſine pulſibus reliqua tibi ſufficient.* D

Ex cauſis morbificis (vt in pręcedentib. diximus) alię ſunt procatarcticæ. aliæ antecedentes, aliæ coniunctiuæ. Antecedentes, igitur, atque coniunctiuas oportet vt medicus ſciens prænunciet: Procatarcticas verò à laborantibus interroget. Nunc autem ipſarum quoque (quantum fieri poteſt) tradere nobis vult dignotionem Galenus, vt nimirum ipſas prænũciando glorioſi euadamus: nec ab ægrotis decepti, in curatione fruſtremur. Enimuero procatarcticarum cauſarum aliæ ſũt animales, aliæ corporeæ. Animalium itaque E prius dignotionem tradamus. Sunt autem hæ, iracundia, triſtitia,

cogitationes

A cogitationes, vigiliæ. Illud verò prius dicere oportet, ab ijs causis aliquando hominem, etiam dum morbo laborat, adhuc detineri. etenim sæpenumero multi febricitantes adhuc sunt irati, vel tristantur, vel cogitant vel vigilant. vel igitur hæ ipsæ causæ adhuc agunt: vel abierunt quidem, affectio autem quæ ab ipsis prouenit, in corpore remanet. Si igitur causis adhuc remanentibus, cõsiderationem facimus: haud difficile erit ipsas dignoscere, pulsus tangendo. hi enim nobis, ea quæ cordi accidunt, produnt. Vniuscuiusque autem horum differentiam in libris De pulsibus didicimus. In illis enim dictũ est, quis sit iratorum pulsus, quis tristantium, quis cogitantium, & B quis vigilantium. Non tamen satis est pulsibus solum vti: sed & alia etiam signa adhibenda sunt, quæcunq; Hippocrates in prognostico, à calore, ab accubitu, à respiratione, & eius speciebus enumerauit. Si verò causæ quidem cessauerint, aliquid autem omnino ab ipsis in corpore relinquatur: ex pulsibus quidem mediocriter id dignoscetur. quòd si ipsi nobis non suffecerint, dignotio à reliquis petenda erit.

10 *Communiter enim omnibus vrinæ sunt rufæ.*

In tractatione de Crisibus disputatio de coloribus definita est: atque exquisitè in illa dictũ fuit, quid sit rufus color, quid ruber, quid C flauus, & quid pallidus: & quid singuli ipsorũ remissi ex additione, Sub, præpositionis indicati, subrufus, subflauus, subpallidus, & subruber. Hoc sanè in loco cùm sermo ad tyrones scriptus fuerit: prædictos hos omnes colores crassiori modo πυῤῥοὺς id est rufos appellat: dicitque vrinas communiter omnibus esse rufas, non ijs qui febre diaria simpliciter febricitant, sed quicunque, vel ex iracundia, vel ex memoratis affectibus febricitant: quandoquidem paulo pòst discemus, ijs qui ex densitate, & ijs qui ex bubonibus febricitant, non rufiores esse vrinas, immo potius albidiores.

11 *Adest verò ijs qui ex tristitia febricitant, acrimonia ma-* D *gis quàm copia caloris: sicuti contrà, ijs qui ex iracundia. Sed & corporis gracilitas manifestior est ijs quos tristitia, quàm ijs quos cogitatio vexauit, oculorumque cauitas, ac insita quædam decoloratio.*

Distinguit hoc in loco tristitiam ab iracundia. quod autem vult ipse dicere, nihil aliud est, quam quod in vtrisque quidem & caliditas & siccitas inest: sed in tristantibus siccitas quidem maior, caliditas vero minor: in irascentibus contrà, caliditas maior, siccitas mi- E nor. Igitur vrinæ in tristantibus apparent acriores quidem ob siccitatem, calidiores autem ob caliditatem: in irascentibus verò non

ita inueniuntur. sed calidæ quidem sunt, non tamen acres, id est nõ siccæ. Aliqui etiam aliter exposuerunt, dicentes, in tristantibus vrinas quæ excernuntur, laborantis sensum molestare, ac mordicare magis, minus autem calefacere, calefacere tamen. in irascentibus contrà: dum excernuntur, magis quidem calefacere, mordacitatẽ verò & acrimoniam non habere. Hæcque explanatio est vera. Quare ambæ recipi debent. Sed quoniam multam in his signis communitatem inuenit iracundiæ, & tristitiæ: adhuc etiam ab alijs manifestioribus signis, eorum nobis tradit differentiam. Nam in tristantibus gracilitatem ait fieri totius corporis, ac præcipuè oculorum. Cum enim in ipsis multus contineatur spiritus, qui dudum ipsos in tumorem eleuabat: hic cùm à tristitia sit digestus, concidere ipsos facit. In irascentibus autẽ non est hoc inuenire: quin potius ipsũ corpus tumidius apparet, natura foras se vertente cum aliqua vehementia, hancque porrò insequuntur & spiritus & sanguis. At sanè in tristantibus pallidius (& vt simpliciter dicam) decoloratum corpus inuenitur. Nam cùm caliditas innata in profundum secedat, & quæ in superficie sunt relinquat: necessariò ob sanguinis absentiam decoloratio oritur: quod in irascentibus non adest, ob iam dictá causam. A B

Hæc quidem sunt & alijs qui quouis modo cogitauerunt, communia. Maximè verò & ex oculis distinguere oportet. Nam & ex his in sanis animi mores conijcere possumus, at in ægrotantibus certiora tibi erunt signa, si accuratẽ conspicere queas. Sic igitur eos qui ob disciplinas & speculationem quandam cogitauerunt, à tristatis distinguere conuenit. C

Tristitiam sanè iá ab iracundia distinxit præd: cto discrimine, ex vrinis, ex gracilitate, ex oculorum cauitate, & ex decoloratione. Hęc autẽ in ijs etiam qui cogitarunt, eueniunt. Qua igitur re ipsos distinguemus? Ipse sanè hoc tacuit, illud duntaxat dicens. ex oculis distinguere ipsos oportere: quomodo aũt distinguere oporteat nõ addẽs. Nos autem hoc addamus: nempe in tristantibus oculos veluti quiescere, ac sese haud mouere: in ijs autem qui cogitarunt, & moueri, & circumferri. Nunciant enim nobis oculi ipsos animi affectus: cùm sint fenestræ cerebri, in quo anima habitat. Ac turpe est physiognomonas quidem in sanis ex oculorum affectione, quales sint animi mores, pernoscere: nos verò in ægrotantibus non prænunciare: cũ euidentissimæ, ac vehementer conspicuę sint eorum versiones, quippe qui affectionibus animi inuicem respondeant. Illud autem, qui quouis modo cogitarunt, addidit: quandoquidem diuersæ sunt cogitationum causæ. Hic enim ob pecunias cogitationibus vexatur: alter ob filios: alius ob præstantiorum speculationem, & simpliciter, D E

A ter, vt generalius ipsa distinguamus, sic dicamus. Cogitatio vel ob
præstantiora fit, vel ob deteriora, & vt simpliciter dicam, praua. Ac
sciendum est, deteriorum rerum cogitationem cum corpore vnà
etiam animam deijcere: Præstantiorum verò cogitationem corpus
quidem deijcere, at animam & recreare & augere, robustioremque
(vt ita dicam) ipsam se ipsa efficere. Hoc igitur modo cogitantes à
tristantibus distinguere oportet.

13 *At eos qui ex vigilijs febricitant, distinguit decoloratio*
nis forma, subtumida enim est ipsis facies: & oculorum mo-*
B *tus ligati,* vix enim palpebras attollunt: & humiditas* b: *sic*
ci enim fiunt ijs qui tristati fuere, vel cogitauerunt. Cauitas
autem commune est omnium symptoma tristitiæ, vigiliarum, et
cogitationum: non tamen sanè iracundiæ. In hac enim nec ocu-
lorum cauitas, nec decoloratio sunt manifesta. caliditasq́; tũ
copiosior, tum celeriter ex profundo attollitur: nec pulsuum
magnitudo diminuitur, sicuti in vigilijs & tristitijs & cogi-
tationibus. Quare iracundiam clarè admodum ab his distin-
gues: illa verò inter se, sicut ante dictum est.

* *Explanator videtur legisse corpus*

* *δῦλαι. .i. manifesti, est in omnibus codicibus, quos viderĩ. fortè tamen δειλαὶ idest ignaui, vel ligati, vt etiã Leonicenus olim traduxerat.*

b *Codices manuscripti ita habent: impressi tamẽ addunt, ἐν τοῖς βλεφάροις idest in palpebris.*

C Vigilias ab alijs distingui non est difficile. Habent enim tum quid
commune cum reliquis, decolorationem ipsam: tum diuersum, quia
corpore subtumido existente, vnà quoque eiuscemodi decoloratio
oritur. Hæc aũt ipsa decoloratio oritur, quia haud probè concocti
fuerint cibi. Sæpius enim didicimus, vt in somnis natura in profun-
dũ recedens, ac cibis vacans, melius concoctiones faciat, & nutritio-
nes. Hic igitur vigilias necessariò insequitur inconcoctio: hanc autẽ
nutrimenti cessatio, quam græcè atrophiam vocant: vnde nec flori
dus ille sanguinis color in superficie videtur. Sed & quæ ab incon-
D coctione genita fuere excrementa, dum in spiritum resoluuntur, ha-
bitum occupando: aquosiorem ipsum reddunt. Hi verò palpebras
ægrè mobiles habẽt: propterea quòd ipsæ excrementitia humiditate
sunt repletæ. Diligenterq́; est animaduertendum. hoc enim in loco
dicimus palpebras ęgrè mobiles esse: quandoquidem in tristantibus
non palpebras, sed quæ intus est, pupillam. Sunt igitur in his palpe-
bræ, vt diximus, humidiores: at in antedictis, iracundia scilicet, tri-
stitia cogitationibus. siccæ. Licet certè aliquid commune in vigi-
lantibus, & tristantibus & cogitantibus inuenire, ipsam nimirum
oculorum cauitatem. Verùm in tristantibus & cogitantibus causam
E diximus: In vigilantibus autem est hæc ipsa: quomodo? Nam ob sic-
citatem ex vigilijs ortam absumitur etiã ipsis visorius spiritus. In ira-
scentibus autem hoc dicendum non est: quin contra, plerique pro-

minentiores habent oculos: ficuti etiam totum ipfum corpus vali A dius & calidius. quin & pulfus in his non funt minores, ficuti in antedictis omnibus. in illis enim viriū debilitas, paruitatis caufa eft. in iracundia autem contrarium euenit: viriumque contentio adeft: Quare pulfum etiam magnum fieri eft neceffe, conferente ad ipfius magnitudinem ipfa etiam caliditate. Illud duntaxat dicere oportet, ex irafcentibus quofdam pallidos fieri & tremulos: non quia iracundia talem ipfis inferat affectionem: fed quia quidam metus iracundiæ fit complicatus: qui vires deijciens, decolorationem etiam & tremorem facit. B

14 *Eorū verò qui ex laßitudine febricitant, cutis eft ficcior, quàm in aliqua alia diaria febre. Sed hoc quidē omnib. ex lafsitudine febricitantib. in accefsionis tēpore, quod ad vigorē vfq; protrahitur, ē cōe, ab eo verò tēpore deinceps, plurimis, qui fanè fupra modum non laborarint, humidi quidam vapores, vel, halitus calidus ex profundo attollitur. nonnullis verò etiam in temporibus quæ poft vigorem funt ficcitas permanet. hocque præcipuè euenit ijs, qui fupra modum laborarint, aut refrigerati fuerint, aut exufti vnà cum laßitudine. & quidem pulfus non eodem modo in vtrifque habent. nam in ijs qui fupra modum laborarunt, parui funt: in alijs verò, magni.* C

Completo de animalibus affectibus fermone, traditaque fingulorum proprietate, tranfit confequenter ad corporeos affectus. ac inquit: quomodo febrem ex laffitudine ortam dignofcere oporteat. In his igitur cutis ficcior apparet, ab immodica motione digefto humore. Si igitur laffitudo multa fuerit, vfque ad declinationem talis apparet ficcitas: fi autem moderata fuerit laffitudo, vfque ad vigorem. hinc dum à colore refoluitur humiditas: per fudores excernitur, cutimque humidiorem ac molliorem reddit. Sed & in pulfibus quædam tradi poteft differentia. Nam in immoderatis laffitudinibus cùm vires diffoluátur, paruus fit pulfus: in moderatis autē, magnus: cùm & caliditas adfit, & vires ad hunc pulfum faciendum impotentes non fint. D

* infolita — 15 *Quæ verò ex cutis dēfitate fiunt febres (denfantur autem hæc, vel frigefcens, vel ex qualitate aliqua aftringente * confertim ei occurrente: cuiufmodi illi qui in aluminofa aqua fe lauerat, accidit.)* [Hæ fola omnium febrium ftrictus eft affectus.] Dignofcere autem ipfas licet tactu, ficuti etiam fquali* E

* Non eft in antiquis quibufdā codicibus græcis.

dat

A *das febres,& quæ ex lassitudine proueniunt,& quæ ex exustione. neque enim harum densitas tactum exercitatum latere queat. Sed & caloris motio quodam modo resurgit: mitis quidem prima applicatione apparens: acris autem, si diutius immoreris.*

Fit sanè febris diaria stipata aliquando cute, verùm non in omni temperamento. In quibus enim id, quod difflatur, vaporosum & vtile est: dum hoc cogitur, non febrem, sed plethoram gignit. hoc autem fit in calidioribus, humidioribusque corporibus. In quibus
B autem, quod difflatur, fumosũ est & acre: hoc, cute densata, cùm non amplius digeratur, cogitur ac calefit, ac vnà secum calefacit vniuersam materiam accendi idoneam. Gignit igitur frequentius etiã febres ex putredine ortas: si succi copia in corpore sit, quæ putrescere possit. sin quandoque eas non gignet. tunc certè spiritus incalescens diariam febrem excitat. Sic igitur à densitate febrem fieri ostẽdimus. Densitas verò ipsa à qualitate, vel simplici, vel composita fit: A simplici quidem, vel refrigeratione, vel siccitate. nam in hyeme & frigida constitutione hoc euenire conspicitur. sed & frictio
C sicca & exustio cutim exiccans, densiorem ipsam efficit. Nonnunquam autem non est qualitas simplex, quæ cutim densat, sed composita: sicuti in adstringentibus se habet: nam hæc ipsa frigida simul & sicca sunt naturâ. ac plerique sæpenumero aliquo ex adstringentibus oleis se vngentes, vel in aqua aluminosa se lauantes, talem sustinuere affectionem. Duas igitur dignotiones nobis tradit Galenus: vnam à tactu, si cuti si rhu acceptis ac aqua dissolutis, manus fricueris: tunc certè inuenientur densati digiti, meatibus ipsorum veluti coactis & densatis. In lassitudinibus igitur inuenire licet cutim
D sicciorem simul & exuccam, in stipatis verò veluti strictam & densatam, vna igitur est hæc horum dignotio. Secunda verò ex Hippocratica lege procedit. quoniam Hippocratis tempore speculatio quæ circa pulsus versatur, nondum exquisitè excolebatur: nec ab ipsis pulsibus febrium significationes faciebant. sed manum imponentes super alias corporis particulas, maximeque super thoracem (qui domicilium est cordis, cuius sanè cordis proprius affectus est ipsa febris) dignotiones facere studebant. In his igitur qui sunt densati, dum manus inijcimus, primum quidem caliditas pauca apparet: propterea quod foras ire nõ permittitur, cum meatus
E clausi sint. vbi verò diutius immorati fuerimus, & ob id cutim calefecerimus, ipsamq; rariorem fecerimus: ex diuturna manus applicatione calor resurgit, ac maior apparet: tuncque qualis nam ipse sit, percipitur.

16 *Verùm neque vrinæ his ſunt ruffæ, neq; corporis moles con cidit. quare nec oculi concaui, ſicciq; fiunt. ſed ſunt, quibus humidiores ac prominentiores appareant, quàm qui ſecundum naturam ſunt. Nec pulſus ſunt minores, quemadmodum in triſtitia, cogitationibus, & vigilijs, & in ijs qui immoderatè nimis exercitationibus ſunt vſi.* A

Ruffæ (hoc eſt πυῤῥαὶ) nunc ab ipſo dicuntur, quæ pallidæ (hoc eſt ὠχραὶ) ſunt. Igitur in his vrinæ non ſunt pallidæ: quoniam humidum illud, quod per occultos meatus digeri ſolebat: cum nunc non item digeratur: cogitur, ac per arterias & venas fertur, ac cum vrina excretum, ob copiam colorem illius temperat: qui ſanè color vrinæ inerat ob bilis admixtionem. Hocque ſcire oportet, vrinas rariori exiſtente cute, ac multa digeſtione contingente, pauciores eſſe: ſi verò cutis ſit denſior, contrarium euenire, hoc eſt, copioſiores eſſe vrinas. Hancque ob cauſam æſtate paucæ ſunt vrinæ: hyeme, copioſiores: quamuis in ęſtate largiori potu vtamur, in hyeme, minori. ſed hoc ob digeſtionem, vt diximus, cõtingit. Itaque in his copioſiores quidem ipſis ſunt vrinæ, quam in alijs diarijs febribus ob aliam quampiam cauſam ortis. Sed nec corpus in his inuenire eſt gracile. quin ſæpenumero etiam tumidius eſt, cum digeſtio non fiat: ita vt nec oculorum etiam cauitas in ipſis conſpiciatur. Igitur nec pulſus minores reddentur: quippe cũ valida ſit facultas, propterea quòd eius tenor ob digeſtionem compilatus non fuerit. B C

17 *Hæ ſolæ ex omnibus febribus adſtrictus ſunt affectus.*

Hoc haud importunè addidit Galenus: ſed aduerſus Methodicos intendens: qui ſanè dicebant omnes affectus eſſe vel actrictos vel fluidos vel complicatos. ſicuti in libro De ſectis tradidit. omnes autem febres, adſtrictum affectũ eſſe opinabantur. Quare ad verſus ipſos ait ſi febris morbus adſtrictus appellanda ſit, illam duntaxat appellandam eſſe, quæ ob cutis denſitatem ſit. D

18 *Febribus autem quæ ex bubonibus eueniunt, pulſus fiunt maximi, & celeres, & frequentes: & caliditas multa: ac poſt vigorem ſtatim ex profundo humidus quidem vapor attollitur, calidus quidem ſed ſuauis. Acrimonia enim ac mordacitas minimè omnium eiuſmodi febribus ineſt. Et facies maxima ex parte ipſis rubicunda exiſtit, & in maiori mole. vrinæq; ſubalbidæ.* E

A Febres ex bubonibus ortas dignoscere licet, primum quidem à pulsibus. Nam in his ob caliditatis copiam magni fiunt pulsus & veloces & frequētes. Quòd autem bubo nihil aliud sit quàm phlegmone alicuius glandulæ: neminem puto ignorare. nam in his (vt superius diximus) quando vel vlcus, vel alius quidam dolor fit: excitatur sanè natura veluti properans, vt affectæ particulæ opem ferat, & ad ipsam fertur: secumque etiam nimirum fertur ipsius vehiculum, sanguis inquam & spiritus, hæcque glandulis tanquam imbecillioribus occurrentia, illuc decumbunt, ac phlegmonem excitant. vocaturq; eiuscemodi res, Bubo. In his igitur post vigorem cernere est mado-
B res cutim irrigantes calidos ac suaues. talis enim est sanguineus succus, qui sanè in ipsis phlegmonem fecit. Quando autem humidum hunc vaporem (græcè ἰκμάδα appellatum) suauem dicimus, minus prauum intelligimus. neque enim ita suauis in febre esse potest, ac si sine febre accideret: sed quia, vt in febribus, mordacitas & acrimonia coercita temperataque est. Inest verò in his febribus facies rubicundior, ac melioris habitus: vtrunque autem à sanguine fit. sed rubedo colore, moles autem consistentia crassitudineue percipitur. Vrinæque subalbidæ. Quærendum sanè est, quam ob causam in his albæ appareant vrinæ. Ac Angeleuas quidem ait, à glandulis in vesicam
C vasa tendere, per eaque materiam ex glandularum nutrimento transportari ac elargiri, alba autem est hęc ipsa materia. vnaquæq; enim particula subiectum sibi nutrimentum ad sui ipsius naturam alterat. Hoc ergo nutrimentum (inquit) ad vesicam tendens, seque vrinæ miscens, albam ipsam reddit. Hæc opinio multis sanè modis euerti potest. Primũ quidẽ, propterea quòd inuẽtũ quoddã inquirit, quod nos in dissectionibus nõ conspicimus: neq; .n. bubonibus cũ vesica cõmunia cõspiciuntur vasa. Sed licet hoc demus, haud tamẽ poterit exigua illa nutrimẽti glandularũ portio totã vrinã colore inficere. Illud verò etiã ab ipso percontabimur, vtrũ hæc vasa in vesicã referen-
D tur, nec ne. si igitur non referantur, nihil ad ipsam asportabunt: quare nec prædicto colore vrinam inficient. si verò referantur, sanguinem etiam asportabunt. sicque accidet vrinam ob sanguinis commixtionem, rubram fieri. Quòd verò omnium est maximè dubium, addere sanè oportet: nimirum vrinas albas apparere non solùm in quibus phlegmone in coxarum glandulis est: sed & in ijs qui tumorem in axillis, & circa aures habent: & de reliquis omnibus glandulis eodem modo. Quid ergo ad hæc est dicendum? Nos certè dicimus, eiuscemodi vrinas accidere: propterea quòd bilis ad has gãldulas tendens, sanguini in ipsis infarcto miscetur, ob idque per huius
E priuationem vrinas albas apparere. Sicuti aliquando in ijs qui capite dolent, videmus vrinas albas fieri, propterea quòd bilis, (quippe quæ tenuiorum sit partium) sursum vniuersa fertur: ita vt deinceps

vrinam colore non inficiat. Hic igitur etiam hoc dici potest ob bilis A
scilicet absentiam vrinas serosi excrementi naturam ostendere: album autem natura est hoc excrementum. Illud porrò addi oportet in artis operibus sæpe à nobis visum, nimirum in quibusdam, qui ex bubonibus febrem diariam incurrerant, vrinas apparere biliosiores. Hoc autem euenit, cùm & totum corpus calidius & siccius, proindeq; biliosius compertum fuerit: tumorque ille qui in glandulis existit, erysipelatosus fuerit, quippe à biliosiori sanguine genitus.

19. *Commune autẽ omnibus his diarijs febribus est ipsa pulsus æqualitas.* B

Æqualitatem quæ in pulsu est, communem esse ait inueniriq; in omnibus diarijs febribus, quoniam nondum in his dissoluta est facultas: sed adhuc valida est. quare cum valida sit, æquales faciet pulsus.

20. *Nam paruæ admodũ, ex his febribus eam, quæ in vno ictu est, inæqualitatem præ se ferunt, sed neque hæ valde manifestè, nec euidenter. Tales sunt diariarum febrium notæ.* C

Hoc ait propter eas febres, quæ ob cutis densitatem fiunt: nam in his obserata ea, quæ digeri solebant, facultatem grauant, sicque inæqualitatem quæ in vno est ictu, efficiunt.

21. *Curare autem oportet lauacro quidem omnes.*

Consequenter hic scriptor, cùm nobis diariæ febris dignotionem tradiderit, causasq; ipsam gignentes inter sese distinguendas docuerit: deinceps ad curationis modum transit: qui sanè & communis & diuersus est. siquidem diariæ etiam commune quidem habent, vt ex D
spiritu incalescente accendantur: diuersum autem, ipsarum causarũ varietatem. Atque in curatione lauacrum quidem in omnibus assumimus: verum pro causis febrem facientibus, vtendi modum variantes, ita vnicuique congruam facimus curationem. Sed quoniam lauacri mentionem fecimus, agè pauca de ipso disseramus. (absolutissimam enim de ipso speculationem in libris Curatiuæ methodi habemus) breuiterque quæcunque ad tyrones dicere licet, in memoriam reuocemus. Inquiramus ergo differentiæ lauacrorum partes, earumque singulorum facultatem. Lauacrorum igitur quædam sunt sulphurosa, quædam aluminosa, quædam simpliciter aliam quandã E
vitiosam habent qualitatem: quædam ex potabilibus sunt aquis. Hoc igitur in loco de potabilibus sermo nobis fit, quæ sanè natura

possunt.

A possunt tum asperitates æquare, tum excrementa digerere, tum intemperaturas extinguere, tum facultates corroborare, Balnei autem tres sunt partes, prima enim est aer ipse calidus: secunda est solium (hoc est, δεξαμενὴ) calidæ aquę: tertia est solium frigidæ. Quidam sanè sine methodo arbitrati sunt, vnam esse balnei facultatem: ita vt decepti fuerint, credentes id calidam & humidam in vniuersum habere facultatem. Nos equidem calidorum diuersitati mentem adhibentes, diuersam quoque ipsius facultatem pronunciamus. Nam aer calidus digerit magis, minus verò humectat. Natatorium autem (hoc est κωλυμβήθρα) calidum contrà, magis quidem humectat, minus verò

B digerit: digerit tamen. Frigida verò aqua genitam à lauacro intemperiem consolatur, ac extinguit, quin & meatus densat: ita vt non permittat facultates euolare. His ergo ita traditis, nihil sanè difficultatis erit, diuersis diariæ febris causis, diuersi etiam lauacri vsum adaptare.

22 *Sed qui ex cutis densitate, vel ex bubonibus febricitant, ne si in balnei aere immorari iusseris, quicquam lædes.*

Et hoc meritò. nam hi ampliori indigent digestione: illi quidem qui ex cutis densitate febricitant, quoniam ob hanc densitatem,

C quæ digeri erant solita, intus in corpore obserata sunt: illi autem qui ex bubonibus, quoniam copia adest sanguinis, à quo influxio in bubonem facta est, vt paulo superius diximus.

23 *Reliquos verò omnes quàm celerrimè ab aere abducere oportet. sed in aqua etiam si diutissimè versari velint, permittendum est.*

Iratos intelligit, tristatos, lassitudinem perpessos. vigilias passos, cogitationibus vexatos, quandoquidem in his omnibus communis est ipsa siccitas, humectarique exposcunt. Permittemus igitur ipsos

D in calida aqua versari, quippe quæ possit excrementa à febre genita digerere, ac in eorum vicem, vtilem intrudere humiditatem.

24 *Oleo autem & tepido & multo, & mollibus manibus diutius perfricare oportet, præcipuè quidem qui ex lassitudine, post hos autem, qui ex stipatione, ac tertio qui ex bubonibus febricitant.*

Sciendum est oleum relaxantem, ac diaphoreticam, hoc est digerentem facultatem obtinere: sed idem sanè simpliciter corporis meatus oblinire, hincq; ipsos occupare, ac digestionem prohibere ob

E substantiæ visciditatem; cum moderata autem perfrictione calefieri atque recalefacere corpus, ipsumque rarefaciendo, excrementa ad digestionem prouocare. Quoniam ergo in ijs qui lassitudinem perpes-

si sunt, mediocris quædam fit phlegmonosa affectio tum in musculis, tum in articulis, sicuti declarat dolor ille, qui post lassitudines remanet: ob hanc causam vnctione olei tepidi vsus est. eiuscemodi.n. oleum relaxare naturâ potest. Ac sanè emolliri iubet longiori tempore: mollesque etiam vult esse manus, quæ perfricant. nam duræ indurare, siccare, & molestare solent. Sic porrò in ijs qui lassitudinem perpessi fuere, largè est vtendum oleo, relaxandi gratia duntaxat. Secundaria autem ratione in stipatis ipso vtimur, quod potest meatus reserare, ac excrementa digerere. Ob hanc verò causam & ijs qui ex bubonibus febricitant, vbi plenitudo adsit, moderata, opus est digestione. A B

25 *Et lauare sæpe quantum fieri potest, tales oportet.*

Tales dixit, eos qui proximè fuerunt memorati, ij inquam qui ex lassitudinibus, & qui ex stipatione cutis, & qui ex bubonibus febricitant. Hi enim longiori tempore indigent lauacro. Probè enim addidit sermoni, quantum fieri potest: nam quando facultas obsisteret, non amplius sanè lauacrum, immo nec vllum aliud præsidium assumeretur.

26 *Comedere autem ij sæpe possunt, qui ex lassitudinibus febrem incurrerunt: non tamen ij qui ex stipatione, nec qui ex bubonibus febricitant. sed vtrisque his tenuis victus ratio vtilis est. Iis verò qui ex lassitudinibus febricitant, quæ concoquere possunt, imperare oportet vt comedant, inconcoctione sola euitata.* C

Consequenter post lauacrum ad victus rationis modum transit: hancque rursus victus rationem recta methodo determinat. Iis quidem qui lassitudinem perpessi sunt, quoniam plusquam côueniebat digesti sunt, id quod deest, restituere vult: ac sæpe ipsis cibû præbet, illis verò qui ex stipatione, vel ex bubonibus febrem inciderunt, non item, quoniam in vtroque horum plenitudo est. D

27 *Sed & vinum bibere, quantû possunt conuincere, sunt permittendi. Scopi autem mensuræ, qui & aliorum omnium, sunt facultas ægrotantis, ætas, temperatura, consuetudines, anni tempus, regio, atq; alia id genus.*

Quoniam vult lassitudinem perpessos reficere, imbecilli in ipsis existente facultate, vinum exhibet. quippe quod possit celerrimè in ventriculo in chylum redigi, celerrimeq; in iecore in sanguinem verti, atq; vniuersum corpus nutrire. Vini autem mensuram ab ijs omnibus E

A omnib. quæ eiusdẽ sunt ordinis (grçcè στοιχα appellant) assumit, ac primum à facultate. si enim ipsa imbecilla fuerit, minus vini ipsi dabimus: si robusta, largius, quantum & ipsa concoquere potest. Sed & ab ętate sumit. si enim senilis sit, largiorem quantitatem exposcit: si vigens, minorem. A temperatura item, si quidem calidior minori quantitate, frigidior largiori indiget. Quin & à consuetudine. nam si in sanitatis tempore vini potator erat, largiorem modum ipsi dabimus: si talis non fuerit, minorem: Et in æstate quidem minus, in hyeme plus: Ac magis etiã in Scythia plus, in Æthiopia autem minus dabimus vini: Et ab allis, etiam eodem modo.

B 28 *Qui verò ex bubonibus febricitarunt, arcendi sunt à vino, ante quàm bubones soluti fuerint.*

In his enim sanguineus succus ex vini potione duplicatus, maiorem tumorem efficit: ideoque etiam febrem.

29 *At qui stipati sunt, si parũ hoc passi fuerint, minimè verò sint plethorici, non sunt à vino prohibendi: si verò multum patiantur, ac plethorici sint, prohibere eos confert.*

In stipatis diligentius aduertendũ est, nunquid vino vti possint, C an prorsus à vino sint arcendi. Limitatione autem indiget oratio. Nam si multa sit stipatio, ac corpus plethoricum, non dabimus vinum. probabile enim est ab ipso materias fusas duplicari, ac particulas aggredi, multitudineque obstructionem facere. si autem pauca sit stipatio, nec succorum copia adsit: tunc vinum dabimus, vt caloris mediocritate, tum meatus rarefaciat, tum facultatem roboret. quæ sanè roborata, causis ipsam vexantibus magis resistit.

30 *Qui verò ex vigilijs, vel ex aliquo animi affectu febricitarunt, vbi laueris, humectante, ac boni succi alimento cibare eos oportet.*

D In omnibus sanè victus ratio, quæ boni succi sit, instituenda est: ipse tamen peculiariter ipsius meminit in affectibus animi: vt qui sciat, ab ijs præcipuè corpus deprehendi, ac à nulla re ita posse dissolui facultates naturales, vt ab immoderatis animi affectibus. Atque ob hanc causam, quicunque extra hos sunt, hoc est à curis, cogitationibus ve, ac ab alijs animi affectibus soluti ac liberi: omnia, quæ sibiipsis offeruntur, & concoquunt, & trãsmutant, eaque superantes, emolumentum ab ipsis haud exiguum corpori acquirunt. Quicũque verò tristantur, vel cogitant: ea etiam quæ facilia admodum E sunt ad concoquendum, non concoquunt, vel temporis longo tractu, ac vix. Quoniam igitur in diarijs febribus. quæ ob animi affectum ortæ sunt, succi acriores euaserunt, ac vniuersus corporis ha-

bitus ficcior: ob id vult alimentum ipsis præbere, quòd & boni A
fucci fit, & humidum, quodque transmutari non secundum qualitatem solùm, sed etiam secundum quantitatem possit.

31 *Vinùm autem præcipuè ijs qui vigilarunt, intrepidè est dandum, nisi caput doleant, vel tempora pulsent: quòd sanè in omnibus etiam alijs est obseruandum.*

Quoniam per vigilias tum totum corpus exiccatũ est, tũ verò etiam sæpenumero contingit inconcoctionem oriri à qua multa patiuntur excrementa, ob id in his vinum intrepidius exhibet tanquã possit, tum exciccatum corpus humectare: tum excrementa ad excretionem prouocare. propterea quod naturales effluxus ac meatus, B
fluidiores facit. Obseruandus autem duntaxat est in his, capitis dolor. Nam vinum celeriter in vapores transiens, affectum locum occupat, repletque ac distendit: ac præcipuè quod dolor ipse opem fert, vt vinum ad locum affectum feratur: cùm partes dolentes (vt sæpius didicimus,) natura soleant fluxionem suscipere. Hunc ergo capitis dolorem non in ijs tantùm qui vigilarint, sed in reliquis omnibus obseruare oportet, in quibus vini potionem assumimus.

32 *Sed & ijs qui iram, vel tristitiam, vel cogitationem passi sunt, vinum est dandum.* C

Iram (græcè ὀργὴν vocat moderatam iracundiam. Quòd autem in his, & in ijs qui tristati fuere, & in ijs qui cogitarunt, vinum dandum sit, quod siccitatem ab ipsis in corpore genitam humectare irrigare possit, non est sanè qui dubitet.

33 *Iratis autem, quando omnino extra hunc affectum sunt: prius verò, haud tutum est vino vti.*

Et hoc iure meritò. siquidem iracundia, ebullitio est sanguinis circa cor existentis. ac certè hanc ebullitionem vini potio fou[illegible].

34 *Tentandum autem est, vt ei quod tristitiam intulit, contrarium opponamus: lassitudini quidem quietem: vigilijs verò somnum: iræ autem, & iracundiæ, & tristitiæ, eam quæ ex sermonibus, actionibus, spectaculis, & enarrationibus percipitur animi iucunditas. Sic & qui cogitauit, omnino à ratiocinatione cesset. Et qui ob bubonem febricitauit, ipsum prius curet, & multo prius vlcus. à quo constitit. Hæc tibi febriũ diariarum, indiciaque, & remedia sufficiant.* D

Quoniam cõmune est in ira & iracundia & cogitatione & tristitia, E
hoc ipsum tristari inquam: omnes enim omnino tristitiam quandã habent: irati quidem, quoniam iniuria fuerunt affecti: illi verò qui cogitarunt, quoniam ipsis non abijt id, quod cogitatur: tristati au-

tem

A tem, identidẽ: ob hanc causam communem etiam illis opponit cu rationem eam quæ à voluptate sumitur. Ipsa enim succos corporis, ac præcipuè sanguineum fundendo, in vniuersas particulas extendit: ac per huius ipsius præsentiam, totum corpus humectat, ac sanè à memoratis affectibus liberat. Oportet autem de laborantis natura coniectari, ac conuenientem sibi facere animi iucunditatem. Si enim quis fuerit sermonis amator, vel historiarum cupidus, huic medicus historiarum officia enarret. vel alia id genus dicat: si in philosophicis disciplinis fuerit enutritus, philosophicas ratiocinationes inuestiget, & philosophorum officia explanet: si spectaculis vacet ac delectetur, medicus quidem huic nihil dicat, sed alios ad eius
B cemodi enarrationem faciendam præparet. sępenumero autem ad ipsa spectacula eos emandamus. Et, vt semel dicam, pro laborantis modo, voluptatis etiam differentia excogitari debet.

35 Reliquarum verò febrium aliæ ex phlegmone, aliæ ex succis accenduntur.

Diximus, quemadmodum febrium aliæ ex spiritibus, aliæ ex humoribus, aliæ ex solidis partibus fiunt. Disseruit autem prius de ijs,
C quæ ex spiritibus constituuntur. tradiditque ipsarum tum dignotiones, tum curationes. Transit dehinc ad eas, quæ ex succis fiunt. Nam de hecticis nullum in his libris sermonem faciet, quoniā Glauco petijt, vt sibi curatio scriberetur morborum frequentius euenientium. Hectica verò febris nō est ex ijs, quæ frequentius accidant. Earum igitur quæ ex succis proueniunt, aliæ quidem in toto corpore succum habent putrescentem, & synochi, id est continentes fiunt. aliæ autem in vna particula obstructionẽ faciunt quorundam meatuum, vnde etiam febres periodicę, id est quæ per circuitum repetunt, fiunt, & phlegmonem, vel alium quendam tumorem faciunt.
B Ac rursus febrium hæ quidem intermittentes, hæ verò continuæ. intermittentes quidem, quæcunque materiam extra vasa habent. harum autem ipsarum rursus, hæ quidem cum symptomatibus inuadunt, hæ verò sine symptomatibus. Igitur hoc in loco non de ijs differet febribus, quæ ex phlegmonis fiunt, sed de alijs: ac rursus prius de ijs, quæ sine symptomatibus sunt. Disputabit autem de symptomatibus quoque in succedentibus. Intermittentes igitur febres, vel ex pituita putrescente fiunt, ac faciunt quotidianam vocatam febrem, vel ex flaua bile, & faciunt tertianam: vel ex melancholico succo, & faciunt quartanam. Ac harum sanè traditu-
E rus est dignotiones, curationesque. ac prius de tertiana tractabit: quandoquidem hæc alijs benignior est, ac mitior, ac præterea hominibus plurimum euenit.

36 *Et quæ ex phlegmonis ortum habent, veluti symptomata quædam sunt partium phlegmone affectarum, nomenq; morbi denominatiuè magna ex parte ab affecta particula sumitur phrenitis, vel peripneumonia, vel pleuritis vel quid aliud tale. De his certè, posterius dicemus. Quæ verò ex succis accēduntur febres, hoc ipso vocantur febres, & non sunt symptomata morborum, sed ipsa morbi.* A

Quoniam febris ipsa non est symptoma (neque enim excretorum vel cohibitorum naturam habet, nec est in genere affectionum corporis, nec sanè etiam læsio est actionis, sed potius ipsa actionem lædit, morbus cum sit,) iccirco nunc noluit ipsam simpliciter vocare symptoma, sed veluti symptoma: neque enim est, sed re vera sicuti symptoma morbum consequitur: ita etiam phlegmonas hoc in loco febris sequitur instar symptomatis. In alijs sanè eiuscemodi febribus, quæ primitus fiunt, non item sequitur, sed ipsa prima fit: alia verò quædam symptomata ipsā omnino insequuntur. B

37 *Harum verò quædam quidem sunt sine symptomatibus, quæ certè sunt mitissimæ: quædam verò vnà cum symptomatibus infestant. Dicetur sanè à nobis de prioribus febribus, quæ sine symptomatibus sunt.* C

Quærendum quonam modo hoc in loco dicat quasdam febres esse absque symptomate. nullus est enim morbus, qui actionem non lædat, quoniam & hæc est morbi finitio, affectio præter naturam, actionem lædens. est autem actionis læsio, symptoma. Quomodo igitur ipse hoc in loco ait febres quasdam esse absque symptomatibus? Ad hoc dicimus, symptomatum quædam esse morborum specifica, ac omnino vnà cum ipsis inuadere, quæ ab empiricis pathognomonica vocantur, tanquam affectuum ideam ac formam declarantia: quandoquidem eorum naturam charactere obsignant, sicuti in pleuritide tussis, febris, spirandi difficultas, punctorius dolor: quædam verò posterius apparere, ac superuenire, aliena, nimirum, de quibus nunc ipsum loqui dicimus, non de ijs, quæ ex necessitate superueniunt. Potest & alio modo dici, nempe febrium has quidem cum symptomatibus inuadere: has verò absque symptomatibus. Symptomata autem dicimus non obuia quæque, sed quæ adeo sunt praua, & maligna, vt sæuitia sua facultatem deijciant: ac totam artem ad se trahant ob infestationis vehementiam. Hoc igitur in loco de ijs febribus disputabit, cum quibus nullū id genus symptoma vnà adest. posterius verò & de reliquis disputabit. D E

38 *In quibus maximè si fieri possit primo die dignoscenda est*

qualis

A *qualis nam sit febris, diuturna ne an acuta.*

Ingredientes ad ægrotum in prima die quærere statim debemus an diuturnus sit morbus an acutus, hoc enim nobis ad formam diætæ figurandam conferet. Nam si propè sit vigor (quod in acutis euenit) tenuiorem diætam instituemus, vel in inedia seruabimus: ne alimenta dantes, vires tum ad alimenti confectionem, tum ad morbi curam distrahamus. Nam si alimentum sumptum negligentes aduersus morbum certauerint, accidet vt illud alimentum inconcoctum cum sit, materia febris fiat: hincque morbus fortior factus in vires irruat, ipsasque deijciat. Si verò alimenti confectioni B totæ incubuerint, morbus (quippe qui non amplius habeat quod contra se certet, ac resistat) fortior seipso fit, ac naturam affligit. Si verò longè distet vigor, pleniorem victus rationem instituemus, ne temporis spatio ab inedia vires dissolutæ, imbecilliores seipsis circa vigoris tempus fiant. quando præcipue naturæ aduersus morbum certamen est. Hocque cùm animaduertisset Hippocrates, dixit. *Quibus ergo statim vigor, est, ijs statim tenuis victus est adhibendus: quibus verò posterius, in ipso vigoris tempore, & parum ante illud subtrahere oportet. prius verò vberior victus adhibendus est, vt æger sufficiat.*

39 *Et vtrum ex ijs quæ intermittentes vocantur. an ex con-* C *tinuis. Quod si primo die fieri non possit, at secundo certè inuenire tentabis ideam febris. quòd si nec in hoc quicquam firmiter cognitum fuerit, in tertia saltem omnino aliquid tibi manifestius apparebit.*

Intermittens est febris, quæ interuallũ purum habet. fit autẽ hoc, quando materia extra vasa est. Continua autem, quæ nullam requiem, ac laxamentum præbet naturæ. hoc autem fit, cùm materia intra vasa est. Diuturna ergo an acuta sit febris, quærere debemus ob diætæ formam, vt diximus: intermittens verò an continua, D ob cibandi tempus. Sciendum sanè est naturam egere semper alimẽto, quod basim ac sedem illius, quod digestum est, ipsi repleat. Sed hoc ipsum alimentũ præcipuè dandũ est, quando ipsum concoquere, ac conficere potest. concoquit autem quando pura ac integra est, nec à febris caliditate vexatur. quare in interuallo dandum id est. Si enim in accessione demus, facultas quæ à febris intemperie deiecta est, ipsum superare non potest. Alimentum autem non concoctum materia fit febris. Et hoc est, quod Hippocrates in Aphorismis ait. In accessionibus subtrahere oportet: nam addere nocuum est. Dandum igitur est alimentum in interuallis. Sed hęc dici pos- E sunt in intermittentibus. In continuis verò quid vtique quis faceret? neque enim in his inuenire licet remissum ac quietum tempus, verùm continua est febris. Tamen in his etiã fit Meiopyrexia. id est fe-

bris diminutio, quæ interuallum imitatur: tuncq; alimentum dandum est, non quando accedunt. quandoquidem ea quæ dicta sunt. omnino euenient. A

40 *Nam paucæ omnino febres quarta die ad exquisitam sui dignotionem indigent. Dicam verò tibi, quam breuissimè fieri poterit, signa, ex quibus speciem febris intelliges.*

Hoc ob compositas febres ait. nam simplices prima die dignoscere licet. At quoniam compositæ quædam sunt, quæ ita inuadunt, vt exquisitè prima die nõ dignoscantur, nonnunquã autem neque secunda die: in his necesse est tertiam diem, vel etiam quartam aliquãdo ad exquisitam suiipsarum dignotionem expectare. B

41 *Prolixius autem ac manifestius alibi omnia dicta sunt.*

Hoc in loco ait, pauca tibi differam de talium febrium dignotione. Absolutiorem verò de his considerationem, tum in secundo de Crisibus libro, tum in libro de differentia febrium habemus. Sciendum tamen est significationibus hoc in loco positis nihil esse perfectius. Vniuersam enim artem, quæ de ipsis habetur, citra defectũ hoc in libro tradidit.

42 *Quæ igitur cũ rigore inuadunt, non ab re ex earum numero esse suspicaberis, quæ per circuitum infestant. Tertianæ enim & quartanæ cum rigore ferè semper accessionem faciunt. Sed tertianæ quidem inprimo statim insultu sæpenumero cũ vehementi rigore incipiunt. Quartanam verò non vidi cũ vehementi rigore incipientem, sed temporis spatio magnitudo illi superuenit.* C

Ingressus ad laborantem statim in prima die inueni ipsum rigore detentum. Hoc, indicio mihi fuit hanc eiusmodi febrem ex putredine esse (nam nulla ex ijs quæ sine putredine sunt. rigorem infert) quin & eandem esse intermittentem. Sed non satis est, hæc solum scire: verùm deinceps etiam febris speciem inquiro, vtrum tertiana, an quartana, an quotidiana sit. Tertiana ergo rigorem habet à principio vehementiorem. sensus autem ab ipso rigore prouenit, veluti pungentis cuiusdam rei ac stimulantis, quod ob succi tenuitatẽ ac acrimoniam contingit. Quartana, in principijs validum non habet rigorem: Quoniam frigidus est succus ille, ac terrestris, ægreq; mobilis. progressu tamen temporis, quoniam à febris caliditate attenuatur, validior ipsis fit rigor. Ac idiotę quidem ob hæc conturbantur, putantque grauiorem ipsis fieri morbum, cùm rigor fuerit intensus. Artifex verò Hippocraticos oculos adhibens, febrem in melius progredi pronunciat. Neque enim vehemens in quartana rigor fieret, nisi coctionis signum appareret. D E

A 43 *Adde quod neque statim à principio magna ex parte hæc febris simul inuadit. sed vbi aliæ prægressæ fuerint, contingit. Quartana igitur errabundis & erraticis quas vocant febribus superuenit.*

Magna ex parte, adiecit: quandoquidem quartana interdum ex se ipsa inuadit, non prægressis ipsam erraticis febribus. hoc autem euenit, quando lien erga actionē. quę melancholicũ succum attrahit, imbecillior redditus, permiserit ipsum vnà cum sanguine ferri. hincq; abundantiore eo reddito ac putrefacto, fit quartana. Vt plurimum verò erraticæ febres ipsam præcedunt, hanc ob causam. Melancho-
B licus succus duplicem habet generationem. fit enim vel à fæcoso sãguine, vel à flaua bile superassata. Quoniam igitur non æqualiter vniuersa flaua bilis superassatur, sed pars quidem ipsius citius, pars verò tardius: ac simpliciter, superassatio ipsa inordinata fit: ob id, dum mutatio fit, inordinatæ etiam febres oriuntur, quæ nullum seruant ordinem, sed aliquando circa auroram inuadunt, aliquando circa vesperas: atque quãdoque duobus interiectis diebus, interdum tribus, nonnunquam etiam singulis * diebus, prout mutatio succi xanthocholici idest flauibiliosi in nigrum facta fuerit.

C 44 *Quotidiana verò raro constituitur, quin os ventriculi affectum sit: quemadmodum quartana ex malè affecto liene, tertiana ex iecore generatur.*

Quotidiana febris, quoniam ex pituita putrescente fit, hæc autem pituita præcipue colligitur circa ventriculum, ac stomachum, vbi & prima concoctio est ipsa pituita: ob hanc sanè causam in ore ventriculi, & in ventriculo abundans, quando nonnunquam putrefacta fuerit quotidianam inducit febrem. Ipsum autem os duntaxat dixit
D ventriculi, non quia in ventriculo non sit pituita, sed quia cum in vtrisque locis ipsa sit, os magis sentit, quod exquisito sensu sit prędi-tum.

45 *Quæ igitur cũ vehementi rigore incipit, par magis est tertianam, quàm aliquam aliarum febrium esse. Si verò etiam alia quæ deinceps dicentur, attestentur, hanc statim euidenter in prima die tertianam esse dignosces. Si verò cum pauco rigore incipiat, tunc magis & alijs notis est mens adhibenda. quoniam non quotidiana & quartana solùm sed & semitertiana*
E *& alia quæpiam ex continuis esse potest. Aliæ verò notæ sunt caliditatis tum qualitas, tum quantitas: arteriarum motio: ipsa etiam rigoris qui sentitur, forma: tempus item anni, & re-*

gio, & constitutio, & ægrotãtis natura & ætas & quæ præcesse re, & quæ consequuntur. Caliditatem enim multam & acrem esse oportet: Pulsus verò magnos, vehementes, frequentes, & celeres, ac omnis inæqualitatis, præter quã febrilis, expertes: Rigorem etiam, ac si corpus ab acuta quadam re magis quàm à frigida pungeretur: cùm, qui quartana vel quotidiana detinentur, frigidum rigorem sentiant. Tempus autem anni æstiuũ esse debet: Sicuti sanè & regio calida, & præsens constitutio. Sit verò & ægrotantis natura calidior ac biliosior: & ætas adolescentiæ: exercitatioque potius quàm ocium præcesserit, ac exustio potius quam refrigeratio, atque indigentia potius quã satietas: & vigiliæ, & tristitiæ, & lassitudines, & vehementes cogitationes ad hoc conferunt. Quòd si plerisque alijs ægrotantibus tunc tẽporis febribus tertianis corripi contingat: hoc vtiq; præter ea quæ dicta sunt, maximum erit indicium. A B

Quod vult dicere, tale est. si vehemens sit rigor, suspicandum est huncipsum tertianæ febri præcedere: si verò non sit vehemens, nondum suspicari oportet tertianam esse. Contingit enim hoc fieri, & ob quartanam, & ob quotidianam: nam in his etiam fit refrigeratio quædam, quam nunc vocauit moderatum rigorem. Quin & in semitertianis hoc tale accid.t. rigor .n. omnino in his fit ob xanthocolicum succum: temperatur autẽ atque coexercetur eius vehementia ob pituitæ admixtionem. Aliquando etiam in quibusdam continuis fit minor rigor, vt in causo. contingit enim quandoque bilem, cùm tenuissimarum sit partium, haud posse totam in vasis cohiberi, sed nonnihil ipsius extra vasa excidere, hocque moderatum rigorem facere. Quare haud tibi sufficiet rigoris paruitas ad exquisitam tertianæ dignotionem: sed deinceps reliqua signa aduertere oportet. Reliqua autem signa sumuntur, vel ab ijs quæ secundum naturam sunt, vel ab ijs quæ præter naturam, vel ab ijs quæ præcesserunt, vel ab ijs que simul inuadunt. Ab ijs quidem quæ secundum naturam sunt, quærentibus nobis laborantis temperaturam, si siccior sit & ætatem, si vigens, hæc enim biliosi succi est ferax: anni verò tẽpus, sit æstas: & regionem, si calida & sicca: & constitutionem, eodẽ modo. Sed etiam quæ præter naturam sunt, quærenda sunt, vt caliditatis quantitas & qualitas: quantitas quidẽ, quoniã materia quę facilè accenditur, multam accendit caliditatem: qualitas verò, quoniam hanc oportet esse acrem & erodentem. Sed & arteriarum motiones indicant. maximi enim in his sunt pulsus & vehementiores, & celeres, & frequentes, hocque iure. siquidem caliditas est C D E

quæ

A quæ vſum ſtimulat:ac facultas deiecta non eſt ob ſucci lenita*tem. Inæqualitatis tamen ſunt expertes. Nam inęqualitas facultatis imbecillę eſt ſoboles. Præter quam febrilis. Diximus enim in libro de Pulſib. febrilem inæqualitatem à Galeno vocari, quando extremitates dilatationis velociores ſunt medijs. ná in interna extremitate facultas accelerat, ad dilatationem ſtimulata, vt intemperiem a febre concitatam refrigeret. in externa verò extremitate adhuc magis accelerat. ſtimulata ad cōtractionem, vt excrementa fuliginoſa à febre genita excernat. Quin & ſitis ipſis adeſt multa, ac biliosus vomitus. Ita ergo ab ijs quæ ſecundum naturam, & ab ijs quæ præter naturam ſunt, & ab ijs quæ ſimul inuadunt, tertianam dignoſcimus. Adhuc
B verò etiam ab ijs quæ præceſſerunt præſentem vitam: ſi cogitabundus, ſi peruigil, ſi inedijs, vel exercitationibus pluribus vti ſit aſſuetus. hæc enim vniuerſa ad xanthocholici ſucci generationem conferre naturâ ſolent. qui ſuccus propoſitam in conſideratione febrem accendit. Poſt hęc omnia addere etiam oportet cōiecturalem quandam dignotionem, quæ ipſa quidem ex ſeipſa non ſufficit ad exquiſitam ac perfectá cognitionem tradendam, memoratis tamen ſignis confert. Aduertere enim oportet, ſi eo tempore tertianariorum morborum epidemia extitit. Sicuti enim in anni temporibus alij ſubinde
C fructus progignuntur: ſic etiá eſt morborum generatio. Si ergo gignantur tertianarij morbi, ſignum etiam hoc ponere oportet, pręſentem quoque hunc nobis morbum, talem eſſe, quales ſunt & communes. Indicant enim communem eſſe quandam cauſam, ipſam aeris alterationem, vel aliud quid vniuerſale, quod talem verſionem mutationemque effecerit, ex qua tertianam fieri cōtigerit. Ex communibus igitur particularia etiam cognoſcimus.

46 Quòd ſi cum omnia hæc, vel eorum maxima, ac longè præcipua adſint, vehemens etiam ſitis ipſos detineat, vomitusq́;
D *bilis, vel ſudor ſuperueniat, vel vtraq́; iam tum apertè manifeſta erit. Si verò etiam poſt hæc à febre quieuerit homo, hac inquam, quæ in ſuo etiam motu omnibus eſt nota: relinquatur autem ipſi in arteriarum motu propria febrium inæqualitas: firmiter vtique ita pronuntiare poteris, ac ſi tertio quoque die accedere ipſam vidiſſes.*

Sitis fit ob ſucci caliditatem ac ſiccitatem. Sudor autem ex his ſequitur: quoniam cum tenuis ſit ipſe ſuccus, facile reſoluitur, ac ad
E ſuperficiem tendens, ſudore ipſam irrigat, ac à particulari acceſsione laborantem liberat.

47 Quartana verò (nam & huius notas tibi ſcribere oportet)

euidentißimum quidem sui indicat argumentum inaccessionum principio, quando adhuc rigent ægrotantes. A

Cùm tradiderit nobis tertianarũ febriũ dignotionẽ, vult cõsequẽter & quartanarũ dignotionẽ tradere. Iure autẽ post tertianas nõ de quotidianis, sed de quartanis disserit. quádoquidẽ hę cum tertianis multum cõmunicant, primũ quidẽ in rigore: postea, quoniá vtraque febris periculo vacat: verius autẽ, quoniam quotidiana quidẽ febris ex pituita generatur, quæ frigida & humida naturá est: tertiana verò ex bilioso succo, qui calidus et siccus est. horumque succorum qualitates ex diametro inter se sunt contrariæ. melancholicus autem succus, quáuis frigiditate differat, siccitate tamen cõmunicat. Et hæc quidẽ deliramenta nugamẽtaq; sophistica sunt, logicæ quæstioni inhærentia. Transeamus deinceps ad harũ dignotionem. eamq; itidem faciamus ab ijs, quæ secundum naturam sunt, ab ijs quæ præter naturam: ab ijs omnibus & quæ præcessere, & quæ præsentia sunt. Esto igitur in his natura laborantis atribiliosior, ætas decrescens, anni tempus autumnus, (in hoc enim melancholicus succus generatur,) hanc ob causam. In æstate quidẽ, id quod tenuium partium est, semper digeritur: succedens autem autumnus, frigiditateq; sua superficiem densans, claudit: cohibentur autem sanè quæ difficulter digeruntur, & crassa sunt. quæ melancholica potius sunt, quàm ex aliorum succorum quopiam.) Sed & regio frigida esto & sicca, ac præsens aeris constitutio inæqualis. Probe enim de hoc ab Hippocrate definitum est, *Quando eadem die modo calor, modo frigus, fit, autumnales morbos expectare oportet.* Necesse enim est tunc ea quidem quæ sunt tenuium partium, à calore digeri: crassa autem retineri à frigore. hæc autem putrescentia, quartanã inducunt febrem. Hæc ergo sunt, quę secundum naturam sunt. Quærenda autem & quæ præter naturã sunt, vt rigor. est enim in his non punctorius, sed ostocopodes, id est quo ossa lassitudine afficiuntur. quippe cùm grauentur, ac veluti comprimantur ossa ab huius succi grauitate. Quærenda etiam sunt & quæ præcessere. hæc enim omnia tibi quartanæ naturam exquisitè indicabunt. B C D

48 *Satis enim rari & tardi earum pulsus fiunt. In vigore autem vel adhuc increscentibus accessionibus, celeres quidem necesse est & frequentes esse.*

Rari quidem fiunt ob refrigerationem: tardi autem ob facultatis imbecillitatem, quæ à succi crassitudine grauatur.

49 *Seruatur tamen & tunc propria eorum tarditas & raritas, si id quod de celeritate ac frequentia accessioni est adiectum, ratione perpendas. Etenim si quartanæ febris vigorem* E

cum

A *cum tertianæ vigore compares, multò certè velocius ac frequẽtius arteria tibi videbuntur in tertiana pulsare. & ipsius vnius motionis inæqualitas in quartana febre, eius ideam indicat.*

Quod vult dicere, tale est. & si in ascensu & vigore celeriores, & frequentiores fiunt pulsus in his febribus: non recedere tamẽ ipsos à propria earũ raritate, ac tarditate: sed quatenus ad accessiones spectat, frequentes ac veloces fieri: posseque quempiam dicere, eos, tales euasisse, comparatos pulsibus. qui in quartanarum principijs sunt
B non tamen eorum frequentiam vel celeritatem frequentiæ & celeritati, quæ in tertianis existit, similem esse, sed multum superari.

50 *Nam communem eam omnium febrium in vna applicatione, arteriæ inæqualitatem. euidentissimam in hac inuenire licet.*

Quęsitu sanè dignum est, cur, cum febrilis inęqualitas in tertianis & in quartanis existat: in quartanis potissimum facilè dignoscatur. Et dicimus. in tertianis ob dilatationis totius celeritatem, id quod febrium proprium est, sensum latere. multa enim existente caliditate, media etiam dilatationis esse celeriora: itaque extremè haud mul-
C to celeriora esse medijs. hic verò, quoniã non est tanta caliditas, haud necesse esse totam dilatationem celerem fieri. ideoque cùm tardior ea sit, ac in longiori tempore moueatur, facilè dignosci posse febrilis inæqualitatis signum.

51 *Multò enim velocius principiũ motionis & finem inuenies quam medium. non tamẽ in tertianis ita habet. breuis enim ipsis est velocitatis excessus, maximeq; in vigore.*

Notandum hoc in loco est, quod etiam in libro ad Teuphram de pulsibus diximus, febrium propriam inæqualitatem esse hanc, vt extremitates dilatationis celeriores sint, quàm media: ac magis exte-
D rior, quam interior. verùm hanc rationem sępenumero diximus: nõ, quemadmodum aliqui dicebant, vt extremitas duntaxat exterior dilatationis sit celerior. Atque in illis polliciti fuimus, nos ostensuros Galenum dictis nostris consentire. Hoc ergo in loco idem dicit adeo euidenter, vt neminem lateat.

52 *Quin & caliditatis notæ diuerso modo in his se habẽt. Nã calorem, & æstum, & veluti feruorem tertianarum febrium in quartanis haudquaquam inuenies. Hæc quidem maxima*
E *signa sunt. Reliqua verò, externa, neque enim hæc omittere oportet. Sed & natura ægrotantis consideranda est, si atribiliosior: & tempus anni, si autumnus: & præsens constitutio, si inæqua*

lis.sic & regionis natura & morborum populariter vaganti- um. A

Sicuti tertianam febrem à qualitate, & quantitate caliditatis notabat, ita & quartanam, ait enim acrimoniam & ardorem, quod tertianis inerat, in his non inueniri. frigidus enim est succus ille, qui quartanam facit.

53 *Et si lien magnus sit & si inordinatè febres præcesserint, & si ætas vltra vigorem sit, & si cum sudore cesset. Bilis autem flauæ vomitus in his febribus expectandus non est, sicuti nec in quotidianis. Nam hoc tertianarum proprium est.*

Causam ob quam inordinatæ febres quartanam præcedant, iam diximus. Lien verò magnus fit, quando melancholicus succus adeo exuperat, vt licet lien multam ipsius portionem trahat, ab eoq; incrementum suscipiat: adhuc tamen in corpore multam ipsius partem relinquat, ex qua putrescente eiuscemodi febris oritur. Et si cũ sudore cesset: hoc signum non distinguit quartanas febres à tertianis. (ostendimus enim & in illis sudorẽ prouenire.) sed quartanas à quotidianis. nam in quotidianis, vel nullo modo proueniunt sudores: vel si proueniunt, admodum pauci proueniunt. Nam cùm crassus sit succus ac glutinosus, non aptus est, vt in sudores resoluatur. Xanthocholicus sanè succus cum tenuium sit partium, facile resoluitur. ac secundus post ipsum, melancholicus, quoniam siccitatem habet, quæ ad hoc ipsi confert. Porrò multus quidem est in tertianis: minor in quartanis & in quotidianis. B C

54 *At vbi febricitare cessauerint, si febris adhuc signum permaneat, pulsusque ijs qui secundum naturam sunt, rariores & tardiores fiant: quartana vtique manifestè erit eiuscemodi febris.* D

Artificiosissime scriptor nullum accessionis tempus prætermittit. Ab ipso enim principio significationes assumpsit, qualis nam in ipso rigor extiterit, quærens: Ab ascensu item, & à vigore, quippe cùm dixerit pulsus in his temporibus frequentiores & celeriores esse: Quin & à declinatione quoque, cum eas cum sudore cessare asseruerit. Nunc verò ab interuallo dignotionem inducit, nã si ipsis febrilis inæqualitas adfuerit, etiam cessata febre: fuerint vtique hę quartanæ febres. Sed hoc commune sanè est quartanis, tertianis, & quotidianis febribus. Illud etiam maximè animaduertendum est, pu*lsus in his, dum sanitate fruuntur, hoc sustinere, ob redundantis succi qualitatem. E

Quoti-

A 55 *Quotidianam autem febrem his maximè notis deprehendes. humidiorem enim esse oportet eius caliditatem cum quadam acrimonia.*

Post tertianæ & quartanę dignotionem consequens deinceps est quotidianam etiam in medium adducentes, exquisitè eam dignoscere. Ac promptum quidẽ sanè erat dicere in hac febre omnia ijs quę in tertianis dicta fuere, contraria quærere oportere. Siquidem illæ ex calido & sicco succo eueniebant: hæ verò ex pituita, quæ frigida & humida existit. Nihil tamen absurdi est, clarioris doctrinæ gratia, particularia etiam addere, quæ methodo inhærent, dico sanè ea quę
B sunt secundum naturam, & quæ præter naturam, & quæ præcesserunt, & quæ præsentia sunt. Quę certè in hoc sermone inuenire licet euidenter exposita. Oportet igitur in his caliditatis qualitatem humidiorem esse cum quadam acrimonia: sed humidiorem quidem, ob succi naturam: acriorem verò, ob adiunctam sibi putredinem.

57 *Quæ non in prima statim iniectione occurrit, sed immorãte manu.*

In his enim caliditas ob succi crassitiem in profundo occultatur: nec tactu percipitur, qualis ipsa sit in prima manus applicatione. dũ
C autem immoratur manus, calore conuersationeque corpus calefaciendo, atque vnà meatus rarefaciendo, materiamque attenuando: reditione sua suam ipsius maliciam ostendit.

57 *Fumosam enim quandam caliditatem vapori multo commixtam extre arbitraberis: cùm potius ignis in humiditate multa suffocetur, quam ipse, materiam euincat.*

Quemadmodum enim in humidis lignis videmus: vt ipsa flammæ iniecta primum ipsam suffocant, ac vincere malunt, quàm vinci: vnde etiam fumus ex ipsis eleuatur, cùm ignis veluti suffocetur: eodem modo in quotidianis est videre caliditatem talem existere:
D cùm à multa humiditate innatus calor veluti obruatur.

58 *Sed & harũ pulsus pulsibus quartanarum multo minores sunt, quam quartanarum pulsus pulsibus tertianarum.*

Quod vult dicere, tale est: quartanas minorem habere pulsum quam tertianas: quotidianas verò, quàm quartanas. Subijciatur .n. verbi gratia duobus digitis quartanarum pulsum tertianarum pulsu minorem esse: inuenietur sanè pulsus quotidianarum pulsu quartanarum minor esse non duobus, sed tribus vel quatuor digitis: ita vt ex his concludatur, quotidianarum pulsũ minorem esse pulsu ter-
E tianarum: quinque profectò vel sex digitis. & hoc merito. Nam in quartanis licet frigidus sit succus & terrestris: non tamen multus, vt facultatem dissoluat. In quotidianis autem, quoniam frigidus est

& humidus, & sanè etiam multus, quantitate & qualitate ipsā obruens, necessariò minorem facit pulsum. A

60 *Rariores rursus quotidianarum pulsus pulsibus tertianarum tanto, quanto his pulsus quartanarum. in tarditate autē similiter in vtrisque habent.*

Obscurè hunc locum interpretatur. nos autem ipsum declarabimus. Rarus enim est pulsus & in quotidianis & in quartanis, tertianarum pulsui collatus. sed multo certè magis est rarior pulsus quatanarum: minus verò, pulsus quotidianarum. Duobus enim verbi gratia digitis quotidianæ pulsus pulsu tertianæ cùm sit rarior, pulsus etiam quartanæ duobus rursus digitis pulsu quotidianarum est rarior, vt rursus concludatur, quartanarum pulsum secundum præsentem hypothesim tertianarū pulsu quatuor digitis rariorem esse: Satius autem fuerit causam addere. Quoniam enim quartanæ quotidianis maiorem habent pulsū: ob id natura, pro ingresso aere magnitudine dilatationis contenta, rariorem fecit pulsum, in quotidianis verò contrà. Quare, quantum ad magnitudinem, & frequentiam spectat, quartanæ quotidianis maiorem quidem habent pulsum sed rariorem, quotidianæ verò quartanis minorem quidem sed frequentiorem. Illud verò tanto quanto his, non de tertianarum, sed quotidianarum pulsibus dicit. Tarditas autem in vtrisque est cōmunis. B C

61 *Minus autem siticulosa est febris hac quàm quartana, tanto, quanto illa quàm tertiana.*

Tertiana quidem vehementem habet sitim, quandoquidem duas obtinet qualitates, quæ ad eiuscemodi symptoma conferunt, caliditatem inquam & sicci tatem. Secundo loco post ipsam siticulosa est quartana, quoniam etiam siccitas squalorem inferens, sitim solet inducere. Pituitosa autem febris nullum eiuscemodi symptoma obtinet. D

62 *Et lingua, ac vniuersum corpus siccius est in tertianis: humidius autem in his febribus: & vomitus pituitosi, & quæcunque per aluum excernuntur, frigidiora, & humidiora, & crudiora, & aquosiora & pituitosiora sunt: ac in vniuersum, inconcoctis succis plenū corpus in his febribus comperies. Proindeque & in ætatibus & naturis & anni temporibus et temperaturis humidioribus accidunt. Iuuenem porro biliosum & siccum nunquam vidi hac febre captum. Pueri autem præcipueq; qui natu sunt minores: & ex perfectis qui pituitosiores sunt, & habitudine corporis crassa, & vitam ducentes ociosam, in re* E

A *in repletionibus ac ebrietatibus ac lauacris assiduis præcipueq́; post cibum: quotidianis febribus facilè corripiuntur. Sed & ex regionib. quæ humidiores sunt, ex anni temporibus hyems, ex aeris constitutionibus quæ humidiores sunt, maximè hanc febrem ferunt. Quòd si etiam tunc ipsa populariter vagetur, hoc quoque præter ante dicta non parum tibi ad eius dignotionem conducet.*

In quotidianis lingua ac totum corpus est humidius ob duas causas, tum quia multa pituita ex antegressis omnibus, in ipsis abundat:
B tum quia hæc pituita à calore febris funditur. Præcipueque qui natu sunt minores. In puerili ac senili ætate solet hæc febris accidere: in senili quidem, quoniam pituita in hac ætate colligitur ob assiduas in concoctiones ex imbecilli facultate prouenientes: in puerili autem licet calidior sit natura atque humidior, ob voracitatem tamen crudiora congeruntur excrementa. ex quibus putrescentibus, quotidiana febris oritur. Ac lauacris assiduis præcipueq́ue post cibum. Nā balnea, quæ post cibum fiunt, ea quidem excrementa quæ in superficie sunt, digerunt: id verò quod in ventriculo ac iecore est, adhuc inconfectum existens, trahunt, balnei calore distributionis celerita-
C ti conferente. hincq́; in ipsis succorum crudorum generatio prouenit. Ob hancq́; ipsam sanè causam nos in artis operibus, si aliquem humectare volumus, huic vespertina potius lauacra imperamus.

63 Non tamen accessiones harum febrium sudoribus finiuntur, sicuti in tertianis & quartanis.

In quotidianis, quoniam multa adest copia putredinosæ materię in profundo, eiuscemodiq́; succus glutinosus est: sudores certè nō fiunt, Morantia autem in profundo hæc excrementa, secundam rursus accessionem accendunt. Quare non est in ipsis inuenire purum
D interuallum, sicuti in tertianis et quartanis fieri conspicitur, in quibus sudor multus proueniens, accessionem iam factam soluit.

64 Vnde nec in manifestam integritatem præterquam paucæ quædam, veniunt.

In quibus pituita est pauca, nec admodum crassa, estq́; corporis habitudo rarior: in his contingit etiam sudores fieri, purumq́; interuallum. Quod verò nos in ipsis artis operibus vidimus, id dicamus, dictum sanè etiam ab antiquis, quamquam raro: nempe fieri sæpe numero quotidianā febrem ex pituita putrescente vel in ventriculo
E vel in intestinis, eiuscemodique febrem cessare intra quartam vel quintam diem, causa febris per clysteres solos vacuata.

65 Vrinæ autem, quæ quidem procedentibus his febribus fi-

unt, totius morbi tempora docent: quæ verò in principijs febris, A *etiam speciem tibi indicabunt.*

Superius dixerat maxima esse febrium signa tum pulsus tum vrinas. in significatione autem tertianarum & quartanarũ & quotidianarum nullibi dignotionem, quæ ex vrinis percipitur assumpsit. hoc ergo in loco eam ipsam ordinat, & ait, Vrinas quidem indicare posse & vniuersale morbi tempus, & ipsam etiam febris speciem. Nam si ipsæ plures quidem at inconcoctæ omnino sint, principium morbi ostendunt: si autem obscurum habeant concoctionis signum, ascensum: si subsidentiam habeant albam & lenem & æqualem vigorem: si perfectionem concoctionis obtineant, declinationem. Sed B hanc quidem procedente tempore videre licet. Quæ verò primo statim die apparent, ostendunt nobis qualis sit proposita febris.

66 *Nam quotidianis vel tenues sunt & albæ, vel crassæ & turbidæ & rubræ.*

Albæ quidem & tenues apparent vrinæ propter obstructiones, quoniam quod crassius est, cùm non possit per vrinas euacuari, id duntaxat quod aquosum est, percolari permittit. suntq; eiuscemodi vrinæ tenues quidem propter obstructionem: albæ verò, ob serosi succi colorem. Semper autem facultas, dum obstructionibus incumbit, aliqua vasa obstructione liberat, crassorumq; humorum portiones aliquæ vnà cum vrinis excernuntur. hincq; turbidæ apparent C vrinæ & crassæ: quin & rubræ etiam. nam crassum hoc quod fuit obstructum, omnino, à putredine quæ in seipso erat, exustum fuit.

67 *Tertianis verò vel flauæ vel subruffæ.*

In tertianis sanè vrinæ sunt flauæ vel subruffæ, quippe quæ cum xanthocholici succi colore conueniant.

68 *Quartanis verò multiformes quidem sunt, sed inconcoctæ. Et hæ quidem sunt intermittentium febrium notæ.*

In quartanis autem varias subinde vrinas inuenire licet, quoniam D & quartana ipsa ex diuersis succis generationem obtinet, vel fæculento sanguine, vt diximus, vel flaua bile superassata. Qualescunque autem fuerint vrinæ omnino inconcoctæ sunt. Repente enim hic succus haud quaquam sub alteratricem facultatem venit: cùm crassus, ægreq; alterabilis sit.

69 *Continuas autem febres præcipuè quidem ex eo noſces, quòd nullũ ipsis adsit ex ijs signis, quæ inesse oportere intermittentibus diximus.* E

Cùm tradiderit intermittentium febrium dignotionem, vult cõsequenter continuarum etiam dignotionem tradere. Facillimum

igitur

igitur est ipsas nosse, quod nullum ipsis adsit ex ijs signis quæ intermittentes ipsas febres comitantur. ea autem sunt, rigor, sudores, interuallum purum. Horum enim nullum est inuenire quod cõtinuis febribus adueniat. Quin & per quædam alia signa, harum febrium naturam percipere licet, præter id, quòd neque ipsarum magnitudo inconspicua relinquatur.

70 *Et si etiam intra vigintiquatuor horas non cessauerit febris.*

Sciendum est, tertianam nunquam vltra duodecim horas particularem paroxysmum extendere: quotidianam vltra sexdecim: quartanam vltra viginti quatuor. hæc autem in legitimis dicimus. Quandoquidem sæpius inuenire licet notham tertianam, quæ etiam vigesimam & quartam horam transcendat. verùm in legitimis sermo nobis sit. His enim cognitis nulla erit difficultas, eas etiam, quæ tales non sunt, dignoscere. Si ergo vigintiquatuor horas transcendat, hominem detinendo, præter id, quòd nullum adsit ex ijs quæ intermittentibus adesse diximus: scito eiuscemodi febrem non esse intermittentem, sed continuam.

71 *Si verò inæquale fecerit incrementum, hoc sanè præter alias notas, longius etiam tempus significat.*

Hoc signum non simpliciter continuarum est nota, sed quòd in longum tempus protrahetur morbus, Inæqualia enim harum febrium incrementa ex diuersis ac varijs succis fieri solent, in quibus sanè natura longiori tempore ad perfectam concoctionem elaborationemque indiget.

72 *Et sanè & id quod proprium est febrium signum in pulsibus, si euidens habuerint. Si verò inordinatio quædam ac inæqualitas, vel arrhythmia ipsis adsit: & hoc certè signum erit tum magnitudinis, tum quod non sunt ex intermittentibus.*

Hoc ait, non quòd intermittentes febrili inæqualitate priuatæ sint, sed quia in his maximè apparet, propterea quòd singulis dieb. accessionis causæ non difflentur: sed intus in profundo absconditæ perturbent, ac dissoluant facultatem. Enimuero & maior in his similiter (ait) fit inordinatio & inæqualitas & arrhythmia: quæ declarant, non tantum continuam esse febrem, sed insignem etiam magnitudinem habere.

73 *Si verò etiam dum tales permanserint, in tertia die maiorem accessionem indicarint, vel etiam deiectiones & vrinæ omnino inconcoctæ appareant, eiuscemodi febres non possunt circa septimam iudicari.*

VV

Hoc signum non amplius vniuersaliter omnium continuarum febrium est nota, sed Causorum (hoc est febrium ardentium) duntaxat, eorumque etiam diuturnorum. Si enim in his tertio quoque die accedentibus, concoctionis signum nondũ appareat, necesse est eiuscemodi febrem in temporis longitudinem extendi. A

74 *Si verò quarta etiam dies tertiæ similis conspiciatur:*

Similem ait esse tertiam diem quartæ, non secundum accessionis magnitudinem. hoc enim in febribus ardentibus non fit, sed potius quinta tertiæ est similis. quare non secundum accessionem hoc dicit, sed secundum deiectionum & vrinarum inconcoctionem.

75 *Ac febris veluti delitescens sit:* B

Delitescens (græcè σμυχόμενος) hoc est circa profundum se habens, nec facilè veluti elucere circa superficiem potens. Hoc autem fit ex immixtione pituitæ, quæ naturâ frigidior est, difficulterque accenditur, ac potius sensim succenditur. Quare diuturna est, cùm huius succi crassities pluribus ad concoctionem diebus indigeat.

76 *Nec facies nec vniuersa corporis habitudo concidat: eiuscemodi febris in longius tempus extendi solet. Tales quidem sunt differentiæ febrium symptomatis carentium.*

Et hæc nota est copiæ humorum, diuturnæque febris signum. Fit autem in his totum corpus non gracile pro febris ratione: sed potius tumidum, propterea, quòd qui prius erant concreti humores, nunc dum à febris caliditate funduntur, atque in spiritus resoluuntur: maiorem occupant locum, totumque corpus attollunt. C

77 *Curatio autem singularum deinceps scribetur. primum quidem intermittentium. secundo verò earum, quæ continuæ vocantur. Ex intermittentibus igitur acutissima simul & mitissima est tertiana.*

Acutissima (seu breuissima, græcè ὀξυτάτη) est eiuscemodi febris ob tenuitatem materiæ ipsam facientis, quæ facillimè concoqui potest, ac tenuari, digerique. Quia autem acutissima est, ob id etiam est mitissima. neque enim vires soluere præoccupat, quippe quæ citius recedat. Quinetiam, vt sæpenumero etiam diximus, leuissima cùm sit, ipsas non grauat. D

78 *Longissima autem, & tuta, quantum in se ipsa est quartana.*

Longissima quidem, ob crassitiem melancholici succi, qui ad sui concoctionem longiori indiget tempore: tuta autem, ob interuallorum prolixitatem, vno enim die fatigata natura, reliquis duobus requiescit, suumque peculiarem tenorem recuperat. Pulchrè autem di E

ctioni

A ctioni adiecit, quantum in se ipsa, Contingit enim aliquando temporis spatio vires defatigari. Quin etiam per diuturnos morbos sæpenumero in victus ratione delinquunt laborantes, vt qui exquisitam obseruationem eorum, quæ sibi ipsis à medico fuerunt imperata, paruipendant. rationique cõsentaneum est, ex hoc delicto periculum haud exiguum subsequi, quale sanè nequaquam ex ipsius quartanæ natura, sed ob aliquod eorum, quæ extrinsecus sibi forte contigerint, accidere diceretur.

79 *Quotidiana verò & longa, nec tuta.*

Iure longa est: quoniam pituita crassa est, difficulterque digeritur. B Tuta autem non est: tum quia accessionum continuitas nullo die quietem dans viribus, periculum minatur corruptionis, quotidie enim eiuscemodi febris inuadens, laxamentum quod satis sit, non præbet naturæ: tum quia os ventriculi in his affectum, continuas syncopas minatur. Si verò præter memorata, celeriter non cessat, sed in temporis prolixitatem extenditur: iure ex his omnibus periculum habet.

80 *Quare victus etiam rationem statim à principio instituere debemus, ad vniuersum morbi tempus respicientes. C nam in acutis ac celeriter vigentibus morbis etiam si quis admodum tenuem victum velit instituere, haud magnopere lædet. Quicunque autem diuturniores sunt morbi, in his nisi à principio vberiorẽ victum instituas, vel vnà cum morbo hominem perimes, vel non in tempore victum immutabis. Neq; enim accedente vigore vberiorem quàm prius, victum instituere oportet: sed contra summa illa totius victus tenuitas, quæ in affectu exhiberi debeat, in vigorẽ reseruanda est. Hoc igitur commune omnium febrium est. Præter hoc autem quæ D febrium intermittentium propria sunt, considerare oportet.*

Inquit omnium febrium hoc esse commune, summam illam victus tenuitatem in vigoris tempus reseruari semper oportere.

81 *Veluti statim in tertianis (neque enim deterius fuerit hinc auspicari) distinguendum à principio est, an exquisita, & (vt quispiam diceret) legitima, vel non exquisita, sed veluti notha sit.*

E Diuisionẽ superius diximus, queadmodũ febriũ aliæ ex spiritib. alię ex humorib. aliæ ex solidis fiãt: & quę ex succis cõstituũtur, alię sine symptomatib. aliæ cum symptomatibus sint: & harum aliæ sint

continuæ, aliæ deficientes. Nunc aliud quid addendo, perfectissimã ipsam facere vult. Sicuti enim nullum ens effugit quin adulterari possit, secundum speciem dico: quamuis enim non omnia particularia adulterentur, non potest tamen omnino species aliqua inueniri, quæ non adulteretur. Sic exempli causa duo contraria cùm sint album & nigrum, vtrunque adulteratur alterius admixtione. licetque inuenire album, aliud quidem exquisitum, aliud autem non exquisitum, quòd moderata quædam nigri portio ipsi admixta fit, quæ ob paucitatem sensum latet. sic sanè etiam in omnibus alijs se habet. Sicuti igitur in his diximus: ita quoque in febribus fieri conspicitur exquisitæ enim & legitimæ dicuntur febres, quæ mixtione carent. quæcunque verò substantiam quandam alienam immixtam habẽt, hæ adulteratæ ac nothæ sunt. Animumque diligenter ad harum dignotionem attendere debemus: cùm curationis diuersitatem haud exiguam esse non ignoremus. A B

82 *Nam tertiana exquisita, quod longissimum est, in septem circuitibus iudicatur, præter id quòd tutissima est. alteram verò, quæ non exquisita est, vidi quandoq; autumno quidem incepisse, vere autem cessauisse. postea, vt par erat, in tanto tẽpore, tum quia & ipse æger non admodum medicorum mandatis obtemperaret. sed in aliquo delinqueret: tum quia ab hyeme læderetur:* C

Hoc tradiderat Hippocrates, sicque habet rei veritas. Nam exquisitarum tertianarum extremus terminus est quarta & decima dies. ac intra hanc quidem contingit tertianam iudicari: extra verò vt exquisita ac legitima tertiana prouehatur, minimè fieri potest. Quòd autem septem circuituum concursus quatuordecim solos dies perficiat, cognoscere poteris, si ipsos circuitus computaueris. Nam primus circuitus est tertia dies: secundus, quinta: tertius, septima: quartus, nona: quintus, vndecima: sextus, tertiadecima: & accedit quarta & decima, quæ reliquum est septimi circuitus. D

83 *Lienq; maximè intumuit, & hypochondria flatu sunt distenta.*

Hoc fieri contigit ob assiduas inconcoctiones, ex quibus cùm quotidie pituita gigneretur, atque in spiritus crassos resolueretur, tum lien auctus est, tum totum etiam corpus tale euasit.

84 *Ac iam subtumida quædam erat decoloratio tum circa faciem tum non minimè in cruribus.* E

Decoloratio quidem, propterea quòd non amplius sanguineus efflo-

A efflorescеret succus, cùm eius color à pituitæ immixtione inficeretur ac tingeretur: Subtumida verò, ob flatuosorum ac crassorum spirituum redundantiam. quæ sanè res etiam in toto corpore fiebant: præcipuè verò apparuere circa faciem & crura. verùm circa faciem, quia pars illa expers carnis magis est: circa crura verò, quidam sanè conati sunt dicere. quia hęc ipsa crura cognationẽ cũ hypochondrijs habeant, vt ostendit eorundem crurum in hydropicis superinfusionibus intumescentia. hoc igitur etiam in loco (aiunt) hypochõdrijs flatu distentis & ipsa intumuisse. Nos verò dicimus, crura ignobiliora cùm sint, proculque ab innato calore positionem habeant, suas B ipsorum facultates non admodum valentes obtinere: atque contingere quidem tunc vt totum corpus afficiatur, præcipuè verò hæc ipsa crura ob naturalem ipsorum imbecillitatem: ita vt quod nutrimenti ratione in ipsa defertur, inconcoctum relinquatur, atque in spiritum transmutatum ipsa attollat. Enimuero nonnulli quęrunt, cur non etiam in manibus illud idem accidat, siquidem & ipsæ eiusdem generis cum cruribus sunt. cola enim (idest artus seu membra longa) sunt tum pedes, tum manus. Respondemus, manus, quòd cordi sint vicinæ, ob ipso calefieri, ob idque eiuscemodi symptomata C non sustinere.

*85 Ita vt de adolescente timuerimus, maioribusq́; præsidijs indiguerimus. Sic talis tertiana nihil tertianæ exquisitæ simile habet. Quare ab initio eas distingui oportere dico. quantum enim natura differunt, tantum etiam rationi consentaneum est diætæ modum permutari. Quomodo igitur optimè distinguantur? sat mihi est quæ adolescenti contigerunt, scribere: quæ exempla simul non exquisitarum tertianarum monumen*D *taq́; tibi futura sunt.*

Metuimus inquit de hoc adolescente, qui tali febre febricitarat, ne tandem in hydropem ipsi affectus hic incideret: cùm totius corporis temperamentum refrigeraretur, ac vires à febris longitudine deijcerentur.

86 Erat anni tempus medium inter Pleiadum occasum, & antegressum æquinoctium.

Hoc in loco in medium affert narrationem adolescentis qui ter-E tiana notha febricitauerat. Vt autem eius negotium perdiscatur, clariorque fiat doctrina, scire oportet duo esse æquinoctia: alterum, quod vere: alterum, quod autumno euenit. Hoc ergo in loco id intelligit, quod autumno euenerat. Antegressum autem dixit, ad Ple-

iadum (hoc est Vergiliarum) occasum referens. Verùm ne in lógius A sermonem protrahamus, si quænam sint Pleiades, & qualis sit ipsarum occasus, qualisque sit ortus, quærere volumus, ob idque auditores confundamus: his tantùm dictis, ad propositum reuertamur, hoc est febrem hanc circa autumni medium incepisse, ita vt tunc ab anni tempore adulteraretur, oportuisset enim, si legitima fore debuisset, principium in æstate habuisse.

87 *Inceperat autem cum horrore febris adolescenti.*

Et hoc signum est, notham esse ipsam tertianam febrem, quippe tertianis exquisitis semper inest rigor vehemens: quotidianis verò refrigeratio, quorum vtrorunque medium est horror. B

88 *Circa aurorā ferè ita vt nec caliditate similis tertianæ videretur, nec pulsibus: sed nec bilis vomitus secutus est, nec sudor sufficiens. sed solùm in secunda, die hora ferè tertia pauci madores aduenere. ex quibus transpirabat quidem febris, sed adeò sensim, vt circa vesperam ferè vix à febre liber esse videretur. Mansit autem nimirum in pulsibus ipsi febris signum satis manifestum. In reliquis verò etiam facilè admodum se habuit circa vesperam & per totam noctem. Rursus verò circa tertiæ diei auroram, secunda inuasio fit, primæ in omnibus C præterquàm in tempore similis.*

Et hinc quoque adulteratur. quippe oportuisset, si ipsa legitima fuisset media die inuadere, quando Sol supra verticem nostrum existens, ea quæ hic sunt, calefacit, ac talem procreat succum, à quo legitima tertiana fieri solet. Erat autem ma*nifesta eius caliditas, cùm non tantum incendij acredinisque haberet, quantum legitimæ febres habent. Sed neque pulsus huic erat maximus & celerrimus ac frequentissimus, sicuti in tertianis exquisitis est. sed omnia imminuta habebat, ob pituitæ admixtionem. quare nec bilis in hoc vomita est, quia neque sola bilis abundabat, sed cum pituita. Sudores D autem pauci aduenere: non sanè tam copiosi, sicuti in sinceris tertianis adueniunt.

89 *Superueniente enim nocte paulum ante lucem madores aduenere: & febris cessauit circa quartæ diei auroram. Ac reliquo toto autūno hyemeque quo tempore ægrotauit, tum cætera omnia, tum tempus inuasionis & solutionis febris eodem modo permanserunt.* E

Ex his sanè perspicuum est, primum paroxysmum fuisse triginta septem horarum: secundum autem, vigintiquatuor horarum. Opor-

A portuerat autem, si fuisset tertiana exquisita, vltra duodecim horas (vt superius diximus) nō trāscendere hunc paroxysmum. Contigit autem primum paroxysmum secundo longiorem fuisse, vel quia copiosior in hoc esset materia vel quia delictum aliquod commisisset adolescens, aut in febre tanquam nondum eius febris natura perspecta, aut etiam ante febrem.

90 *Agebat autem adolescens circiter decimum octauum ætatis annum: albus aspectu, & pinguis, vitæ deditus ociosiori, ac sæpe numero antea crapulis lauacrisque assiduis ac sacietatibus vsus. quare neque probè cibos concoquebat.*

B Hoc in loco ostendit. quemadmodum à temperatura, & ab ætate, & ab alia viuendi ratione huic adolescenti pituitosus redūdabat succus. Dubitantque nonnulli dicentes, cur non sanè hoc in loco iudicanda potius sit hæc febris, quotidiana notha, quàm tertiana notha. Nos certè dicimus, inuasionem paroxysmi tertio quoque die redeuntis hoc prohibere: quippe si singulis diebus inuasisset, iudicaremus vtique cotidianam potius quàm tertianam dominium obtinuisse.

91 *Simul autem & ei quoque accessit pulsus durus in prima quidem & secunda die mediocriter: in tertia autē & quarta & reliquis sequentibus vsque ad septimam ad tantam per-* C *uenit duritiem, vt siquis soli pulsui credidisset, multorum mē sium morbum fore putauisset.*

Hoc præcipuè eueniebat ex succi refrigeratione, quæ ob talem qualitatem, arteriæ corpus congelabat, durumque efficiebat pulsū. Porrò circa quidem primam & secundam diem cùm nondum commotus esset eiuscemodi succus, parum sanè durus erat pulsus. Postea autem soluto ipso succo atque fuso à febris caliditate, durior euasit pulsus. Posset etiam dici ab hypochondriorum distentione duritiem ac tentionem habuisse.

D 92 *Talisque perdurauit vsque ad vernum æquinoctium, in quo primum cœpit mollescere. Postea rursus quadragesima die perfectè liberatur à tertiana, paulatim tum pulsu emollito, tū paroxysmo minori euadente, tum vrinis subsidentiam bonam habentibus. etenim hæ quoque in priori tempore admodum erant inconcoctæ.*

Hoc verò in loco deinceps incepit mollescere, atque ad morbi ascensum accedere: ac cùm in ascensu quadraginta diebus mansisset, E à febre liberatus fuit non criticè: neque enim confestim, vel agonistice. id est cū certamine solutus est morbus: sed paulatim συνεπέφθη, id est concoctus est, vt ex signis disci potest. Nam & pulsus per-

mutati sunt, & paroxysmus moderatior euasit: ac concoctionis si A
gna bona in vrinis apparuerunt: subsidētiaq; alba, lenis & æqualis.

93 *Talis quidem tertianæ exquisitæ maximè contraria est: reliquas autem intermedias, quæ permultæ sunt, ex extremis definitis haud difficulter inuenies. quæ enim in principio sermonis tertianarũ febrium inditia scripsi, hæc si omnia adsint, exquisitam tertianam faciunt. cui omnino paroxysmo tempus breue, horarũ sanè quatuor vel quinque vel sex, vel quod longissimum est, vndecim, aut duodecim. Vrinæ etiam taliũ febrium in tertia die vel omnino in quarta aliquod cõcoctionis* B *signum ferunt. Sic ergo exquisitam & non exquisitam tertianam cognosces: simili etiam ratione quartanam & quotidianam. Cui enim insunt omnia quæ superius descripsi quartanarum febrium inditia, legitima illa atque exquisita quartana est: cui verò non, notha illa est atque non exquisita. Et ex quotidianis, cui omnia quæ scripsimus adsunt, exquisita illa est: cui verò non, non exquisita.*

Maximè contrarium dicit legitimum & nothum. Quanquã legitima quotidiana legitimæ tertianæ maximè contraria est. tanquàm C
hæc quidem à succo calido & sicco fiat: altera verò à pituita frigidam & humidam naturam habente. Sed expositam nunc febrem ait vt notham maximè contrariam esse exquisitæ tertianæ. cùm enim multæ aliæ nimirum nothæ existant, pro ratione maioris vel minoris permixtionis pituitæ: hæc sanè omnium maximè notha est.

94 *Non igitur æque diuturnæ sunt quartana & quotidiana, quæ non sunt exquisitæ, sed sicuti tertiana exquisita, acuta* D
est: sic quartana & quotidiana exquisitæ, diuturnæ.

Tertiana adulterata diuturnior est: quartana verò & quotidiana, non ita: sed quantum adulterantur, tantum etiam temporis longitudo in his minuitur, & hoc meritò. Nam cùm tertiana à flaua bile, quæ tenuium partium est, fiat: adulteratur profectò, cùm ea crassarũ partium fit. In quartanis autem & quotidianis, quoniam ex sui naturà crassa est materia: si adulterari debet, ex bilis certè, quæ tenuiũ est partium, permixtione adulteratur. hincque cùm non tanta indigeat concoctione, in exiguum necessariò tempus extenditur.

95 *Hæc quidem in ijs qui per circuitum febricitant, considerare oportet. In alijs verò febribus, vrinas, & deiectiones, & totum corporis habitum inspicere oportet, caliditatem quoque,* E

A *atque arteriarum motionem, & quacunque alia prater hac, Hippocrates longaque experientia considerare iubent, nempe regiones, anni tempora, aeris constitutiones, atates, temperaturas corporum, cõsuetudines, & causas antegressas, & qua simul cum morbis inuadunt, & qua in medio tempore apparent.*

In febrib. intermittentibus (ait) prædicta signa quo tempore morbus euentum exitumque sortietur, præsagiunt. veluti, si rigor in tertiana concussorius sit, breuis temporis est eiuscemodi febris: si autem non concussorius, sed potius horridus. multi temporis: & in re
B liquis eodem modo. In cõtinuis autem (has enim intelligit, alias febres) quoniam rigor non adest, nec sudores, nec interuallum, vnde temporis longitudinem considerabimus? In his certè animaduertere oportet vrinas & deiectiones ac concoctiones quæ circa hæc sunt, si eæ celerius vel tardius appareant. nam si celerius appareant, acutior erit morbus: si autem tardius, diuturnior. considerare etiam oportet totum corporis habitum si rarius id ipsum est vel densius. nam densa durabiliores solent facere febres, cùm in se ipsis earum causas cohibeant: rara verò, contrarium. Oportet autem animaduertere & ipsam caliditatem. nam si multa sit, & facilè moueatur, acutus est morbus, si verò veluti sensim succendatur, difficulterque
C moueatur, diuturnus est. His etiam adde & quæ à pulsibus sumuntur ac à reliquis eiusdem ordinis vniuersis. Tempore enim æstatis, inuadente febre, celer expectanda est liberatio: autumni autem tempore vel hyemis, tarda. & reliquorum eodem modo.

96 Totum igitur, vt cuipiam videatur, admonitum est: non tamen re vera ita se habet. nam quod maximum horum omnium est, dictu autem breuissimum, nondum scriptũ est. Quid verò hoc est? quantitas morbi & facultatis: res, qua ad eam
D *quidem explicandam vno indiget verbo: ad vsum verò maxima est. Neque enim rectè pranosse possis, nisi singulorum pradictorum quantitatem diligenter pensites. Nam an morbus sit exitialis, an non: & quando maximè possit mori homo, vel ab affectu liberari: nisi omnium pradictorum qualitatem diligẽter contemplatus, in duo capita redegeris, nimirum in ipsum morbum, & agrotantis facultatem: rectè vtique prascire non poteris. Nam si facultas adeo valida sit, vt morbum superet, ho*
E *minẽ saluari est necesse: si verò secus sit, omnino morietur. Nõ igitur solum qualis idea sit ipse morbus, sed & quantus sit, inspicias.*

XX

Quod vult dicere,tale eſt.Poſſunt quidem etiam ea quæ diximus, morbi exitum ſimul & tempus prænunciare: ſed id quod horum omnium eſt ſummũ caput, nondum diximus: res, quæ dici quidem facile poſſit, cognoſci autem recteque attingi, niſi diuturna longaq; experientia non poſſit, quantitatem dico. Oportet enim conſiderare non ſolùm ſpeciem morbi ſed etiam quantitatem. ex hoc enim diſcere poterimus, an ſalutaris ſit morbus an pernicioſus. Nam cùm paruus eſt morbus, æger ſaluabitur: cùm verò magnus, morietur. Sed & horum vtrunque quando eueniet, ex nullo alio diſcere licet, quam ex exquiſita cognitione quantitatis. Itaque oportet vires ſemper morbo opponere, atque vtrum ex his fortius ſit, perpendere. Si enim vires ſint imbecillæ, ex hoc nos coniectantes prædicere debemus, quemadmodum ipſe ad vigorem vſque reſiſtere non poterunt: ſed morbi fortitudine defatigatæ deficient. Si verò contrarium ſit, nempe vires ſint robuſtæ, morbus autem imbecillus, perſeuerare ac perdurare aduerſus pugnam poterunt, ac poſtea ſuperſtites factę ſeipſas hominemque ſaluare. A B

97 *Non parua autẽ hoc indiget peritia tum propter alia, tũ quia nec ſcribi nec omnino doceri poteſt ſingulorum quãtitas.*

Speculatio inquit quæ circa quantitatem verſatur, multa atque aſſidua indiget meditatione in operum artis peritia, tanquam per hanc ſolùm ea rectè attingi poſſit. ſermoneq; explicari minimè poſſit: quinetiã, quia vtilis eſt ad ea quæ diximus: (hoc enim eſt, quod ait, tum propter alia) vel quia ex ſui ipſius naturà, difficilis ac moleſta eſt. Quare tanquam adhortatur hoc in loco Galenus, in quantitate percipienda aſſiduè verſandum eſſe, quòd & vtilis ea ſit, & ſermone rectè attingi non poſſit. Iam enim in huius libri principio diximus, Quantitatem propriam eſſe vniuſcuiuſque: cùm autem quæ propria ſunt, ſcribere non poſſimus, (quippe quæ infinita ſint) neceſſariò ad communia nos conuerti, quamuis vſu ſint ſecunda. C D

98 *Et ſi id quod noſtrum eſt, aliquid forte eſt, ex nulla alia re ad tantum perfectionis venit, quàm ex adhibita præcipue exercitatione circa quantitatis coniecturam. Hoc quidem in ipſis operibus & diſci & doceri poteſt. Quæ verò in qualitate determinationem habent, hæc nos diligenter ſimul ac manifeſtè, quàm breuibus fieri poterit, ſcribemus.*

Hic locus, an ab antiquis explanatoribus ſimili modo exponatur, neſcio. Dimiſſis autem eorum nugis, quod verũ eſt, dicamus. quod enim dicere vult, tale eſt. Si forte excellentes, conſpicuique in arte medica euaſimus, ex nulla alia re hoc nobis euenit, quàm quia in percipienda quantitate diligentes fuimus. Et quia dixit, forte (græce ἄρα E

morum

A morum modestia vsus est, nolens bonæ famæ & laudis, quam apud multos habebat, se ipsum sibi ipsi esse testem.

99 *Exquisitam ergo tertianam, vt in qua bilis commota dominetur, humectare & refrigerare oportet, quo ad fieri maximè potest.*

Post febrium dignotionem tum intermittentium & continuarũ tum legitimarum & notharum, consequens deinceps est curationem etiam tradere. Pręferatur autem in hoc ordine tertiana, quẽadmodum etiam in dignotione præposita fuerat. Verùm curationem facere oportet ad duos quosdam scopos respiciẽdo. Cùm enim B in febribus quæ ex succorum putredine proueniunt, & materia & qualitas redundet: materiam quidem vacuare, qualitatem verò alterare oportet: quemadmodum si quid deficeret, addendum esset. Enimuero in tertianis quoniam qualitas præcipue infestat: contra hanc ipsam instamus, refrigerantes. s. & humectantes. minus autem vacuamus. In quotidianis autem magis contra materiam quã contra qualitatem pugnamus. quandoquidẽ qualitas non admodum dominatur, propterea quòd frigidus & humidus sit, earum succus.

100 *Nã contraria contrariorũ sunt remedia: quæ quidem* C *quod superat coerceant: quod verò deficit, suppleant. Flauæ autem bilis succus omnium qui sunt in corpore succorum calidissimus ac siccissimus est.*

Hæc sententia est Hippocratis, omnique alia re maiorem habet veritatem, Ne tamen quispiam sophista vos seducat, inquiens, Cõtraria contrarijs non curari, sed potius tolli. nam si calidum à frigido & frigidum à calido corrumpitur, quomodo, quæ, corrumpuntur, curari dicentur? Ob hos sanè illud addi oportet, Contraria contrariorũ dici remedia. tanquam ad subiectum sibi ipsis corpus relata. D nam corpus est id, quod curatur. Hoc pacto abutentes sæpius dicimus morbum contrarium esse sanitati. & ijs qui diligenter considerant, morbo morbus esset sanè contrarius. calido enim frigidus diceretur esse contrarius. Sed profectò hæc dicimus ad subiectum respicientes corpus, quoniam cõtingit ipsum à sanitate quidem conseruari: à morbo autem corrumpi. Quòd autem corruptio conseruationi sit contraria, nemo (arbitror) qui sanæ mentis sit, dubitat.

101 *Adhortari igitur oportet, vt qui ad ventriculum confluit, vacuetur per vomitum: qui verò deorsum subit, per inferiorem excretionem. hoc quidem etiam sponte fit in exquisitis* E *tertianis. Vrinis etiam ac sudoribus iter præbere oportet. bonæ enim sunt & quæ per has *vias fiunt bilis purgationes.*

* *Ita legunt antiqui codices. impreßi tamen habent inferiores.*

Quod vult dicere tale est: oportet vacuationem fieri vel sensibilem vel insensibilem. Est autem sensibilis quidem vacuatio, quę per aluum fit, vel vomitum, vel vrinas, vel sanguinis eruptiones: insensibilis autem quæ per occultos meatus fit. Definiet autem tibi talium quodque ipsa succi inclinatio, quæ interdum quidem vergit ad ventriculos, quo tempore oportet ipsum per vomitum euacuare: aliquando autem potius decliuis ad intestina repit: nonnunquam verò facilius per vrinas vacuatur: sæpenumero autem promptitudinem habet, vt per superficiem ac per meatus quæ in ipsa sunt, digeratur. A

102 Verùm ventrem quidem mollibus clysterijs vacuare oportet. B

In tertianis, quoniam multa est siccitas, oportet clysteria assumere, quæ humectare ac emollire potius valeant, non siccare. Nam cùm ex eiusce modi clysteribns intendatur intemperies, magis corpori officit.

103 Vrinas autem prouocare, apium & anethum in potionibus madefacientes.

Quemadmodum purgantium medicamentorum, alia ad alium succum attrahendum proprietatem habent: veluti verbi gratia scamoneum flauam bilem, epithymus melancholicum succum, pituitam colocynthis: Sic & medicamētorum vnumquodque ad aliquam corporis particulam naruralem habet vel sympateιam. vel antipatειam. Vnde nanque cantharides gulam, & ventriculi os, & ventriculum, venasque mesaraicas, & iecur, & renes, ac vrinarios meatus prætergressæ, vesicam solam vlcerant: vnde solùm pulmonem lepus marinus exulcerat: Sicuti igitur hæc naturalem antipatειam habent: sic & alia naturaliter apta sunt, nonnulla per vrinas, nonnulla per aliam viam excrementa vacuare. Vocāturque quæ per vrinas materiam vacuant, diuretica id est vrinalia. opusque est in tertianis, ipsis vti: quippe cùm per hæc ipsa, febrium affectionem paulatim compilemus. C D

104 Et si concoctionis signa tibi appareant, audacter iam absinthium dare potes. quod alioqui maximum remedium est mordicationum stomachi ob bilem euenientium.

Absinthium duas habet facultates, astrictoriam & purgatoriam. Si ergo dum adhuc succus est inconcoctus, ipsum exhibeamus, adstrictione magis condensat materias. ita vt pugna quædam fiat: purgatoria quidem facultate, excernere volente succum: astrictoria verò, retinente. hincque intus affligitur natura, ab vtroque horum vexata. Si verò post cōcoctionem exhibuerimus absinthium, tunc pur- E

gatoriæ

A gatoriæ actioni adſtrictoria non reſiſtit: quin potius confert: ſtringendó enim exprimit: ſicuti qui manibus ſpongiam ſtringunt, humiditates in ipſa contentas foras exire faciunt.

105 Et præcipuè ſi ex ipſius coma quantum ſatis ſit madefeceris.

Sciendum eſt quemadmodum quarundam herbarum inuenire licet, radices eſſe efficaciores: quarundam verò ramos: aliarum verò ſemina: ſicuti aliarum, folia In abſinthio igitur coma eſt efficacior: quippe quæ tenuiorum ſit partium, quàm ipſæ radices. Oportet autem ipſam exhibere prius in aqua madefacientes & decoquen

B tes, vel etiam ſubſtantiam ipſam tondentes atque calidæ aquæ vel melicrato immiſcentes, vel prout vſus in præſens expoſtulauerit.

106 Lauacra autem calida ex aqua potabili partim euacuant, bilem ducendo: partim qualitate ſua magnopere iuuant.

Vnumquodque ex memoratis præſidijs quanquam materiam euacuabat, eamque ex accidēti refrigerabat rei calefaciens abſentia, aliam tamen introducebat calidam qualitatem. Lauacrum autem & materiam euacuat, & qualitatem non auget calidam ſiccamque: ſed contrà, ipſam extinguit tum refrigerando, tum vtilem meatibus

C humiditatem inferendo. Iam verò prius diximus in ſuperioribus quæcunq; de lauacri facultate & ipſius partibus dicere oportuerat.

107 Humectant enim ac refrigerant facultate omnia eiuſcemodi lauacra. Marina autem, & ſalſa & nitroſa & ſulphuroſa plus quidem bilis educunt, multò tamen minus quàm potabilia proſunt. Satius autem eſt dicere neque ea prodeſſe: cùm plus qualitatibus lædant, quàm euacuationibus iuuent. Equidem noui quēdam corrupta ratione hiſce lauacris vti perſuaſum: deinde corporis habitu vſque adeo exiccatum, vt tabefa-

D *ctus interierit. Intēdebatur autem reliqua etiam victus ratio vniuerſa ad bilis vacuationē. At contrarias qualitates qualitati præter naturam excedenti ſemper opponere oportet* Ac magna ex parte hoc melius eſt) quā quomodo* libet euacuare. Quod ſanè nec ille nouerat, nec alijs docentibus didicerat. Itaque in lauacris hic tibi ſit ſcopus, madefaciendi humectandique corporis: ob idque nec nitri nec ſalis nec ſinapis quicquā inſpergendum eſt: qualia factitare plurimos videre licet, qui*

E *ægrotos affligunt.*

* Ita legunt antiqui cod. græci, latini tamen interpretes legunt cū hoc multo plus iuuet.

* Non eſt in antiquis.

Probè addidit, facultate: quandoquidem marina & nitroſa & ſalſuginoſa lauacra prima quidem inſpectione atque imagine, humi

da ſunt: non tamen humectant: quin contrà, exiccant. Potabilium A autem aquarum vſus & imaginem & facultatem humectantem habet. Enimuero facultas ipſa ex actione inquirenda eſt.

108 Sed quam maximè calidum oleum perfundentes, in aquam ducere, & madefacere.

Hoc enim poteſt tum meatus rarefacere, ob idque materiam digerere: tum profectò ſolidas etiam particulas humectare.

109 Et ſi in ea natare velint, ijs quãtũ poſſunt concedendũ eſt.

Probè addidit, ſi velint. oportet enim aliquid ægrotantis voluptati gratificari. Hunc autẽ in natatorio latiore aſſumit, vt ſanè natu- B ra latiorem locum pro natatione habens, ad voluptatem ſe extendat: ac magis aquę qualitate fruatur, refrigerando ſe ac humectãdo.

110 Qui verò balneis delectantur, nec ſi bis die laues, peccabis. Sed in tempore maximè hoc tibi memoriæ ſit.

Hippocrates à conſuetudinibus indicationem ſumpſit. Itaque primum quidẽ lauacrum ob affectum aſſumatur: ſecundum autem, ob indicationem à conſuetudine ſumptam.

111 Et ſi etiam concoctionis morbi ſigna appareant, ſi ſæpius etiam laues, non peccaueris. C

Idoneum ipſis ex hoc videtur lauacrum in tertiana, etiam ante cõcoctionem aſſumptum. Inquiſitioneque dignum eſt, quomodo nõ intendat augeatque obſtructiones: cùm in balneis ſoleant ſucci fundi, & ex obſtructionibus poſtea febres intendi. Dicimus ergo, quoniam in tertianis febribus qualitas magis, quàm materia nocet: ob id eum etiam ante concoctionem lauacrum aſſumpſiſſe. Quod autem ante concoctionem lauari iubeat, ipſe ſignificauit, inferens, poſt concoctionem ſi plus quàm bis eos laueris, te non peccaturum. Tunc enim materiæ concoctæ atque attenuatæ, facilius per ſu- D dores excernuntur, meatibus iam rarefactis.

112 A vino autem antequàm concoquatur morbus prorſus, arcendi ſunt: at vbi concoqui cœperit, tenue & aquoſum & paucum ab initio eſt dandum: cùm autem propè eſt vt ſoluatur, copioſius.

Meritò poſt lauacrum, vſum vini meminit: quoniam tunc, cùm à balnei calidita[illegible]itis ipſis adueniat, potum dare debemus, non aquã (hæc enim in hypochondrijs morando alioqui nocet) ſed vinum. Quandoquidẽ vinum, cùm celerius diſtribuatur, poteſt tum excretiones vniuerſas prouocare, tum facultates roborare, tum ſuccos in E bonam temperaturam transferre, dum ipſum in ſanguinem conuertitur, atque inutiles materias exornat ac tranſmutat. Sed id ipſum

dandum

A dandum non est ante concoctionis tempus: tunc enim materias fundendo, obstructiones auget: sed potius post concoctiones, vt memoratas res efficiat. Prouidendum autem est vt tenue sit, facileque distribuatur, multamque habeat aquæ admixtionem: non antiquum, nec naturà calidum: coloreque sit album, potius quàm nigrũ.

113 *Cibaria autem quacunque humectant ac refrigerant, omnia sunt vtilia tertianis exquisitis.*

Cibariorum inquit qualitas tertianæ febris qualitati in contrarietate respondeat, frigidæ & humidæ facultatis existens. Qualitas sanè hoc modo nobis dicta est.

B 114 *Quantitas autem in ipsis sit tanta, quantam probè concoquere possint, ex oleribus quidem atriplex, blitum, lapathum, malua, lactuca, & cucurbita.*

Vnumquodque concoqui potest, quando nec grauatur ab eo ventriculus, nec (ἀπέπτει hoc est, vt ita dicam) inconcoquit. accidet enim rursus vt excrementa ab inconcoctionibus per circuitum quendam gignantur, ac circulo febris augeatur.

115 *Ex alijs autem & ptissanæ cremor.*

C Ptissana in his vtilissimum est remedium. quippe quæ potest tum febrem refrigerare atque humectare, tum materiam farctu liberare. abstersoriã enim quandã obtinet facultatẽ. quin & facultates nutrit.

116 *Et ex chondro sorbitiones.*

Chondrum vocabant antiqui ipsam alicam. Oportet autem ipsum assumere, in quibus caliditas multa in ventriculo adsit, velimusque vt ipse in ventriculo permanens, aduersus malam temperaturam pugnet. ac præsertim si os ventriculi facile bilescit. Potest. n. cùm crassus ac tenax sit, caliditatem quæ in ipso est, extinguere. Obseruandum tamen est, ne in his alui sit suppresio. quippe cùm talis sorbitio ma-
D gis ipsam supprimere soleat.

117 *Ac ex piscibus saxatiles.*

Ex piscibus marinis alij littorales, alij saxatiles, alij pelagij sunt. Inter hos præstantissimi sunt saxatiles: quandoquidem vnde saxis scopulis ve illisæ, assidue ipsos mouere ac excrementitiam ipsorum humiditatem absumere faciunt. Littorales autem pessimi: quandoquidem nutrimento fæculento nutriuntur: præcipueque si vrbs propè littora sita sit, cuius excrementa, ac canales ipsa suscipiat. Pelagij verò mediam habent naturam, nec ita prauam vt littorales, nec
E ita excrementis vacantem, vt saxatiles. illorum enim fæculentiam non habent: horum verò exercitationem, quæ motu fit, declinarũt.

118 *Et ex volatilibus, quæ molli sunt carne.*

Domeſticas aues (quas gręci κατοικιδίους vocant) intelligit, & phaſianos. oportet autem hęc volatilia, parua aſſumere. quippe cum humidior adhuc, facilisq́ue ad concoquendum ſit eorum caro. A

119 *Et ex ijs quæ talia non ſunt, alæ. Et ſanè gallorum quoq; teſtes dandi.*

Et ex ijs quæ talia non ſunt, id eſt quæ non ſint molli carne prędita, ſed adulta. cùm enim ſępius nobis deſint parua, adultorum alas exhibemus, quandoquidem hæ ob exercitationem, quæ ex volatu fit, excrementis vacant. Illud autem ſciri oportet, quod & experientia à nobis inuentum eſt, ſi ventriculus multam habeat caliditatem, B potius alas à nobis iniungi: quippe quæ neruoſiores ſint, difficulterque corrumpantur. ſi verò innata caliditas pauca ſit, tunc potius ventres à nobis exhiberi: vtpotè qui carnoſiores ſint, ac vtilem quandam caliditatem habeant. Dandi autem ſunt gallorum etiam teſtes: cum boni ſucci ſint, ac nutriant, minimumque excrementitij habeant.

120 *Et ſuum pedes, & cerebra. minorum verò ſi etiam ex carnibus liquefactis dederis, nihil lædes.*

Pedes accipit ſuum, quoniam exercitati ingreſſu excrementis vacant. Sed & cerebra offerre oportet, obſeruantes ne cuius ſtomachus C Aſodes id eſt faſtidioſus ſit. Solet enim eiuſcemodi edulium ſtomachum mouere.

121 *Sed & vt oua ſorbeant concedendum eſt, ac præcipuè vitellos, facilius enim ij quàm albumen concoquuntur. et ex pomis (quæ Opora gracè dicuntur) concedendum eſt vt illa deguſtent, quæ non omnino ad concoquendum difficilia ſunt. Abſtinendum autem eſt à melle, & ſinapi, & ſalſamento, & ab acribus omnibus, & à vinis admodum antiquis, & quæcunque D natura, calida ſunt. Hæc ergo victus ratio multorum, ad coniecturam tibi ſit expoſita. Qui verò non deliciantur, ijs victus ratio eſt inſtituenda (ſicuti & mihi aliquando in exquiſita tertiana inſtitutam fuiſſe noſti ex Hippocratis ſententia) ex ptiſſanæ cremore vſque ad criſim. Hæc quidem in exquiſitis tertianis.*

Oua quanto minus elixantur, tanto ad concoquendum faciliora redduntur: magis verò elixata, cùm in elixatione tenuis illa pars quæ in ipſis eſt, abſumatur, craſſeſcunt, & ad concoquendum difficiliora redduntur. Hoc eſt enim quod dicit, oua ad ſorbendum ſunt E concedenda. neque enim ſimpliciter omnia ſorberi poſſunt: ſed ea

duntaxat

A duntaxat quæ liquidiora sunt, minusque elixata. Horum autem ouorum albumen est frigidius, ac ad concoquendum difficilius. vitellus autem facilior ad concoquendum est. vnde pro affectionis modo vtrisque vtiliter vtimur.

122 *In ijs verò quæ non exquisitæ sunt, prouidendum maximè est quantum fieri potest, ne morbus augeatur, neque deijciatur ægrotantis facultas, quæ longiori tempore affligi debet. Difficile porrò est vtrunque obtinere. quandoquidem inediæ quantum ad morbi concoctionem conferunt, tantum vel etiã*
B *amplius facultatem offendunt: Nutrimenta autem quantum at roborationem ægrotantis conducunt, tantum concoctiones impediunt. Sed hoc in loco tibi noscendum est, ad quantam magnitudinem veniat morbus, ad quantam etiam ipsius ægrotantis facultas, vt ad ea quæ maiori indigent auxilio inspiciens: inedijs quidem in fortiori facultate, & morbo ad concoquendũ difficili audacius vtaris: nutrimẽtis autẽ plurib. in imbecilliori facultate & morbo nõ admodũ ad concoquẽdũ difficili. Hæc sanè in alijs etiã omnibus morbis considerare oportet.*

C Post quàm legitimas tertianas curauit, vult consequenter notharum etiam curationem nobis tradere. & oportet ait in his artificiosè mentem adhibere. quandoquidem legitimis sunt diuturniores: dubiaque in his est curatio. Siue enim nutriamus ob facultatem, morbum augemus: siue non nutriamus ob morbum, facultatem deijcimus. Oportet igitur in his facultatem morbo comparantes, considerare vtrum ipsorum maius sit: & ad id quod vrget, instare: altero omnino non neglecto.

123 *In tertianis verò non exquisitis neque statim inter initia lauare bonum est. sed cùm iam concoctionis signa apparẽt.*
D

Quoniam enim in his est superflua pituita, timor est ne si per balnea quicquid in ipsa tenuiorum erat partium, euacuauerimus: reliquum ad digerendum difficile reddamus. Prẹterea etiam contingit fusione facta in lauacris, vtilia inutilibus admisceri. atque ita succos qui in vniuerso sunt corpore, corrumpi. sed quando iam videntur apparentque concoctionis signa id est in vigore morbi: tunc attenuatus succus promptè euacuationi obtemperabit.

124 *Neque quotidie nutrire, sed alternis diebus satis est.*

E Hoc dicit, quoniam pituita superflua in ipsis residens, potest in intermedijs diebus constitui, ac ad melius reduci: inediaque iniuncta, in sanguinem mutari: sicque nutrimenti rationem membris ser-

uare. Considerare autem oportet nunquid ad hoc facultas resistat, laborans que assuetus sit, dum sanus erat, assiduè comedere. In his enim non alternis diebus, sed quotidie nutrire eum debemus. Tenuiorum tamen partium sit alimentum : vt ex partium tenuitate, ipsius quantitatem temperemus ac corrigamus. A

125 *Quies verò, & fotus partium quæ in hypochondrio sunt, ijs conferunt.*

Solet enim ipsa motio naturam à succi coctione ad exteriora transferre. Oportet ergo in his quietem iniungere. Sed & fotum iubet qui per cataplasmata fit, quæ tum pituitosum succum in ventriculo contentum concoquere: tum distentionem à pituita in ventriculo subortam laxare possunt. B

126 *Et sorbitiones ad concoquendum faciles.*

Si enim aliquam ex ijs quæ ad concoquendum difficiles sunt obtulerimus, periculum est, primum quidem ne in hac concoquenda vires laborent. postea, ne ex inconcoctione, quæ succos in pituitã trãsmutat, proposito increscente succo, febris diuturnior euadat.

127 *Clysteres etiam inferioris ventris non admodum molles sint.*

Oportet enim in his, acrioribus vti clysteribus, vt succum, qui glutinosus ac viscosus est, eruas atque euacues. C

128 *Quòd si sanguinis detractione indigeant, nec hoc omittendum est. sed statim à principio (ex ijs quæ scis distinctione adhibita) tantum sanguinis effundendum, quantum præsentibus est conueniens. Tota verò diætæ constitutio sit, non quæ refrigeret & humectet, quemadmodum in exquisitis est tertianis.*

Indiget enim laborans sanguinis missione, si plenitudo adsit, & ipse ætate sit tutus, præcipueque si febris verno tempore ipsi aduenerit. poterit enim natura reliquum facilius superare. D

129 *Sed aliquid etiam secantioris calidiorisque modi assumat.*

Vt calfactoria quidem facultate, succi frigiditatem temperemus ac corrigamus: inciforia verò, crassitiem & glutinositatem ipsius attenuemus, ac, vt facilè excerni possit, faciamus.

130 *Maxime igitur ipsis competeret ptissanæ cremor pipere infecto. Quinetiam hyssopum quandoque, vel origanum vel spicam nardi in melicratum iniecta simulq; cocta, potui dato.* E

Ptissana quatenus abstergit, talibus febribus conducit. Sed quoniam refrigerando atquè humectando, materiam ipsarum id est pituitam

A tuitam auget, cum ipsius nimirum temperamento consentiens: ob id eiuscemodi qualitates quæ in ipsa sunt, imminuimus per piperis admixtionem: & si quid aliud quispiam excogitare potest, quod calefacere vnà & incidere possit.

131 *Et alia quæcunque vrinas mouent, præterquàm ea quæ summè tum calefaciant tum exiccent.*

Quæ enim magnopere calefaciunt & exiccant, febrem sua ipsorũ acrimonia adaugent. Alioqui etiam par est, vt hæc pituitæ humidũ absumentia, reliquum terrestre ac crassum naturâ existens, in corpo-
B re relinquant.

132 *Maximè verò absinthium dandum est frequentissimè post septimam diem. Et sanè oxymeli multos iuuit epotum.*

Absinthium adhortatur in his dari: quoniam naturâ solet roborare stomachum, qui sanè in propositis febribus imbecillus est. Nam si talis non esset, vnde nam ipsi colligeretur tanta pituitæ copia, vt etiam tertianam ipsam, notham efficiat? Præbet autem ipsum post septimam diem ob memoratas à nobis superius causas, vbi ostendimus quantopere lædat, si ante succi concoctionem exhibeatur.

133 *Et aliquid moderatorum subductoriorum quibus &*
C *me assiduè vti nosti.*

Ὑπάγωγα (idest subductoria seu depulsoria) vocant antiqui, quæ moderatas facere possunt euacuationes per aluum. vt est polypodium. & alypium, & mercurialis herba. Sed hæc simplicia sunt. Sunt verò & quędam etiam composita, vt nonnullæ confectiones quibus iniiciuntur scammonium, & colocynthis & agaricus, & elaterium.

134 *Vomitus autem post cibos adeo sanè vtilis est illis, qui in hac febre perdurant, vt multos sciam prorsus fuisse libera-*
D *tos statim post vomitus.*

Ab antiquis sanè fuerunt excogitati vomitus. Ac qui ante cibos fiunt, violentiores sunt, vellicationemque haud exiguam faciunt: qui verò post cibos fiunt, cùm efficaciam non habeant, non multam violentiam inducunt. Oportet igitur in quotidianis eos assumere qui post cibos fiunt. Porrò faciemus, vt laborantes attenuantibus cibis vtantur, exhibitoque melicrato vel oxymelite, vt euomant iubebimus. Sursum enim prius educuntur oblati cibi: simul autem cum ipsis aliquis etiam educitur succus ab ore tenuatus. ex hoc autem auxilio à febre liberantur: euacuata nimirum pituita, ex qua febrem
E adulterari, atque in longum tempus protrahi, contigerat.

135 *Deinceps de quartanis dicemus, quas & ipsas per initia moderatè leniterq; tractare oportet, nullum forte medicamen-*

tum exhibentes nec euacuationem. A

Post tertianæ tam nothæ quàm exquisitæ curationẽ, consequens deinceps est ad quartanam accedere, quæ iam ex prædictis cognita est, ac sola indiget curatione. Oportet igitur in his, in principio, quandoquidem tunc inconcoctus existens succus, ferinus est, contra ipsum non pugnare. quippe qui magis agrestis euadendo, laboranti imponit: sed mitigatorio modo vtendum est. Opus igitur est in his non exhibere medicamenta melancholicum succum euacuãtia. nondum enim concoctus fuit, crassus inconcoctusque existens succus: timorque est, ne purgatorium illud medicamentum, cùm familiarem propriumque sibi succum euacuare non potuerit, ad vtilẽ se conuertat: dupliciterque corpus læḍatur, tum ex vtilis succi absentia, tum ex noxij præsentia. Sed quoniam frigidus siccusque est eiuscemodi succus, calefacientib. & humectantibus. in hoc vti debemus hæc.n. caliditate quidem attenuantia, humiditate verò fundentia, lubricumq; ipsum reddentia, celerem ipsius faciunt euacuationem. B

136 *Nisi forte vehementer admodum abundare sanguis videatur. & si secta vena, fluens sanguis fuerit niger ac crassus (maximè verò in lienosis talis comperitur) audacter euacuandus est: sin flauus & tenuis apparuerit, statim supprimendus* C *Secare autem debemus venam vel interiorem, vel mediam cubiti sinistri.*

Quoniam vetuit per initia vacuationem fieri: nunc præfinit, dicens, quandoque etiam dum morbus adhuc inconcoctus est, venam secari oportere, quando sanguis ipse multus extiterit. Animaduertendum tamen diligenter est. Si enim sanguis qui vacuatur. fuerit niger: audacter intrepideque copiosius est vacuandus: si verò flauior, supprimendus est. metus enim esset, ne eo vacuato, vires dissoluerentur. Secanda autem est vena, quæ κατ' ἴξιν idest secundum processionem lienis est, hoc est ea, quæ in sinistra manu è directo huius D particulæ posita est: non humeralis vena: hæc enim à capite magis euacuat. ideoque in lippientibus vel alioqui caput aut aliquam superiorem partem dolentibus, illam secamus: In ijs verò quibus partes infernæ sunt affectæ, non hanc, sed axillarem incidimus, per quam inferiora euacuari possunt. Dum autem hanc non inuenimus, ad mediam nos conuertimus, quæ ex congressu humeralis atque axillaris fit. satque tunc habebimus à toto corpore tum superiorum tum inferiorum euacuationem facere.

137 *Et victum deinceps flatus expertẽ ac probum instituere.*

Solent enim flatuosa excrementa lieni apposita, ipsum attollere, ac inconcoctionis causa fieri. quæ inconcoctio quantopere corpori absit,

A obſit, dicere non eſt opus.

138 Ventrem emollientes quantum fieri poteſt per conſueta. quæ ſi nihil proficiant, clyſteribus vtendum, in principio quidem mollibus: poſtea verò acrioribus,

Oportet inquit in his febribus ſemper ventrem ſubducere, ipſum, quàm fieri poteſt non medicando (ſolet enim medicatio ſeu pharmacia, deleterioſam quandam viſceribus inferre qualitatem ac malitiam) ſed per conſueta: conſueta autem, (græce ςυνήθη) vocantur cibaria, veluti lac, & mel, & ſorbitiones ex oleo, & garo, & ex oleribus quæcunque poſſunt ventrem mollire, Si verò compertum
B habuerimus, nihil effatu dignum nobis ex his ſucceſſurum, tunc deinceps neceſſariò ad medicamentoſa nos conuertemus, clyſteribus vſi prius quidem mollibus, vt ſuccum iamdiu ſiccum exiſtentem humectemus: poſtea verò etiam efficacibus. quandoquidem ſucci craſsitudo haud rarò violentia aliqua amolitioneque indiget: quò abuacuatio (hoc eſt, ἀποκένωσις) fiat.

139 Arcendi autem ſunt à ſuillis carnibus, et ab omnibus quæ viſcida ſint & tardi tranſitus.

In vniuerſum enim vult omnem in his diætam eſſe tenuium par-
C tium, non craſſorum & viſcidorum ſuccorum generatricem. quandoquidem hæc excretiones cohibent atque melancholico ſucco addita, duplicant febrem.

140 Et ab vniuerſis edulijs quæ refrigerant & quæ humectant. Vino verò vtendum eſt albo, & tenui, ac moderatè calido,

Hoc coniũctim intelligere oportet, nõ disiunctim, Si enim ipſum disiungentes, dicamus, oportere ab ijs quæ refrigerant ipſos arcere, & rurſus ab ijs quæ humectant: quatenus ad ea quæ refrigerant, verus eſt ſermo: quatenus autem ad ea quæ humectant, non item.
D diximus enim ſuperius, hunc ſuccum, quippe qui ſiccus ſit, humectandum eſſe. Sed ab hoc toto oportet ipſos abſtinere, nimirum ab ijs quæ refrigerant ſimul & humectant. Si autem aliquod ſit ex ijs quæ humectant, citra quòd refrigeret, haud incõuenienter ſanè hoc ipſis offeratur. Porrò ipſis exhibet vinum album. & tenue, ac humectare valens, propterea quòd hoc ipſum omnes naturales effluxiones prouocat.

141 Ex volucribus autem, quæ non paluſtres ſint.

Nam quæ in paludibus degunt, excrementoſiorem habent carnem: quandoquidem aſſiduè nutrimento paluſtriori ex illa aqua nu-
E triuntur.

142 Ex piſcibus qui facilè concoquuntur, ac molli ſunt carne præditi, nec quicquam viſciditatis habeant.

Molli carne præditos pisces eligit: quia facilius ipsi concoquuntur. eligendi autem ex ijs sunt, qui minimè excrementitiam habent carnem, nec viscidam. Vt mulli quidem, duri sunt. aselli, viscidi nihil habent. capitones & sepiæ. viscosos succos gignunt. A

143 *Ac salsamentis vtendum est & sinapi.*

Quæsitu dignum est, quomodo ipse, qui passim salita esse melancholica asserit, ea nunc iniungat. Ait enim nos salem ipsis inspergere, quò humiditatem in ipsis contentam, absumamus, reliquam verò ipsorum substantiam relinquamus, siccam inquam ac exuccam existentem, aptamque vt in melancholicum succum vertatur. Quo modo ergo ea exhibet quartanarijs, qui tali succo sunt repleti? Et dicimus, eum nunc, non vt nùtrimentum, sed vt medicamentum, hæc exhibere: iccirco etiam sinapi eorum escæ admiscet. Oportet autem ipsis vti per dierum interualla: vt tenuitate quidem attenuent, substantia verò nullam notatu dignam additionem faciant. B

144 *Et certis diebus diatrionpipereon vel diospoliticon medicamentum aßumant. & si piper solum singulis diebus cum aqua sumerent, recte facerent.*

Eiuscemodi enim andidoti caliditate succos attenuando, non parum conferunt. C

145 *A frictionibus autem & ambulationibus & lauacris alijsque consuetis non omnino sunt arcendi. Et si etiam penitus à lauacris abstinere poßint, solis contenti frictionibus maximopere iuuarentur. Et si breuis fuerit nec admodum violenta quartana febris, nihil deterius fuerit in diebus intermedijs consuetas exercitationes attingere. Hac quidem in principijs & vsque ad vigorem sunt peragenda.*

Quandoquidem fieri potest, vt per has motiones, quæ cutim rarefaciunt ac materiam attenuant, pars quædam huius succi digeratur. Si verò possent à lauacro abstinere: magnopere hoc ipsis conferret. quandoquidem in balneo, sicuti etiam superius diximus, accidit, vt facta vtilium cum inutilibus commixtione, omnium fiat corruptio: vel certè, vt digestis ijs quæ tenuium sunt partium, id quod relinquitur, ad excernendum difficile reddatur. D

146 *Si verò in vigore morbi maximè videatur esse laborãs, tunc victu tenuiori est vtendum, quàm antè vel pòst.*

Semper enim hoc nobis præcipitur, summam illam victus tenuitatem in vigorem seruandam esse: ne nimirum in alimenti concoctionem natura vacet atque impediatur, morbum negligens. Vtendum ergo tunc tenuiori victus ratione quam antè vel pòst. ante. n. E

plenius

A plenius cibamus, ne facultas prosternatur. quæ temporis longitudine affligi debet: post verò, eam iam afflictam recreare volentes, crassiori victus ratione vtimur.

147 *Statim verò, vt diu quiescat, est iubendum: visceribusq; est prouidendum, perfusiones ac cataplasmata, quæ emolliendi laxandiq; vim habent, adhibendo. Deinceps verò diureticis vocatis medicamentis est vtendum.*

Solet enim motio, naturæ certamen interrumpere.

148 *Et si concoctionis morbi signa appareant: tunc medicamentis quæ atros succos vacuant purgare oportet, non semel* B *tantum, sed etiam sæpenumero si hoc opus sit. vtendum etiam est vomitibus post cibum.*

Quoniam enim iam præparatus est succus atque prætenuatus vacuantibus medicamentis promptè obtemperat. Vtendum igitur est tunc ijs quæ ipsum purgare possunt: tale autem est epithymum, ac quæcunque melancholicum succum è corpore extrahere solent.

149 *Tunc autem iugiter si nihil prohibeat, veratrum album dandum est, primo quidem radiculis infixum*. Si verò nihil* C *proficiat, ipsum etiam veratrum. Qui verò vomere non possunt, his vehementius per inferiora purgatis.*

*ἐμπηγνῦντα est in antiquis.

Iugiter in his adhortatur vt veratrũ exhibeatur, quoniã in vigore melancholicus succus concoctus atq; attenuatus, à toto corpore in ventriculum confluit: timorque est ne afficiat ventriculi os, atque lipothymiam (hoc est animi defectionem) vel syncopam inferat. Oportet igitur euacuatione, quæ per veratrum fit, vti. Veratrum aũt varijs modis præberi potest. Nonnunquam enim decoquentes ipsum in aqua, decoctum damus. Aliquando autem ipsius veratri substantiam tundentes, prębemus, vel in tenuiores partes redditam vel in D crassiores: si sanè minus vacuare volumus, in tenuiores partes redditam damus: præoccupat enim hoc medicamentum celeriter vnà cum succo excerni. immorans autem, suam ipsius actionem magis indicat. Quandoque vero veratri ramos sumentes, infigimus ipsos radiculis, hasque in oxymelite vnam vel alteram diem madefieri sinimus. atque deinceps veratrum auferentes, radiculas ipsas comedendas exhibemus, veratri nimirum qualitate in radiculis contenta.

150 *Medicamentum ex viperis confectum, in potu dandum est: ac quæcunque ad huiuscemodi febres commendan-* E *tur: in quibus est illud familiare nobis omnium probatissimum, quod liquorem cyranaicum recipit.*

Theriacam intelligit, quę solet ipsis exhiberi. Hæc enim attenuando, potest, si quid huiusce succi relictum sit, excernere & digerere, & recorporare hoc est, μετασυγκρίνειν Vtendum autē est non hac sola, sed etiam alijs antidotis, quæ ad has febres laudantur. Excogitatum sanè ab ipso est medicamentum laudatissimum, quod liquorem cyręnaicum recipit. Quòd autem alius sit liquor cyręnaicus, & alius qui vocatur medicus, perspicuum est. A

151 *Quicunque verò per initia aliquod ex eiuscemodi medicamentis dedere, vel omnino ante vigorem: simplicem quidem quartanam, duplicem sæpenumero fecerunt, aut omnino maiorem & difficiliorem reddiderunt: duplicem verò existentem, triplicem fecerunt, aut omnino sanè duas difficiliores ac maiores. Noui autem quendam medicum, qui ausus est homini tribus detento quartanis, dare id quod ex viperis confectum est, cùm nondū morbus esset in vigore. postea vt par erat, omnibus adauctis, continua subsequuta febris hominem interfecit.* B

152 *Quotidianam aūt curans, oxymelite vtere* post primos dies, atque ijs quæ vrinas probè prouocare possunt, atque vniuersum tibi diætæ caput secantius sit. Circa vigorem verò, ventriculi ac præsertim ipsius oris cura habenda est. Postea iubēdū, vt post radiculas cibosq́ assumptos, euomant. & subductorijs pituitā vacuantibus est vtendum. Reliqua verò ipsius diætæ, ad communes scopos inspiciens, inuenies.* C

* alias primis diebus.

153 *Continuas autem febres, quibus quidem vigor morbi non vltra septimam futurus est, & vires sunt validæ, & ætas consentit: in his valde exquisita & tenuis victus ratio est instituenda. Quibus verò vel vltra septimam vigor totius morbi futurus est, vel vires non sunt validæ: per initia quidem, pleniorem: propè vigorem verò, tenuiorem: vigore verò præsenti, tenuissimam victus rationem instituere debemus. deinde rursus assidue pleniorem: eodem modo incrementum facientes: quo decrementum ante vigorem faciebamus.* D

Quemadmodum à principio paulatim decrementum faciebamus, quousque vigorem assecuti, in inediam desineremus: ita sanè oportet post vigorem non confertim ipsos ad pleniorem victus rationem reducere, sed paulatim: singulis diebus exiguum addendo. vt in hunc modum ex additione .i. ἐκ προσθήκης, naturam ad cibos crassos, qui- E

que

A que alere corpus posſint, tolerandos aſſuefaciamus. Solet enim ſubita mutatio vires conturbare. Et alioqui, cùm inualidæ ſint ob præcedentem febris intemperiem, & ob pugnam in morbo factam, nondũ poſſunt validiores cibos conficere: atque opus eſt vt ipſas paulatim in ſalubrem conſuetudinem inducamus, analeptico, hoc eſt refectorio modo vſi.

154 *Sanguis verò, & ob morbi magnitudinem, & ſi rubor multo maior ſit quàm naturæ conueniat, ac quidam inſolitus totius corporis tumor, vel eminentes atque extentæ venæ: ſanè*
B *eſt auferendus: niſi te vires vel ætas. vel aliquid aliud eorum quæ ab initio dixi, arceat.*

Oportet enim in his venam ſecando, per ſpirationem moliri: vt ex hoc putredinis malignitas ceſſet: Et certè ſanguinem auferentes, reliqua naturę committamus. Secare autem venam debemus, ſi ſanè ſcopi mittendi ſanguinis hoc atteſtentur, vt tumor corporis, venæ extentæ, vires validæ, ætas vigens, & quotquot alia in ſanguine detrahendo quærere oportet.

155 *Quòd verò humida diæta omnes, acutis febribus omni-*
C *bus conferant, dudum rectè dictum eſt. Ptiſſanæ ergo cremorẽ, quibus non aceſcit, dare oportet: & mulſam, quibus ipſa non bileſcit: ac ſorbitiones ex chondro, & panẽ ex aqua ac quæcunq; alia eandem aut ſimilem facultatem habeant. Illis verò quæ vehementer calidæ & æſtuoſæ ſunt, cũ primum concoctionis ſigna conſpexeris, audacter frigidam aquam bibendam præbeto: exhibitionis quantitatem, ex tempore, ætate, regione, natura, & conſuetudine metiens. Talis ſanè (in vniuerſũ loquendo) eſt fe-*
D *brium quæ ſine ſymptomatibus ſunt, cura.*

Hippocratis lex iubet vt calido & ſicco morbo frigidam & humidã diætam opponamus. At humidam nominauit, nimirum cùm eius vſum ſecuriorem eſſe nouerit: frigidam porrò, quòd non parum diſcriminis habeat, limitationibusq; indigeat, ſilentio præterijt. Oportet enim frigida adhibere poſt morbi coctionem, facultate valida ſubiecta, conſuetudine atteſtante, nullaq; principalium particularum imbecilla exiſtente. Atque hæc omnia quærantur communiter in frigidis omnibus, ac prȩſertim in frigidæ aquæ potione. cùm hæc ipſa in eiuſcemodi febribus agoniſtica maximè ſit.

E
156 *Febrium autem quæ cum ſymptomatibus ſunt, non ita ſimpliciter. Sed quantum fieri poteſt, metiri oportet quanta ſit ipſa febris, quantumq; ſit ipſum ſymptoma quod periculum infert*

atque horum vehementiori difficilioriq́; insistendum est, altero tamen haud omnino neglecto. A

Cùm iam de febribus tum continuis & deficientibus, tum legitimis & spurijs narrauerit: nunc aggreditur id quod dudum fuerat pollicitus. Superius enim ipse promiserat, primum quidem febrium quæ sine symptomatibus sunt, curationem tradere: posteà verò earum quæ cum symptomatibus sunt. Diximus verò inibi, symptomata nunc ab ipso dici, non quæ cum morbis ex necessitate simul inuadunt, sed quæ pòst apparent: quæ possunt adesse & non adesse: quæq́ue ita difficilia sunt si adsint, vt medicus à morbis recedat, & totam eis curam adhibeat. quanquam medici perpetuò morbos præcipuè curare velint: quibus curatis vnà etiam curentur symptomata, quæ morborum ratione eueniunt. sed ob horum malignitatem coguntur sæpenumero (vt diximus) omissis morbis potissimū studium ac solicitudinem in symptomatibus consolandis mitigandisue demonstrare. Sciendum præterea est, quandoque morbi curationem cum symptomatis ablatione concordare: tuncq́ue medicus vno est contentus præsidio, quod vtrisque resistere valeat: Nōnunquam autem inuicem aduersari: atque id quod symptomati tollendo est, morbum augere, vel è cōtrario. tuncq́; comparare oportet morbum symptomati: atq; ei quod vrget, resistere: vrget autem, quod magis vires dissoluit: eius ergo cura est habenda, altero tamen non neglecto. B C

*Affirmatiuè legit expositor.

157 *Age enim si quis febricitet, * & adsit plethorica affectio, verùm ex inconcoctionibus recentibus sit, & mordeatur ac comprimatur os ventriculi: vel etiā succum quendam prauum ipse euomuerit, ac ex eius trāsitu magnopere sit læsus, ita vt molestè anxieq́; ferat: Nunquid hoc in loco ad febrem respicientes solam, vacuare multitudinem tentabimus? id quod sanè aliàs citra noxam fecissemus: An prius ori ventriculi prouidebimus, atque ita deinceps, vbi ipsū bene nobis sese habuerit, conuenientem totius corporis vacuationem faciemus? Mihi quidem ita videtur. Sæpius ergo multos ita affectos vidi, alios quidem interijsse: alios verò in extremum periculū adactos, cùm medici eos prius vacuare quàm stomachum roborare tentauissent. Sed nec si cum diarrhœa, hoc est alui profluuio febris fuerit, aliqua alia indiget euacuatione. Sed hæc ipsa sufficit, quamuis non sit pro multitudinis ratione. Quicunque enim ijs tanquàm pluri detractione indigentibus, vel sanguinem* D E

A *n em ducere, vel ventrem mouere sunt ausi, adhuc magis cuta pericula intulerunt.*

Plethorica affectio est, ipsa quatuor succorum auctio: nonnunquam etiam sanguinis immoderantiam ita nominant. Itaque contingit quandoque plethoricum quempiam hominem à febre corripi, stomachumque ipsi vitiatum esse vel à vomitu, prauis nimirum succis in transitu ipsum vitiantibus, vel à diuersitate ciborum ex inconcoctione corruptorum, ideoque stomachum mordicantium: id quod molestum atque anxium eum reddit. B Quid ergo hoc in loco agendum est? Nunquid stomachum curare prius oportet, an multitudo vacuanda est? Profectò hoc facere non possumus citra noxam stomacho non curato. quare melius est ad huius curationem primum accedentes, ita deinceps ea quę multitudinem euacuant, adhibere.

158 *Sed neque si quis spasmo laboret, simulq́ sanguinis vacuatione indigeat: huic tantum sanguinis semel auferre conuenit, quãtum exigit plenitudo.* verùm aliquid etiam symptomati est relinquendum, quod plerunque & sudores mouet, & C vigilias infert, & robur ægrotantis deijcit. ita etiam si vehemens vigilia, si dolor intensus ægrotantem infestet, conferta ac multa vacuationes sunt cauendæ.*

* Impressi cod. habent πάθος id est affectus.

Quòd spasmus motio inuoluntaria fit in voluntarijs instrumentis eueniens, quodque particulæ spasmo laborantes, longitudinis ablationem patiantur, sæpius diximus. Quin quòd eiuscemodi symptoma à repletione & ab euacuatione fiat, nemo est qui nesciat. Nunc ergo supponatur ipsum à plenitudine ortum esse, ergo huius curatio per contrarium fit, quod est euacuatio. Verùm non oportet D tantam fieri vacuationem, quantam pollicetur plenitudo. sed mediocriter est euacuandum, reliquumque spasmo permittendum. cùm ipse post moderatam vacuationem & siccare & digerere possit quicquid relicta multitudo euacuandum indicat: cùm præsertim immodica facta euacuatione par sit vires ipsas deijciendas esse: quippe tum à symptomate, tum ab immoderata vacuatione vexatas.

159 *Veluti autem symptoma quoddam & ipsa ambientis aeris temperatura existimanda est, cùm sanè exquisitè calida E sit & sicca, quemadmodum hoc anno fuit inter canis ortum & arcturi. ob idque omnes interiere, quibus medici nulla prorsus animaduersione temporibus adhibita, venam secare sunt*

ausi. Sic sanè & si vehementer frigida sit. nam & tunc ab effundendo sanguine cauendum est, cùm non parua in his pericula subsequi viderimus. Perduntur autem, qui in calidis admodũ constitutionibus haud rectè fuerunt vacuati, à syncopa (hoc est Concisione) quàm Vocant ac Diaphoresi (hoc est digestione) qui verò in frigidis, per accessionum initia vehementer refrigerati, non amplius releuantur. Ob hæc igitur neq; in calidis neq; in frigidis supra modum regionibus, sanguinem detrahere audemus. sed si tempus anni regioni consentiat, penitus abstinemus: si verò non consentiat. vacuamus quidem, ast multo minus, quàm si neutrum prohiberet. Veluti etiam symptoma quoddam, ipsa ægrotantis ad patiendum facilitas consideranda est. multi enim (neque vnquam sunt vacuati,) neque vllã euacuationem confertiorem neq; inediam longiorem tolerant: Sed nonnulli ob hæc toto corporis robore inualidi facilè fiunt: quidam verò statim stomachum malè affectum habent, ita vt cibos abhorreant: & si coacti, eos assumant, vel non retinent, vel non probè concoquunt. In hac dignotionis parte, ægrotantis etiam temperamentum ponendum est. Quicunq; enim calidi & sicci naturâ sunt, hi omnes à confertis vacuationibus promptè læduntur. Consuetudo quoq; non parũ confert cùm ad alia omnia tum non minimè ad vacuationis indicationem quidã enim nunquàm antea fuerunt vacuati, nec vnquàm vacuationẽ confertã pertulerunt, & multis cibis sũt vsi. quidã cõtra, nec multis vtũtur cibis, & vacuationibus sunt assueti, Hos igitur intrepidè vacuare oportet, quãdo sanè etiã reliqua vacuationem dictent: cæteros autem, nec si alia omnia persuaserint.*

In quibusdã cod. græcis hæc verba non habẽtur

** Manuscripti tamẽ quidam codices habẽt. Quidam. n. nec vnquam vacuationẽ cõfertam pertulerũt, & multis cibis sunt vsi &c. Sunt etiam codices qui habeant. Quidam. n. nec vnquam vacuationem confertã pertulerunt, nec multis cibis sunt vsi: quidam contra, & multis vtũtur cibis, & vacuationibus sunt assueti.*

Rectè addidit *veluti symptoma*: quandoquidem continens ambiens ue nos aer non in corpore contentus, sed extrinsecus consideratus, indicationes à se ipso sumptas nobis ad vacuationem præbet. Igitur cùm hic vel calidus admodum & siccus, vel frigidus admodũ & humidus est: vacuatio non est facienda. Vtrunque enim horum temperamentorum non parum corporibus officit: calidum quidem & siccum, ob immoderatam digestionem, syncopam inducendo: frigidum verò & humidum, corpus refrigerando, ac præcipuè in accessionum principijs, suffocationem minatur. Quoniam enim didicimus hoc tempore corpus perfrigerari: quippe cùm natura in profundum

A dum ſe contrahat ac recedat, ſimulque ſecum eius vehicula, ſpiritus inquam & ſanguis, in quibus innatus calor continetur: ob id frigiditas ab immodica vacuatione & ab ambiente aere proueniens, huic addita frigiditati, ſæpenumero hominem adeo refrigerat, vt amplius nec reuocari, nec regredi, nec priſtinam caliditatem recuperare valeat, periculumq; ſæpius eiuſcemodi temperamento intulit.

160 *Ad eundem verò modum & habitudines corporis conſiderare oportet. nam qui denſam & ſolidam habent carnem, his habitus eſt difficilis ad patiendum. quare timendum non eſt eos ſemel vacuare, ſi id etiam alia iubeant, qui verò mollem al-*
B *goſam prompteq́; diffluentem habẽt: in his habitus ad patiendũ eſt admodum facilis: quamobrem in his etiam ſi reliqua omnia effundendum eſſe ſanguinem iubeant, id tamen facere non eſt audendum: quin & alijs etiam vacuationibus quantum moderatè & cautè fieri poteſt, vtendum eſt.*

Habitudines (græcè ἕξεις) corporis, vocat denſitatem, raritatẽ, mollitiem, & duritiem carnium. Oportet ergo in his quærere ſi carnes ſint duræ, & denſæ, & molles, & raræ. Si .n. molles ſint, facilè in
C his halitus à profundo venientes, ipſas vulnerant, ac digeſtionis ſunt cauſæ. ideoque ſanè eiuſcemodi corpora, mediocri indigent vacuatione: Si verò ſint duræ, contrarium euenit: atque ob hanc cauſam, in pueris habitum eudiaphoreton, ideſt qui facilè digeri poſsit, eſſe dicimus: non quia omnino rariores habeant cutis meatus: ſed quia mollis ipſis ineſt caro, atque algoſa, ab immodica nimirum humiditate, talis reddita.

161 *Eodem modo & qui ſupra modũ ſunt craſſi vel graciles:*
D *nam & his tum venam ſecare cauendum eſt, tum reliquas euacuationes confertas vereri oportet. Inter hæc etiam ponenda eſt ætas veluti ſymptoma quoddam, confertam euacuationem prohibens. neque enim pueri, neque ſenes innoxiè ipſam ferunt. Hos igitur commemoratos omnes, vbi affectiones euacuationẽ dictent, non ſemel, nec confertim, ſed paulatim euacuare oportet, inedijs moderatis, clyſteribusq́; mollibus, perfuſionibus, cataplaſmatis & balneis: horum ſingulorum rurſus indicationem à prædictis ſumentes. Ita verò ſi quando duo ſymptomata con-*
E *traria conſequantur, conſiderare oportet, vtrum eorum ſit fortius. Eodem etiam modo ſi duo morbi eundem hominem obſederint, qui pugnantes faciant indicationes: nam & tunc ad-*

uersus id quod magis vrgeat, instandum, altero haud prorsus neglecto. A

Crassos hîc dicit non qui carnosi sunt, sed qui pinguedinis copia teguntur, cum frigiditas semper eiuscemodi crassitiem generare soleat. Patet igitur, vt hi immoderatius vacuati ad extremum frigiditatis perueniant, præsertimque quòd accidat sanguine vacuato, carnes quæ vasis superiacent, vbi super ipsa deciderint, venarum symptosin (hoc est concedentiam) facere: ob idque suffocationis periculum inferre. Sanè inquisitione dignum est, quonam modo in gracilibus, vacuationem respuat, cùm ipse tamen sæpenumero pronunciarit, graciles magis quàm cæteros sanguine plerunq; abundare, magisq; B quantum ad hoc spectat, confertas vacuationes tolerare. Et dicimus graciles hîc ab ipso dici, nõ qui parũ, sed qui supra modũ sunt graciles. hoc enim in oratiõe ponitur. Ac profectò crassi quidẽ vacuatione lędũtur, quia refrigerantur: graciles verò, quia exiccantur. Neq; verò pueri neq; senes innoxiè ipsas ferunt: pueri quidem, ob facultatis imbecillitatẽ: senes verò ob frigiditatem siccitatemq; temperamenti.

162 *Quæ verò à symptomatibus & morbis indicationes sumũtur: non simpliciter sed pro causa quæ vnumquodque facit, cõsiderandæ sunt: veluti est animi defectio & exolutio. consueuerũt enim medici de vna re ambo hæc nomina proferre. ipsa quidem igitur res, vna est: causæ verò ipsius, multæ.* C

Artificiosissima methodo vtens Galenus, hoc in loco symptomata ac morbos curat: causas, quæ hæc ipsa faciunt, inquirens. Accidit enim quandoque morbi vnius vel etiam symptomatis, multas esse diuersas causas: atque oportet nimirum, vbi causam facientem exquisitè cognoueris, atq; aduersus ipsã institeris, ita deinde congruã remediorum exhibitionem facere.

163 *Animo enim deficiunt ex choleris, diarrhœis, & dysenterijs.* D

Lipothymia (id est, animi defectio) nihil aliud est, quàm conferta digestio vitalis tenoris. fit autem ipsa genere quidem tripliciter: specie verò à multis causis. Fit enim vel ob multitudinem quæ grauitate vires suffocet: vel ob vacuationem immodicam quæ vnà cum inutilibus vtilia egredi faciat: vel ob confertam temperamenti mutationem. Ac prius immoderatæ vacuationis causas particulatim exponit, deinceps verò reliquas etiã attingit. Choléra autẽ (hoc est bilaris est bilis tũ per superiora tũ per inferiora vacuatio. Diarrhœa autẽ est alui latio fluxioue, & ipsa rursus pro causis eam facientibus, euarians. vel enim ex cibariorum corruptela fit, vel ex obstructione primarum venarum. necessarium enim tunc est, cùm distributio haud E

amplius

A amplius fiat, nutrimentum ſubduci. Nonnunquam autem memoratorum nihil eſt, ſed ab ijs quæ à toto corpore in ventriculum confluunt, ſuccus per inteſtina vacuatur. quare pro diuerſitate cauſæ diuerſam adhibere curationem oportet.

164 Et lienterijs & muliebri fluxu, vulneribusque, & hamorrhoïdibus, & ſanguinis reiectionibus, ac ſanguinis per nares eruptionibus.

Lienteria (hoc eſt leuitas inteſtinorum,) eſt celer egreſsio cibariorum, eiuſcemodi exeuntium, qualia deuorata fuere. Fit autem hæc ipſa lienteria: vel quia ventriculus imbecillitate laboret ob ex-
B tremum caſum retentricis facultatis: vel quia internam ac ſummam ſui ipſius partem, ob vlcerationem ſuperficiariam, inutilem habeat. Tunc enim cibaria ventriculi corpus tangentia, ipſum moleſtant ac mordicant, atque ad doloroſam motionem ducunt: vt non amplius contineantur, ſed ſtatim tanquàm per canalem quendam inanimatum excernantur. vnde etiam idiotæ σωλῆνα, hoc eſt canalem, hunc affectum nominant.

165 Immodicisque puerperis purgationibus. Nonnunquam verò magna inconcoctio animi defectionem intulit, ac præſertim cùm inmoderatius ventrem ſubduxerit. Et qui vocatur
C *bulimos, nihil aliud eſt quàm animi defectio.*

Sciendum eſt, circa fœtum tres eſſe membranas: quarum altera Amnios, altera Allantoeides, tertia Chorió appellatur. ita autẽ nominata fuit: quandoquidem multę venę ac arteriæ in ipſa ſunt, tanquã in choro quodam congreſſæ, ac per ipſam fœtus nutritur. Hoc igitur chorion ſæpius quidem cum infantibus deorſum ducitur: ſæpius verò etiam poſt partum deinceps detrahitur. Siue autem hoc ſiue illo modo neceſſe ſit illud per auulſionem deorſum duci, pericula haud pauca mulieri infert. Tunc igitur accidit, vt ſanguis multus
D in vaſis vuluæ contentus, qui & à toto corpore ad nutriendum fœtum aſportatur, eo deorſum ducto, euacuetur. eiuſcemodique res, purgatio Locheia id eſt puerpera appellatur. quæ cùm immoderatior fit, ſæpius animi defectiones facit. Intulit etiam quandoque ipſa inconcoctio animi defectiones. nam inconcoctio neceſſariò multa excrementa facit, eaque interdum mordacia. Accidit autem vt ipſa vel cohibeantur, vel educantur: ſi igitur cohibeantur, hæc ipſa grauitate ac mordicatione, animi defectionem faciunt: ſi verò educantur, immodica vacuatione idem efficiunt.

166 Ac omnem etiam vterinam ſtrangulationem animi de-
E *fectio præcedit: ac vterorũ recurſus ad ſuperiora inſequitur: atque inclinationes ad latera, eorumq́; phlegmonas plerumque*

quę conſequitur. A

Inquit animi defectionem vterinæ ſtrangulationi antecedere. quanquam ſtrangulatio prius fit, ac deinceps animi defectio ſequitur. Et dicimus hoc in loco Pniga. id eſt ſtrangulationem, abuſiue pro apnœa id eſt intercepta ſpiratione, ab ipſo vocatam fuiſſe. Differt enim apnœa, à ſtrangulatione vterina. ſi quidem apnœa, fit ex ſuperfluitate ſeminis putreſcentis, prauasque quaſdam exhalationes ac præſertim frigidas ad cor mittentis, ipſumque extinguentis, atqui ita ſpirationem intercipientis. contingit autem quandoque melancholicas exhalationes, quæ ex ipſo ſemine feruntur, ſurſum B ad cerebrum recurrere, ſymptomataque melancholica facere. Talis quidem eſt, vterina apnœa. Strangulatio autem fit ex ſpaſmo matricis ſurſum tractæ, & per continuitatem inteſtina, ventriculum, ſeptum tranſuerſum, ac reſpiratoria alia mẽbra comprimentis: nõ, (vt quidam ſuſpicati ſunt,) quòd quaſdam particulas prætergreſſa ipſa matrix circa thoracẽ perueniat, immo magis in thorace ipſo tanquã eum deprehenderit, ſtrangulatum faciat. Hoc enim inopinabile eſt. In vterina igitur apnœa omnino præcedit animi defectio: (nihil .n. aliud eſt apnœa, quam intenſio defectionis animi) neceſſeque eſt moderatiorem affectum difficiliori antecedere. quare prius quidem C animo deficiunt: poſtea verò affectu inualeſcente, apnœa etiam ſequitur. Strangulationes autem, quas & ἀναδρομὰς id eſt ad ſuperiora recurſus vocant, vt diximus, animi defectio ſequitur.

167 *Præcedit autem apoplexiam.*

Nam apoplexia cùm ſit abſoluta priuatio ſenſus & motus corporis, præcedentem habet animi defectionem, in qua etiam moderatè ſentiri poteſt. Enimuero ſæpius animi defectio, vel potius animo deficiens, tanquam ex profundo quodam ea quæ dicuntur, audire ſuſpicatur: ac qui vehementius clamant, tanquam vix loquantur, perſentit. D

168 *Et malignam epilepſiam, & diaphoreſeis, & ſyncopas, & maraſmos.*

Epilepſia eſt ſpaſmus totius corporis cum actionum rectricum leſione, ſed nõn abſoluta. verùm quę maligna eſt, talis exiſtit, nimirum quando continenter fit, ita vt & reſurgant & decidant. in quibus contingit vt vires diſſolutæ affectum, in quo animus deficit, excipiant.

169 *Sed & vnà cum non paucis inuaſionibus febrium inuadit, præcipueque quando ſummè ſiccum & ſqualidum aut immodicè plethoricum fuerit corpus.* E

In acceſſionum principijs contingit quandoque defectionem animi

A mi fieri duobus modis: vel ob immodicam ac confertam imtemperiem: vel quia tunc in profundum confluentes ſucci, ſtrangulatum & animi defectionem inferunt.

170 Et cum ardenti & maligna febre nonnunquam ſimul inuaſit, & eos quibus extrema corporis vehementer ſunt refrigerata in ferbium inuaſionibus.

Cauſus (hoc eſt febris ardens,) ob immodicam quandoque digeſtionem, largo nimirum exiſtente febrili calore, defectionem animi inducit: quanquàm maximè in principio acceſſionis, ob cauſam
B prius dictam.

171 Et quicunque vel ob magnitudinem phlegmones iecoris, vel ventriculi vel ſtomachi febricitant, ij etiam animo deficiunt nonnunquàm in acceſſionum principijs: in primis verò, quibus ſuccorum crudorum inconcoctorumq́ue copia adeſt.

Qui phlegmonas, inquit, habent in aliqua harum particularum, in acceſſionum principijs animo deficiunt, meritò. Confluentes enim ſucci, cōprimentesq́ue innatum calorem, à plegmone iam com
C preſſum, ex duplici compreſſione animi defectionem inducunt: præcipue verò quibus copia ſuccorum crudorum atque inconcoctorum adeſt. tunc enim facultas tentabit quidem eos extrudere: at ij ob ſuam ipſorum craſsitiem ac viſcoſitatem obtemperare non valebunt. quare facultas ipſa diſſoluta neceſſariò animo deficiet.

172 Et aliqua obſtructio inſignis particulæ.

Hæc enim in conſenſum ſympatheiamúe ducentes principia, animi defectionem faciunt.

173 Animo etiam deficiunt quibus os ventriculi imbecillū eſt, vel à ſuccorum prauorum qualitate mordetur, vel à*
D *craſſis ac viſcidis humoribus grauatur.*

In his enim ob naturalem imbecillitatem à toto corpore in os ventriculi ſucci cōfluentes, pro ſua ipſorum natura, animi etiam defectionem faciunt. Nam ſi hi, craſſi vel viſcidi fuerint, comprimendo, vires diſſoluunt: ſi verò acres, vel mordaces vel aliquam aliam prauá qualitatem habuerint, ob eiuſcemodi intemperiem ſyncopas inferunt.

** Ita legunt ant. cod. impreſſi tamen habent: vel à ſuccorū prauitate mordetur, vel à craſſis aut viſcidis, aut humidis aut frigidis grauatur*

174 Quinetiam ex affectuū animalium vehementia animo quidam deficiunt: magis verò ſenes hoc patiuntur, & qui a-
E *lioqui imbecilles ſunt. Nam pleriq; eorum triſtati vel lætati,*

Sciendum eſt, affectus ipſos animales, ſi imbecillæ admodum facultati ſuperuenerint, ipſam diſſoluendo, mortem inferre, animi de-

fectione posthabita: Si verò facultas resistat, cusaque sit imbecilla, animi defectionem facere. Tristitia ergo ob refrigerationis immoderantiam, & quia succi in profundum corruunt, naturamque suffocant, animi facit defectionem, voluptas verò naturam dissipando, innatumque calorem digerendo. A

175 *Et irati animi defecerunt.*

Quæsitu dignum est, quomodo ipse sibi ipsi aduersari videatur. Ait enim alijs in locis, iratum nullum perijsse, & hoc meritò.nam in iracundia facultas validior seipsa longe fit, vt diximus: nimirũ quæ conetur ea, quæ tristitiam intulerunt, punire. ob idque tunc innatus calor extrorsum fertur, veluti per se ipsum tentans hostem vlcisci. Hoc autem in loco animi defectionem ait ex iracundia fieri. Dicimus ergo, irascentes, quoniam in eis spiritus innatusque calor extra proruit, si facultate robusta fuerint, restitere, nec animo deficere: si verò imbecilles fuerint, vt non amplius facultatis tenorem possint conseruare, animo deficere: præcipueque cùm habitu corporis raro fuerint. Ob hanc sanè causam inuenire licet ex irascentibus aliquos quidem rubicundiores, aliquos verò pallidos ac tremulos: tremulos sanè, ob facultatis imbecillitatẽ, quod nõ amplius particulas sustentare ac vehere queat, sed inordinatè ipsas moueat: pallidos autẽ, quia cum iracundia quidam metus coiunctus est, qui talem in ipsis colorem inducit. Potest & illud quoque dici, iracundiam quæ animi defectionem facit, ad interitum nunquàm ducere (nam quæ moderata est, neque etiam animi deiectionem infert) cùm nec ipsam quidem possit intendere. si enim haberet id quod facit, necessario etiam sanè id quod fit, haberet. Enimuerò intensio defectionis animi nihil aliud est, nisi mors. Non est ergo mors in irascentibus. Quare sermo ille verus est, Nullus iratus perijt, licet animo defecerit. B C

2. de causis symptomat. cap. 5.

179 *Quinetiam & madores aliquando haud in tempore ijs qui ita habent, superuenientes, animi defectionem inferunt: quemadmodum robustioribus sudores immoderati. Et si abscessus rumpatur, ei qui valida non admodum sit facultate, præcipueq; si ruptus confertim in ventriculum vel stomachum vel thoracem confluat. Et nos ipsi abscessus secantes, si pus confertim vacuauerimus, hominem animo deficere est necesse. Et si purgantes vel clysterem inijcientes, vel quomodocunque vacuantes, confertius ipsum egerimus. Neque enim humidum quod in hydrope est, licet superfluum sit ac præter naturam, innoxie fert confertam vacuationem: sed tunc quoque necesse est hominem animo deficere.* D E

Hi

A Hi qui ita habent, inquit, ideſt qui facultatem habent imbecillã, & immoderatos animi affectus ſuſtinent. in his enim moderati etiam madores ſatis ſunt ad animi defectionem inferendam. Si verò robuſtiores fuerint, madores non amplius hoc facere poſſunt: verùm ſudorum immodica vacuatio animi defectionem inducit.

177 *Sed & ob doloris magnitudinem exolutiones fiunt, morſibus quibusdam, vel torminibus.*

Solet etenim doloris exceſſus vires diſſoluere.

178 *Vel ileo, vel colica affectione ſubito incidente.*

Ileus eſt vomitus ſtercoris. fit autem à phlegmone inteſtina occu-
B pante, nec permittente ſtercori ſolitum iter facere. & hoc eſt ſignũ affectus periculoſum, ac rarò ſalutare: vires enim diſſoluit doloris exceſſu ac ſtercoris qualitate ſtomachum ac concoctoria inſtrumenta perturbans. Quòd autem colici etiam dolores vehementiſſimi ſint, non opus eſt vt dicam. fiunt autem à pituita craſſa, quæ intra duas coli tunicas continetur, atque inflatum reſoluitur. ac ϛρόφους hoc eſt torſiones torminàue, ac immoderatas diſtentiones infert.

179 *Sed & neruus vulneratus ac muſculi caput animi defectionem attulit, & vlcera maligna in articulis exiſtentia, &*
C *gangrænoſa ac depaſcentia omnia: & immoderata quædam frigiditas vel caliditas, ac vitalis tenoris ſolutio. Hæ quidem ſunt defectionis animi cauſæ. In ſingulis autem ipſarum peculiaris eſt curatio. ac de omnibus nunc ſcribere non eſt locus.*

Quoniam hæ fluxionibus magis obnoxiæ ſunt, quàm reliquæ ipſius partes. Fiunt autem quandoque vlcera in his.

180 *Nam quæ affectibus aſſident, ſine illis curari non poſſũt. Tantum ergo in præſenti oratione de ipſis dicemus, quantum*
D *edoctus quiſpiam acceſſionibus ſtatim incidentibus occurrere valeat. verbi gratia, ijs qui ex choleris & diarrhœis atq; alijs copioſis atque confertis vacuationibus exoluuntur: aqua frigida aſpergenda eſt, nareſq́ comprehendendæ, atque os ventriculi perfricandum, vomituſque eſt imperandus: aut irritandus eſt ſtomachus vel digitorum vel pennarum immiſſionibus. ſed & manus & crura ligare oportet, ac vincula plura quidẽ ac vehementia circa manus, quando per inferiores partes vacuationes fiunt. quemadmodum in hæmorrhoidibus, &*
E *diarrheis, & quæcunq; per vteros mulieres euacuant. Tunc enim vehemens crurum ligatio, aliquid ſæpius deorſum detra-*

hit. Contrà verò in sanguinis per nares eruptionibus & vomitibus vincula plura & vehementiora circa crura fiant. Et sanè quibus ex vulneribus sanguis erumpit, eodem modo, supra quidē, si in inferioribus infra verò si in superioribus id accidat, vincula inijcere oportet. Inueniēda autē est aliqua etiā accliuis figura parti, non tamen admodum vehementer. Si enim tendatur ex hoc & doleat, nihilominus irritatur ac si esset decliuis. A

Oportet, inquit, in his artus (græcè cῶla) id est manus & crura ligare. Et in vacuationibus quæ deorsum fiunt, magnus ligamus, vt ex dolore materias illuc proritemus, ac veluti reuellentes ab inferioribus ad superiora, vacuationem arceamus. Si verò per superiora vacuatio fiat, contrarium facere oportet, hoc est crura ligare: scientes si in eas ipsas regiones à quibus vacuatio prouenit, vincula inijciamus, nedum nihil nos profuturos, quin magis etiam laborantem læsuros: quippe qui sanguinis profluuia augeamus. B

181 *In vniuersum autem reuellere oportet vel ad ea quæ cum partibus affectis communia sunt, vel ad ea quæ euacuationem sunt exorsa: ob id enim confertas vterorum vacuationes cucurbitulæ sub mammas appositæ celerrimè sedant.* C

Hoc in loco generales quosdam exponit modos reuulsionis. Oportet enim ait, reuulsioné fieri vel ad eas particulas quæ miserunt, vel ad eas quæ communicant. Vt exempli gratia, communitatem habent mammæ cum matricibus per quasdam venas, quæ scilicet sanguinem (qui dudum in vtero prægnationis tempore, vt in fœtus nutritionem dispensaretur, erat collectus) nunc ad mammas transferunt, vt in lactis formam trasmutetur: ac rursus extra exiens, puerulum nutriat. Si igitur ex vtero vacuatio fiat, cucurbitulas mãmis apponentes, ipsam fieri prohibemus. Hæc itaque est reuulsio, quæ per communicantes partes fit. Reuulsionem autem ad particulas quæ miserunt, faciemus, quando, quæ susceperunt, nobiliores sint, quàm quæ transmiserunt: Nam si contrà se habeat res: vt quæ miserunt nobiles, quæ susceperunt, ignobiles ac minus principales sint: non amplius reuulsionem ab hoc scopo capimus. D

182 *Quæ verò ex naribus fiunt, iecori & lieni secundum narem, à qua sanguis erumpit, & si ex ambabus confertus multusq; feratur: visceribus ambobus adijciendæ sunt.*

Quærendum est, cur cùm sanguinis à dextera vel à sinistra nare fertur, eum, qui ex dextra fluit, iecoris esse dicamus, eum verò qui ex sinistra, lienis: omnes enim venæ sanguinem portantes à iecore feruntur. neque enim (vt quidam arbitrabantur) ex cerebro duæ ve- E

næ

A næ deferuntur. hoc enim ex anatome redarguitur. Quomodo ergo dicimus secundum rectitudinem sanguinem ferri, vel secundum processionem (hoc est κατ' ἴξιν, vt ait Hippocrates? neque enim conspicimus ex ipso iecore venam secundum rectitudinem ferri ad dexterã narem: sed propagines quędam sunt, quarum vnaquæque particula in dextro latere fruitur. Hoc igitur soluemus in hunc sanè modum. Sciendum est, ex tribus quibusdã nostrum corpus, vt sæpius diximus, constare, solidis inquam, humidis, & spiritibus: atque his assumptis naturam totum corpus composuisse, ipsumque bipartitò secuisse, veluti quadam linea duas ipsius partes distinguente, quod sanè in labro & sterno id est, osse pectorali apparet. Hoc autem fecit B natura, ne dum vna pars est affecta, totum corpus simul afficiatur: ac ex vnius partis actione læsa, totius corporis actio lædatur. Enimuero in semipercussis hoc fieri videmus. Nam sinistris sæpenumero partibus resolutis dextræ sanè sunt: vel è contra. Tria igitur hæc, dico sanè solida, humida, atque spiritus, inter se mutuò afficiuntur, atque vno moto, reliqua etiam vnà mouentur. Et hoc est quod Hippocrates *dicebat, Conspiratio vna: & confluxio vna: & omnia, simpathea*, i. cõpatabilia sunt, mutuòve interse afficiuntur. Cõspirationem quidem in spiritibus, confluxionem vero in humoribus, sympa- *Libro de Alimento.* thea autem in solidis accipiens. Et conspirationem vnam confluxio C nemque vnam dextrorum ad dextra, sinistrorum ad sinistra. Quoniã igitur didicimus in nostro corpore esse spiritum, scire etiã oportet, quemadmodum in omni particula corporis est: nullaque est quæ huius spiritus non sit particeps: sed & per carnẽ & per os permeat tenuissimarũ enim partium est (ita vt nihil ipsi sit inuiũ: per omnia igitur permeãs, cõtinuus sibi ipsi est) qui quidẽ in dextera parte est, ei qui est in dextera: qui verò in sinistra, ei qui est in sinistra. Si ergo in liene quædam affectio existat, facultas quæ in ipso est excretoria, in- D surgit vt noxium expellat. cogitur itaque in se ipsum lien, ac veluti contrahitur (hæc enim est excretoriæ facultatis actio) & dum cogitur, mouetur: dumque mouetur, vnà cum ipso spiritus etiam mouetur: quippe qui tenuium partium sit, superioremque lationem expetit atque insequitur, ac tum per vasa tum per occultos meatus proficiscitur. dumque ipse peruadit, vias dilatat. posteà, dum est circa sinistras cerebri partes, sinistram narem, raram ac latiorem facit, ac vt ex ea sanguis erumpat, paratiorem. Succus igitur qui pellitur à facultate quæ in liene est excretoria, retrogreditur ad iecur: postea facultas quæ in iecore est, cùm nequeat ipsum ferre, expellit. hic verò sursum per venas tendit, ac dum circa caput fertur, sinistram narem aper- E tam inuenit, per eamque excernitur. Ad eum etiam modum in iecore se habet. cũ. n. in ipso affectio fuerit, spiritus qui in ipso est, cùm mouetur, ac ad superiora fertur, dextram sibi ipsi narem præparat. Qui

igitur sanguinis eruptionem quæ per nares fit, reuellere vult: si ex dextra quidem nare profluat, iecori: si ex sinistra, lieni: si ex ambabus, ambobus etiam visceribus cucurbitulam imponere debet. Nam spiritus dum ex superioribus ad inferiora transfertur, succos secum commouere facit, ob idq; vacuationem quæ per nares fit, prohibet. A

183 *Sanat etiam vinum frigida temperatum exolutionẽ quæ ex confertis vacuationibus proueniunt: ac præsertim si fluxiones ad ventriculum repant. Considerandum autem est num aliquid talem exhibitionem prohibeat, veluti si aliquod viscus phlegmone laboret, vel capitis dolor adsit vehementior: vel affectus aliquis deliratorius, vel febris ardens in morbo inconcocto. magnæ enim in hisce, ac propemodum insanabiles ex vini potione noxæ sequuntur. Quòd si nihil prohibeat, deinceps ægrotantis naturam, consuetudinem, ætatem, atque ambientis aëris temperamentum definire oportet. adhæc enim respiciens, calidũ vel frigidum potum dabis. Nam qui frigido potui sunt insueti, vel etiam manifestè ab ipso læduntur: & qui naturà sunt frigidiores, & qui in extremo sunt senio, & regione natura frigidiori, & in hieme, à frigido sunt arcendi: Qui verò contrario modo se habent, ijs intrepidè dare debemus.* B C

Quoniam ex immoderata digestione defectio animi fit, idcirco nutrimentis indigemus, quæ id quod deest, corpori restituant. Verùm si ipsa nutrimenta se ipsa & transmutare & corpori apponere natura possent: illa certè impræsentiarum eligeremus, quæ maximè nutrire possent, qualis est caro suilla, & panis, reliquaq; id genus edulia. Sed quoniã facultas est, quæ has omnes actiones dispensat, nec sine ipsa, nutrimẽtũ vnquàm corpori apponeretur: idcirco pro ipsius tenore nutrimentũ admouemus. Neq; igitur cũ nunc imbecilla supponatur facultas, nutrimentis maximè nutrientibus indigemus (hæc.n. concoctu difficilia sunt, nec facilè facultati alteratrici cedunt:) sed ijs quæ celeriter ac citra laborem concoqui, celeriterque distribui posśint. In hoc igitur vinum exhibemus, cùm celerrimè alterari basimque ac sedem illius quod digestum est, replere posśit. Oportet autem ipsum aqua frigida temperare, vt nimirum frigiditate facultates dispersas colligat, corporique tenorem adijciat. Si verò à toto corpore ad ventriculum confluxio fiat, tunc maximè confert, vino aqua frigida temperato vti. Dum enim eiuscemodi vinum distribuitur, materias etiam secum asportat, facitque vt ipsæ contrario itinere D E

ferantur:

A ferantur: sicque lationem, quæ in ventriculum fit, prohibet.

184 Sit autem vinum in fluxionibus quæ in ventriculum repunt, tenue & calidum, quale est Lesbium.

Huiusmodi enim vinum cùm prompte distribuatur, fluxionibus quæ in ventriculum feruntur, obuiam it: distributionisque violentia ea quæ perperam atque inordinatè mouentur, secum asportat.

185 In sanguinis verò eruptionibus, crassum & nigrum & acerbum.

Oportet sanè vt plurimum, vbi adest sanguinis eruptio, cauere ab exhibendo vino. Si forte verò necessitas id exposcat, cùm nos alio
B modo haud possimus facultatem reuocare, nisi per vini vsum: dandũ id est crassum atque acerbum: vt crassitudine quidem, crassiorem ægreq; fluxilem reddat sanguinem: acerbitate verò, meatus condenset, sicq; vndequaque sanguinis excretionem prohibeat. Sit autem (inquit & illud vinum nigrum, quandoquidem vina nigra naturà crassiora existunt.

*186 Locis verò ipsis, ventriculo quidem & matrici & stomacho & thoraci, ea imponenda sunt, quæ roborandi vim habent:
C capiti verò & fronti & hæc ipsa, & ea etiam quæ refrigerant.*
In his particulis, quoniam naturà neruosiores sunt, nullaque earum propugnaculum habet, quod prohibere valeat, ne frigus ad imas partes ingrediatur, à refrigerantium vsu cauendum censet: quando nimirum ex vna harum partium euacuatio prouenit: vel à matrice, in menstruo muliebri: vel à stomacho, in choléra: vel à ventriculo, in diarrhœa: vel à thorace, in sanguinis aut puris eductione Enimuero adstringentibus solis vtitur, vt per hæc meatibus condensatis vacuationem cohibeat. In capite autem præter hæc, refrigerantia etiam addit: quoniam huic ipsi os prætensum est, quod non permittit refrigerantia ipsi cerebro immediatè occurrere, ipsiq; obesse.

D *187 Et quibus in superficie & naribus vena aliqua rupta sit, medicamentum aliquod ex ijs quæ sanguinem supprimunt, imponendum est.*

In quibus est ruptio vasis, vt ob id sanguinis eruptio fiat: in his, medicamentis ijs, quæ ἴσχαιμα idest sanguinẽ supprimentia, vocantur, vti oportet. Hæc autem sanguinis eruptionẽ contrahunt vel adstringendo condensandoq;: quod facit oxycratum & frigidæ aquæ vsus: vel oblinendo, quemadmodum est id quod ex pompholyge conficitur,
E & amylo, & cerussa, & thure, & aloe, ipsumq; oui albumen: vel vrendo crustamque inducendo, vt quę ex chalcitide constant, & mysi & chalcantho: in quibus crusta oborta tum meatum per quem san-

guis fertur, occupat, tum sanguinis eruptionem sistit. & certè singu- A lis his, prout vsus postulat, vti debemus. Nunc autem non est tempestiuum conuenientem singulorum vsum tradere.

188 *Lauacra verò in fluxionibus, quæ ad ventriculum feruntur, maximè idonea sunt.*

Hæc enim cùm ad exteriora materiam trahant, veluti reuulsionē faciunt: prohibentque ne humores per ventrem atque per intestina excernátur. (Sciendum autem est, in quibus multitudo materiæ in corpore continetur, in illis balnea magis ventriculum irritare, materias enim fundentia, fluuidiores ipsas reddunt: atque eas omnes, B quæ per occultos meatus prouocari possunt, illac prouocát: reliquas, quæ in profundo sunt, per ventrem ac intestina ferri faciunt.) Suppressionem autem nos cessare facimus per balnei vsum, ipsos in natatorium dimittendo, atque in bonam temperaturam reducendo: qua sanè facultates gaudent: tunc enim ab ipsa roboratæ, per accidens resurgunt: naturalesque ipsas effluxiones, quę erant suppresse, in pristinum statum restituunt. hoc autem euenit, quando ex imbecillitate facultatis excretricis, ventris suppresio oriretur.

189 *Sanguinis verò eruptiones vehementer irritant.* C

Quia nimirum calefaciunt funduntq; materias.

190 *Et quicunq; ob sudoris copiam animo deficiunt, ijs maximè contraria sunt. Horum enim cutim adstringere ac refrigerare oportet, non relaxare. Ac vinum frigidum præcipuè dare, nihilq; omninò calidum offerre.*

Atque hoc meritò. Si enim (vt ait) ex sudorum excessu animi defectio orta fuerat, eos autem intendere naturâ solent ipsa balnea: cóstat hæc ipsa maximè contraria his esse. D

191 *Sed nec etiam artus ligare oportet, neq; cogere ad vomitũ, neq; vllo modo mouere: ac spirituum ventorúmue refrigerantium introitum machinari, aeremq; domus in frigidam atque adstringentem qualitatem vertere, myrtis nimirum vitiumq; capreolis & rosis pauimentum consternentes. Horum nihil est vtile fluxionibus, quæ in ventriculum feruntur. Has enim tantum augent, quantum tu cutem densabis. Iis igitur qui ex vacuationibus exoluuntur, ita confestim succurrendum.*

Oportet enim in his quietem imperare, cùm compertum habea- E mus, quòd quælibet etiam vacuatio, eos calefaciendo, sudores præcipuè augere, periculumq; inferre potest.

At

A 192 *At qui ex multitudine, non item eodem modo. verùm illorum artus plurimum fricare oportet et calefacere, ac ligare. à vino autem et alimento abstineant.*

Consolata curataq; ea animi defectione, quæ ex immoderatis vacuationib. fiebat, consequēter transit ad eam quæ ex multitudine euenit: oppositamq; curationem adhibendam asserit: siquidem causa etiam quæ fecit, contrario penitus modo se habet. Oportet igitur in his artus vehementer perfricare, vt ab imis partibus ad superficiem multitudinem attrahamus: ex hocq; imas partes liberemus. Nec so-
B lum perfricandi sunt artus, verùm etiam calefaciendi. quippe cùm caliditas fluxiones attrahere naturâ soleat. Et sanè etiam deligandi sunt, cùm dolor illud idem facere posit. Et ab alimento abstinendū est. absurdum enim est multitudinem super multitudine acceruare: cū excrementa ab exhibito alimento generētur. Arcendi autē hi sunt & à vini potu: cùm id nutriat, ideoq; multitudinem augeat, ac præterea sua ipsius caliditate materias fundat, ac multiplicare ipsas faciat.

193 *Et à lauacris, si febricitent.*

Probè addidit limitationem. Si enim non febricitent, haud omnino ipsos à lauacro arcebimus, sed permittemus ipsos in balneo in-
C gressos, in eo aere immorari, qui digerere, & ab imis partib. ad superficiem, multitudinem attrahere potest.

194 *Satis autem est ipsis dare melicrati potum, in quo thymus vel origanum, vel pulegium, vel hyssopum decoctum fuerit.*

Melicratum præbet, vt succum subiectum attenuet, fluidumque ipsum reddat. Porrò ipsi admiscet quæcunque calidæ ac attenuantis sunt facultatis, vt thymum, pulegium, hyssopum, origanum.

195 *Conuenit verò & oxymel.*

Etenim & hoc attenuare solet succos, atque ad excretionem prouocare.

D 196 *Et quæ ex vteris affectis exoluunltur, eodem modo curare oportet, præter quàm oxymelite.*

Eandem inquit curationem suscipimus in animi defectionibus ob vterorum recursus ad superiora prouenientibus, qualem & in multitudine susceperamus. constat enim vteros quoque ad superiora recurrisse, quia ob multitudinem eorum vincula appensionesq; replentem couulsi erant. Cauendus aūt in his est oxymelitis vsus. ὑστεραλγὲς 3. de diæta
enim est idest dolorem vtero infert, vt dicit Hippocrates, læsioneq; a:u. morb. c. 39.
E haud vulgari particulam hanc, neruosiorem existentem afficit. Acetum enim, sicco & frigido cùm sit temperamento, matrici simili temperatura præditæ contrariatur appositū, ipsiusq; intēperiē duplicat

197 *Et ligare fricareq́, crura magis quàm manus. Et quemadmodum in excretione multa, iuxta mammas cucurbitulas imponimus: eodm modo quibus sursum & in latus retractus est vterus, inguinibus ac coxis admouebimus.* A

Volumus enim matricem ad superiora retractam, ad inferiora deducere. Quare inferiores particulas fricare oportet: vt hac via materias alliciendo, matricem quoque vnà cum ipsis in proprium locum attrahamus. Hoc idem faciunt cucurbitulæ inguinibus adaptatæ: quippe quæ non succos solum attrahere soleant, sed & ipsas etiam particulas. Adde quòd, vt superius dictum fuit, succorum propensiones ipsa etiam matrix insequitur. Illud tamen amplius distinguendũ est: cùm matrix secundum vnam partem retracta atque inclinata est, vni etiam inguini ponendam esse cucurbitulam: cùm verò sursum ad acta atque attracta est, vt tota ipsa æqualiter supera sit, duabus tunc particulis cucurbitulas inijciendas esse. B

198 *Ac naribus quidem odorabilia grauißimè olentia, matricibus autem bene olentia, & quæ laxare calefacereq́, poßint, adhibebimus.*

Hinc quidã commoti dicere conantur, videri & ipsum etiam Galenum, vt matrix sit animal, decreto asserere. aiuntq́; ipsum sibi ipsi aduersari: vt qui passim decretum hoc reprobet ac redarguat: Videri autem ita Platonem in Timęo affirmare, vt sit animal, eo quòd facultatem quandam seminis appetitricem habeat: quo non potita, per totum vagetur corpus, rem amatam desideratamq́; perquirens: postea tandem secundum thoracem perueniens, strangulationes inferat. Verùm hoc in superioribus iam redarguimus. Aiunt autem ijdẽ viri iuxta Aristotelicam rationem: Quæcunque vel quinque sensus, vel quatuor, vel tres, vel duos, vel vnum duntaxat sensum habent, ea dicuntur esse animalia: & quæcunque primum sensum habent, reliquos etiam ex necessitate possident, Primus autem sensus est visio. ergo quæ hanc habent, omnino etiam audiunt, odorant, gustant, & tangunt. Non tamen quæcunque audiunt, omnino sanè ea vident: sed hæc sensum quidem auditorium habent, non tamen omnino visionem. Sunt etiam quædam, quę neque auditorium sensum habent, sed qui post hunc sunt, odoratum, gustatum, & tactum: Quædam verò duos solos, quemadmodum hiatulæ marinæ. Spongiæ verò tactorium duntaxat sensum obtinent. Si igitur matrix odoratorium sensum habet, gustatorium etiam profectò obtinebit. Atque ita cùm tres habeat sensus, propriè etiam dicitur & est animal. Quòd autem odoratorium sensum habeat, patet: propterea quòd & ipsa superius quidem * existens, vt ipse inquit, in thorace: graueolentia adhibita C D E

moleste

A molestè ferendo, fugit, destituitq; eas partes, atque ad beneolentia quæ desubter apponuntur, currit. Hæc est horum dubitatio, acris sanè, nec solutu facilis. Nos verò eam hunc in modum soluemus. Sciendum est, si matrix odoratum haberet, desubter adhibita graueolẽtia certè sentiret: nunc verò desuper offeruntur. Et quo nam modo, tot partes pertranseuntia, ad matricem ferri possunt? Sed dicerent secundum thoracem hoc modo ea percipit. At certè hoc minime fieri posse, à nobis in superioribus ostensum est. Quomodo enim potest, intestina & ventriculum, & septum transuersum ac reliquas illic positas particulas prætergressa, secundum thoracem peruenire? Di-

B cimus igitur, cerebrum graueolentia sentiendo, ab illis molestari, ac contrahi, simulq; cum ipso odoratorium spiritum: ac per continuum ex hac molestia reliquas etiam particulas contrahi, atque hac contractione trudere, ac veluti exprimere, propellereque ac deorsum prouocare matricem. Sed dicat quispiam: cur alia quędam calida ac graueolentia non admouemus? Et dicimus, naturaliter his suauibus maximè delectari ac gaudere principales particulas. quandoquidem præterquàm quòd calefaciant, facultatem etiam quandam sympępticam, idest concoctoriam habent: quæ & excitare naturà so-

C leat, ac partium tenuitate affectus ijsdem particulis existentes curare ac sanare queat.

199 *Si verò stomachus fuerit imbecillus, atque ob id animo defecerint, ea quæ roborandi vim habent emplastra imponere oportet: qualia sunt quæ ex palmulis fiunt, & vino, & polentis & croco, & aloe, & mastiche. Irrigare autem ijs quæ ex absinthio constant, & oleo melino, & mastichino, & nardo, & œnanthe, & vino. Et si æstuet, miscere aliquid oportet ex refrigerãtib. veluti cucurbitæ succum, & lactucæ, & portulacæ, & solani, &*

D *fereos, & omphacis, idest vuæ acerbæ. hæc enim non refrigerat solùm, sed etiam adstringit, & aqua frigida æstuantibus stomacho sæpenumero profuit in tempore data, alioquin magnopere lædit. Et oportet potius vinum calidũ dare ijs qui infirmo sunt stomacho, si nihil aliud prohibeat.*

In tempore dicit, si nec particula sit imbecillis, nec phlegmone in aliquo membro principali sit, nec inconcoctorum succorũ multitudo adsit. His enim omnibus affectionibus haud mediocriter officit.

E 200 *Iuuat autem magnopere eiuscemodi stomachos extremorum frictio. Si verò ex his nihil melius habeant æstuantes quidem ad lauacrum celerrimè sunt ducendi. Qui verò alicuius*

frigoris sensum habent, ijs medicamentum diatrionpipereon appellatum, & ipsum etiam piper solum, & absinthium in potu dandum. A

Quoniam calefactus stomachus à toto corpore in se ipsum excrementa atthrahit: ob id recalefacere iubet artus, vt illuc materias alliciat, stomachumque ipsum liberum constituat.

201 *Qui verò ex prauis succis os ventriculi mordentibus exoluũtur, exhibita aqua calida vel hydrelæo euomere iubeto.*

Quoniam succi prauitas, deleteria quadam qualitate os ventriculi obsidendo animi defectionem inducit: oportet sanè prius hanc κατακεραστικῶ, idest contemperatorio modo mitiorem facere. hocque faciet calida aqua, contemperans quidem, vt aqua: dissoluens verò ac diffundens, vt calida: ita vt ad excernendum facilem ipsum reddat. Conuenit etiam & hydrelæon exhibere, vt ex fastidio quod ex oleo percipitur, vomitum concitantes, noxiam causam vacuemus. B

202 *At si difficulter euomant, fouere oportet prius tum regiones quæ circa stomachum sunt, tum manus & pedes. si verò ne sic quidem vomere possint, digitos vel pennas demittendo irritare oportet. sin ne sic possint, rursus ipsis oleum calidum quamoptimum dandum est.* C

Si non possint, ait, vomere, succis nimirum adhuc crassis existentibus, nequeuntibusque facile reijci: oportet in his stomachum fouendo, ipsos tum dissoluere, tum ad excernendum idoneos reddere. Fouere præterea oportet ipsos artus: quoniam os ventriculi his incalescentibus vnà calefieri solet. dici etiam posset: quia si portionem materiæ ad artus prouocauerimus, expulsoriæ etiam facultati dabimus, vt reliquum facile propellat.

203 *Solet autem sæpenumero oleum non ad vomitum solum irritare, sed & ventrem emollire. est autem & hoc præsentibus rebus non parum vtile. quare nisi accidat, machinari id oportet.* D

Hoc facit ob permixtionem aliorum, quæ mordicatione quidem facultatem expulsoriam excitent, tenuitate verò partium excretiones prouocent.

1c4 *Præcipue verò subditis hoc facere tentandum est. Quod si facilius ex his fiat, absinthij comam in melicrato decoquens, bibendum dato: & vinum deinceps. Et omnino roborare oportet particulas tum per medicamenta exterius apposita, tum* E

absin-

A *absinthij potionibus. Non tamen in principijs te hoc ita facere iubeo, sed postea, quando nimirum iam pura fuerint, quæ circa ventriculum sunt. Cùm verò adhuc succi in ipso continentur, nondũ adstringere oportet, sed satis est fouere dũtaxat, vt prius dictum est.*

Subdita (græcè πρόσθετα) vocantur, quæ à medicis conficiuntur glandes: quod sanè moderate irritare possunt. Fugiendus autem à nobis in his est clysterum vsus. quippe cùm sciamus ex his prauã quãdam qualitatem circa stomachum transmitti, ipsumq; vitiare. Enim B uero in quibus imbecillus est stomachus, vbi clystere vsuri sumus, prius aquam temperatam potandam præbemus : vt hæc ante omnia qualitatem à clystere prouenientem, stomacho immediatè occurrere non permittat. Nunc verò adhuc magis tempestiuum est clysteras fugere, quandoquidem suppositum est, animi defectionem fieri ex praua succorum qualitate: timorque est ne hæc ipsa ex qualitate clysteris exhalante, duplicetur.

205. *Vbi verò pituita multa ac frigida in ore ventriculi fuerit collecta, perfundere quidem plurimum oportet oleo, in quo* C *absinthium decoctum fuerit. deinde melicratum dandum est, in quo vel hyssopum vel aliquid simile maduerit. Dandũ præterea est & oxymeli & piper, vel diatrionpipereon, vel diospoliticum medicamentum. Et vniuersum tibi diætæ caput secantius sit. Quæ verò ex vehementibus frigiditatibus fiunt exolutiones, non secus ac bulimos curare debemus, omni modo calefacientes. Itaque ipsis vinum dare oportet calida temperatum, ac alimenta quæ calefaciendi naturam habeant: perfricareq́; ac fouere ad ignem.* D *Quæ verò ex caliditate nimia accidunt animi defectiones, ijs quæ refrigerare roborareq́; possunt, sunt curandæ. hæ verò maximè eueniunt ijs qui in aere suffocante ac balneo moram traxerint. Roborabis autem ipsos statim frigidam aquam spargendo, & flabellando, & ad uentum exponẽdo, ac os ventriculi fricando irrigandoq́; : deinceps verò vinum atque alimenta exhibendo.*

* Oleo quidem ipsi os perfundens, oleũ verò sua ipsius caliditate E laxando ac fundendo succum fluuidiorem reddet. Admiscet autem absinthium, vt os ventriculi, quod semper roboratione indiget, ex ipso tenorem seruet.

206 *Qui verò ob phlegmones magnitudinem vel febris vehementis melignitatem animo deficiunt in inuasionibus, & artubus refrigerantur: ijs vehementer fricando & fouendo & ligãdo manus ac crura.* A

Phlegmone sæpe quidem in nobili particula existens, animi defectionem facit; sępe verò licet in ignobili existat loco, ob propriam tamen magnitudinem, doloris excessum inducens, laborantem dissoluit, ac animi defectionem facit. Quin & febres malignæ interdum dum inuadunt, secum ferunt animi defectionem: quæ sanè fit, eò quia succi omnes in profundum confluunt, facultatemque suffocát. B Oportet ergo in his artus fricare & fouere & ligare: vt per hæc omnia à profundo ad superficiem materiam attrahamus.

207 *Vigiliasque imperando.*

Quòd per somnos in profundum succi omnes fluant, tum ex alijs multis comprobari potest, tum verò magis quia dormientes in superficie refrigerantur: ita vt pluribus tunc opertorijs indigeant, quã si vigilarent. Hoc igitur ostenso, necessariò tum ex somnis, tum ex accessione inuasionis confluxio in profundum duplicata, naturam multitudine suffocabit: quare optimum est ipsos excitare, sobrios nimirum vigilantesque præparando. C

208 *Ac omnis cibi potusq́ abstinentiam. Optimum autem est in his, vt quod futurum est, prænoscas: hacq́ ante accessionem facere anticipes.*

Et hoc meritò: neque enim phlegmones magnitudo extitisset, neque febris maligna euasisset, nisi immodica succorum multitudo adfuisset: in quibus sanè nutrire absurdissimum est, quippe cùm alimẽtum, succorum redundantiam perpetuo augeat.

109 *Et qui ex siccitate in accessionum principijs sincopam incurrunt, eos optimum est vt prænoscas. Si enim duabus tribusve horis ante accessionem nutrimento exhibito, constringi manus ac pedes iusseris, haud sanè interibunt. Oportet autem vt alimenta sint concoctu facilia ac stomacho apta. Si verò vehemens fore periculum suspiceris, vinum dare anticipato: magis verò, vbi in chondrum elixatum, vinum infuderis, exhibeto. Si verò panem loco chondri dederis, idem valebit.* D

Calidiorum ficciorùmque temperamentorum vniuersas causas in curatiua methodo didicimus: quandoquidem in illis libris absolutius de hac speculatione hic scriptor tradidit. Quòd verò etiam nonnulli ex ijs animo deficiunt, illic etiam dictum est, nuncq́; nihilominus E

nus

A nimus dicitur. Duplicata enim siccitas tum à naturali laborantis temperamento, tum à febris intemperie, facultatem deijcit. Exhibere ergo ipsis oportet alimentum, quod tum humectet, tum simul squaloré illũ vehementé consolari extinguereq; possit. Hoc autẽ fieri oportet nonnunquàm quidem duabus tribusve horis antequàm accessio inuadat: sæpenumero autem in ipso etiam principio. Hoc enim præcipue est Galeni inuentum, ob quod magnopere ipse celebratur: cùm nemo ex ijs qui ipsum præcesserunt, de hoc enunciarit. immo etiam Hippocrates reclamet inquiens, *In accessionibus subtrahere oportet: addere enim læsio est.* Enimuero iubet, vt post alimentũ

B exhibitum pedes & manus constringantur: sciens membra hæc multam cum stomacho communionem habere: ita vt his incalescentibus vnà quoque ille incalescat: atque exhibitum alimentum concoquat, celeriterque illud ad iecur reliquumque corpus transmittat.

210 *Vbi verò mediocris syncopa expectatur, nec vinũ dãdũ est: sed tũc satis est mala punica, vel pira, aut mala, vel aliquod aliud pomũ astringens alimẽtis admiscere. Siq; post hæc moderatè accessionẽ ferãt, cũ rursus nutries, pomis vti nõ erit necessariũ.*

C Si magnam fore animi defectionem expectamus, ijs vinum exibere satius est, vel cum chondro vel cum pane: Si verò mediocrem, vinum quidem non amplius dabimus, miscebimus verò chondro panem cum aliquo ex pomis (quę ὀπώραι græce dicuntur) adstringentibus. Hæc namque humiditate quidem siccitatem consolabuntur: adstrinctione verò facultatem roborabunt. Post quæ sanè, si accessio tolerabilius inuadat, ita vt nec animi inducat defectionem: oportet deinceps alimentis memoratis vti, nec amplius poma complicare atque admiscere: quandoquidem succorum quædam prauitas ex

D ijs colligitur, quę febres tum augere, tum duplicare potest.

211 *Hæc quidem agenda sunt, si quod futurum est, præcognoueris. Iis verò qui ex inopinato in periculum inciderunt, vinum calidum panisq;, ac cum eo chondri exiguum quid omnino dandum est. Si enim plura concoctu difficiliora cibaria ijs qui ita habent, dederis: non syncopam incurrent solum, sed & suffocabuntur. Qui verò ob insignis particulæ obstructionem animo deficiunt, ijs oxymeli dandum est, potioq; quæ ex hyssopo, origano, pulegio, ac melle conficitur, ac alimenta quæ se-*

E *cantioris modi sint. Crassa enim ac viscida alimenta magnas in hisce læsiones faciunt. Sed & artus fricare ac ligare nihil deterius fuerit. Bonum etiam est potionibus vrinam cientibus*

uti: qualia quæ ex anetho, & fæniculo, & apio, & petroselino, & dauco, & ami, & spica nardi conficiuntur. Ex quibus ubi manifestum iam iuuamentum existat, vino tenui & albo nec admodum antiquo vtendum est. A

Melius sanè est, futura tempestate præuisa, præparationem aduersus ipsam facere, corpusque ad patiendum contumax reddere, vt imminenti symptomati haud facilè cedat. hoc autem per memoratam victus rationem fiet. si verò in ipso iam periculo simus, tunc vinum calidum exhibere oportet: vt distributionis celeritate tum nutriat, tũ vniuersas facultates roboret. Vino autẽ exiguũ quid chondri vel panis admiscebimus, vt alimentũ firmius efficiamus. Vinum enim sicuti celerrimè nutrit, ita etiam celerius digeritur, ob idque eidem memoratas res admiscemus, retentionem alimenti & securiorem & diuturniorem machinantes. B

212 *Noscemus autem eiusmodi obstructiones tum ex alijs pulsuum inæqualitatibus, tum maximè ex ijs quæ secundum magnitudinem & paruitatem, vehementiam & debilitatem fiũt: modò non adsit sindrome id est concursio, quam plethoricam vocant. Sunt enim & illius communes.* C

Diagnosticum hoc theorema interspersit, quod multæ inhæret veritati. Fiunt enim ex obstructionibus vniuersæ inæqualitates, præcipuè verò quæcunque facultatis sunt propriæ. Cùm enim causas obstruentes facultas aggrediens, nonnunquàm quidem vincat, nõnunquàm verò vincatur: si vincitur, paruum & debilem facit pulsũ: si vincit, magnum & vehementem. atque hoc sæpius eueniens inæqualem in pluribus ictibus faciet arteriæ motionem. Considerare autem oportet, nunquid adsit plethorica affectio. prædicta enim inæqualitas & huius est communis. hanc ipsam autem sanè diiudicabimus ijs signis, quæ de multitudine iam à nobis tradita sunt. D

213 *Fiunt autem intermittentes etiã pulsus in eiusmodi affectionibus, si magnæ fuerint. Hæc quidem plenius in libris De pulsibus dicuntur. Nunc verò ad sermonem transeamus de reliquis exolutionibus, quales sunt quæ propter ruptionem abcessus vel sectionem fiunt, & quæ propter vacuationem confertã in hydrope.*

Quòd intermittens sit pulsus, quando dum expectatur motus, quies fit, iam in libro de Pulsibus diximus. Hoc autem intelligi potest vt obstructionis & multitudinis commune. Quandoquidem debilitata, ac veluti tenore admodum priuata facultas, interim quiescere E

A cere ſtudet, atq; intermittentẽ facit pulſum. Poteſt & item conſiderari, veluti diſcrimen inter plethoricam affectionem & obſtructionẽ faciat. quoniam intermittentes pulſus in plethora magis fiunt, tanquàm & ipſa etiam magis quàm obſtructio facultatem grauet: ſiquidem obſtructio in vna continetur particula: multitudo verò in toto corpore obambulans, totam deijcit facultatem.

214 *Satis autem eſt hos quàmprimum odoratis recreare: paulo verò poſt ſorbitionibus concoctu facilibus nutrire.*

Quoniam, dum humores præter naturam vacuãtur in hydericis
B interpunctionibus, & abceſſuum ruptionibus ſectionibusve, vná cum inutilibus multũ quoque ipſius vitalis tenoris excernitur, hincque homines animo deficiunt: opus ſanè eſt eos, dum adhuc in animi defectione perſiſtunt, odoratis recreare, ijs inquam quæ tunc per occaſionem inueniuntur, qualia ſunt roſæ, vel lilia, vel in Alexandria lotaria. Et certè ſciendum eſt, & hoc optimé ab antiquis dictum fuiſſe, cùm noſtrum corpus ex tribus ſubſtantijs ſit compoſitum, humida, ſolida, & aerea: harum vnamquanq; ex eo quod ſibi ſanum ac familiare eſt, nutriri: ſolidas quidem partes ex ſolido alimento: humidas autem per potuum adhibitionem: ipſos verò ſpiritus, per aeris ingreſſum. & hoc eſt quod Hippocrates dicebat, Continentia, cõ-
C tenta, & impellentia, & alio loco, ipſius ſpiritus nutrimentum nares, os, bronchus. Reſpirat enim cor per os & nares: Cerebrum autem (quandoquidem & ipſum reſpiratione vti oſtenſum eſt) per nares dũtaxat. Hinc appoſitio ſpiritus,* calorem innatum aereum exiſtentẽ augebit. Ob id ergo odorata naribus admouemus, vt qui ab ipſis effluũt vapores, cùm tenuium partium ſint, aptique vt ſpiritus optimi ſubſtantiam traſmutentur: in locum illius vitalis ſpiritus qui digeſtus eſt, introducantur: Enimuero adſtrictione etiam, ſpiritum qui in nobis eſt, cogere conſtringereque poſſunt. Quare per ſuam quidem ipſorum ſubſtantiam, ſtatim ſpiritum nutriunt: per aſtri-
D ctoriam verò qualitatem, eos qui diſſolui periclitantur, tum claudunt ac firmant, tum robuſtiores efficiunt. Atque hæc quidem in ipſa animi defectione adhibere oportet. Deinceps verò vbi hæc ipſa ceſſauerit, alimentis concoctu facilibus facultatem digeſtam reſumere reficereque debemus: ſorbitiones ex chondro, vino admixto, ac quæcunque ſimilis fuerint facultatis, exhibentes.

6. Epid. ſectione 8. Lib. de Alimẽto.

215 *Si verò ob triſtitiam vel gaudium vel metum vel iracũdiam vel terrorem exoluti fuerint, odoramentis ac narium ap-*
E *prehenſionibus recreati, ad vomitum ſunt cogendi. Eodem modo & qui ex vulneribus, vel ruptio*nibus, vel doloribus ſecundum articulos, neruos, ac muſculorum tendones exiſtentibus,*

exoluti fuerint statim quidem sunt recreandi: postea verò conueniens affectui curatio facienda est. A

In animalibus affectibus animi defectio contingit, vel digesto vitali tenore, vt in irascentibus & confertim delectantibus accidit: vel suffocato ac refrigerato, vt in tristantibus & metuentibus: vel co*ngelato, id quod accidit illis, qui in horribilẽ quampiá rem subito atq; ex improuiso incidunt. congelatis enim ipsis, veluti immobilis permanet spiritus, quod haud amplius possit vel intro ferri, vt in metu & tristitia: vel extrà, vt in iracundia atque delectatione. In his igitur, quoniam vndequaque siue per constrictionem siue per fusionem, deficit spiritus: melius est odoramentis ipsos recreare ob eam causam quæ de ipsis tradita est. Cogendi autem sunt ad vomitum: illi quidem qui ex delectatione animo defecerunt, vt retrahamus, atque intrò naturam auocemus, nec permittamus ipsam per superficiem effluere: illi verò qui ex tristitia, vt id quòd in ore ventriculi à succorũ confluxione repleto continetur, vacuemus: Eadem etiam intelligẽda sunt in iracundia & metu. Nam iracundia, quemadmodum delectatio animi defectionem infert, vires per exteriora deprædando: metus autem eodem modo, quo tristitia, naturam in profundũ compellendo. Cæterùm in ijs qui terrorem sustinuerunt, vomitus facultatem reuocat, neutrum ex prædictis faciendo, sed eam pungendo & stimulando, ac veluti ex profundo somno excitando. B C

216 *Quæ verò ex colicis affectibus vel ileis vel aliquo ex ijs qui tam magnos inferunt dolores, sequuntur animi defectiones: affectarum partium calefactionibus atque extremorum frictionibus, desistunt.*


Colica affectio fit, vbi pituita in sinu continetur intra duas tunicas intestini: quæ sanè pituita dum resoluitur ac distenditur, & torsiones & immoderatos dolores facit. hacq; de causa animi defectionem infert. Hoc autem (inquit) etiam fit à phlegmone quæ intestina deprehenderit: nec amplius permittat stercori, vt per consuetum iter feratur. Enimuero in exitiosis ileis videre licet etiã stercus euomi. Fiunt autẽ & in his tũ torsiones, tũ immoderatus dolor. Oportet ergo in his ambobus, si imbecilla sanè facultas subijciatur, & à dolore, (vt quæ illius excessum minimè ferat,) dissoluatur, stupefacientibus vti, quæ dolorem sedant, affectionem non tollentia. Sed quoniá ex horum præsidiorum frigiditate par est vt locus intemperatus iam redditus denuo vexetur, ob imbecillitatẽ quæ ipsi ex intemperie aduenit: satius est post doloris sedationem, ijs quæ calefaciant ac recorporare possint, euertere eruereque particulæ affectionem. Ac illi quidem qui his medicamentis haud vsi sunt, in posterum in causa fuerunt. D E

A runt, vt assiduè colon intestinum fluxione laboraret. Oportet autẽ in ipsis quoque crura & manus fricare: vt ab imis partibus ad exteriora materias auertamus.

217 *Quæ verò ob imbecillitatem propriam facultatum corpus dispensantium exolutiones eueniunt, ex intemperie illarũ particularum facta, vnde facultates prodeunt: eas contrarijs intemperiebus curare conuenit, frigidas quidem calefaciendo, calidas verò refrigerando, atque in alijs eadem ratione. Vitalis igitur vocata facultas, quam à corde prodire ostendimus,*
B *ex debilibus pulsibus dignoscitur. Quæ verò à iecore prodit, nutrixque appellatur, ex sanguinolentis deiectionibus initio quidem aquosis atq; tenuibus, postmodum verò crassis veluti est amurca. Quæ autem à cerebro prodit facultas, quæ peculiariter ab aliquib. Animalis nominatur, ex voluntariorũ motuũ infirmitate dignoscitur. Verũ de eiusmodi affectionibus priuatim tibi in alio libro scribemus: permulta .n. sunt in ipsis, quæ à medicis perperam sunt visa. Quoniam verò hucusq; sermo-*
C *nem de symptomatibus fecimus: rursus ad ea quæ ab initio proposita sunt, redeamus, vnum communem in omnibus habentes scopum, causam, à qua vnumquodque horum fit, considerare. hæc enim conuenientem curationem tibi indicabit.*

Vnus ex affectibus iecori euenientibus est is qui atonia.i.imbecillitas vocatur: quę ex refrigeratione iecoris fit sine vllo tumore. Hæc autẽ à nobis ex deiectionibus cognoscitur. excernuntur enim in his primùm quidem aquosæ deiectiones, loturæ carnium recen-
D ter mactatarum similes: postea verò crassę, idq; iure. Cùm enim iecur imbecillitate laboret, haud amplius propriam actionem inculpatè perficit, nec amplius deinde perfectè sanguinem faciet: vel saltẽ. vbi semicoctum ipsum reddiderit, eum serosiorem & aquosum quiq; colorem duntaxat sãguinis obtineat, dimittet. deinceps verò, quoniam portio succi, quæ crassior est, non excernitur, sed in iecore remanet, eadem tractu temporis cùm putrefiat ac superassetur, febres infert, & vbi multa extiterit, ex collectione paulatim facta excernitur, fæci olei quam amurcam nominant, similis.

E 218 *Veluti si quis doleat caput, si quidẽ fastidiosus sit, ac cordis morsum sentiat: iubendum est vt euomat: euomet.n. vel bilem vel pituitam vel vtrunque. Nullo verò insigni affectu apparente in ventriculo, considerandum est vtrum multitudo vel*



obstructio vel phlegmone aliquarum partium capitis adsit. Inuenies autem, si interrogaueris, primum quidem nunquid per totum caput extendatur dolor, an in aliqua particula vehemētius infixus sit. postea verò nunquid cum grauitate, vel tensione, vel mordicatione, vel pulsu. Nam qui cum grauitate fiunt dolores, multitudinem ostendunt: qui cum mordicatione, acrimoniam vel vaporum vel succorum: qui cum pulsu, phlegmonem: qui cum tensione, si quidem sine grauitate & pulsu, spiritus inconcocti & flatuosi multitudinem: si verò cum pulsu, membranosi corporis phlegmonem: si cum grauitate, multitudinem intra membranas retentam. Quando ergo omnia hæc tibi distincta fuerint, causam singulorum facientem considerare oportet. illa enim tibi curationem indicabit. Veluti si multitudo vaporum vel succorum contineatur: considerare oportet nunquid ob febrium magnitudinem succi fusi ac veluti efferuescentes, in caput impetum fecerint: an ob partium infirmitatem: an ob repletionem quæ in toto corpore sit. Hāc enim haud difficulter sanaueris, totius corporis euacuationibus. A B C

Quoniam capitis dolor simptoma est, ac sæpenumero dum vehementior euadit, totam artem ad se ipsum auertit: age & huius curationem tradamus, factricem ipsius causam prius inquirentes: atque ita ad ipsam nosmet accommodantes. Fit enim non vno sanè modo, sed multipliciter. nam vel per proprium affectum, vel per consensū. Ac per proprium quidem affectum vel à multitudine, vel à multis vaporibus, vel à phlegmone, vel à qualitate acri ac mordaci. Si igitur per consensum cephalalgia eueniat, stomacho sæpenumero vel ventriculo exhalationes in caput mittentibus: vbi illos vacuauerimus, D vnà etiam & ipsum caput curamus. Vacuamus autem ab ipsis vel pituitam vel bilem. & si pituita fuerit, per fastidium, quod sanè ex humiditate putredinosa fieri solet, indicatur. si verò bilis, per cardiogmum ostenditur: cardiogmos autem est oris ventriculi tum dolor tum morsus. cardiam enim, hoc est cor, vocabant antiqui, ipsum os ventriculi: tanquàm in consensum cor trahat. Sic ergo si per consensum afficiatur caput. Si verò proprium habeat affectum, his discernere oportet. Si enim multitudo sit, grauitas adest, ac distentio: si spiritus multus, distentio quidem at non grauitas: si phlegmone, distētio & grauitas: sed & pulsatorius dolor à multitudine & à spiritu ipsam distinguit. Si verò qualitas sit sola, nec grauitas, nec tensio, nec pulsatorius dolor adest: verùm mordicatio sola. hæc autem ipsa qua- E

litas.

A litas interdum quidem in ſuccis non multitudine, ſed acrimoniâ moleſtantibus, interdum verò in vaporibus vel ſpiritibus naturâ mordacioribus continetur. Oportet ergo vbi factricem cauſam dignouerimus, atque ad ipſam nos accommodauerimus, cephalalgiæ curationem facere.

219 Eum verò qui ex partis imbecillitate prouenit, partim in totum corpus reuellendo, partim ipſi particulæ remedia adhibendo. Reuelles igitur clyſteribus acribus, vinculis, & multis infernarum partium frictionibus: & ſi ita opus fuerit, aliquid etiam ſanguinis abducendo. Particulam B *autem curabis quo quidem tempore in totum corpus reuellis, perfuſionibus ijs, quæ à capite repellere quid poſſunt: poſtea verò ijs quæ vacuant, poſtremò ijs quæ roborant. Repellit igitur oleum quod omotribes, id eſt immaturum vocatur, vel aliquod aliud eiuſmodi: veluti oxyrhodinum, & roſaceum ipſum per ſe ipſum: & quæcũq; ex capitibus papaueris, & teneris oliuæ germinibus & hæderæ corymbis, & menta viridi & ſiſymbrio præparantur. Vtendum verò ipſis in crudiori quidem frigidiorię;* C *a*ffectu, temperatis: in calidiori verò & biliosiori, frigidis. Vacuat autem & digerit calidum oleum tum ipſum per ſe, tum magis ſi antiquum, vel ſycionium ſit, vel etiã anethũ in ſe ipſo ebullitũ habeat. Nã multitudinẽ non admodũ craſſã nec viſcidorum ſuccorum, abundè per id genus medicamenta vacuabis.*

*πάθους .i. *affectu habent antiq Codices nõ* πλήθους: *id eſt multitudine.*

Quoniam tres ſunt cauſæ fluxionum quæ ad caput feruntur: multitudo in toto corpore contenta: febris calidior ſuccos in vapores diſſoluens, ac fundens, ac exhalationes ad caput mittens: capitis imbecillitas, ſiue in primo ortu genita, ſiue poſtea ex aliquo errore ad- D uenerit acquiſititiaque ſit. Eius quidem qui ex multitudine prouenit, curationem tradere non vult, cùm is curari facile poſſit per ea præſidia: quæ multitudinem euacuant, reliquos verò duos nunc pertractat. ac prius quidem eum, qui ex imbecillitate prouenit. Solet enim ſemper omnino loci infirmitas fluxiones ad ſe ipſum attrahere. Oportet igitur duplicem fieri medelam: partim quidem ſuperfluum à particula abducendo, partim verò intemperiem in ipſa exiſtentem à qua imbecillitas proueniebat, tranſmutando, eamq; in bonum temperamentum tranſponendo. Igitur prius reuulſione v- E ti debemus, manus & crura ligantes ac fricantes: clyſteribusq; acrioribus materiam per vim ſubducentes. Hæc enim omnia docebunt: monſtrabũtq; viam ac lationem quæ ad inferiora fit. Huicq; rei tunc

etiam opitulari oportet, per ea quæ desuper materiam pellunt, vnaq; etiam exprimunt. Hoc autem faciemus, si capiti in tempore reuulsionis adstringentia adhibuerimus: Posteaquàm verò à reuellendo succo quieuerimus: quoniam omninò aliquid crassius in capite collectum est: quippe cùm adstrictoria medicamenta tenuiorem succi partem prius excreuerint, ac quidquid ipsius crassum supererat, cohibuerint: necesse est digerentibus atque abigentibus vti, vt reliquũ deinceps vacuemus. Vbi verò à præsenti affectu locum affectum liberauerimus, eis vtemur quę tenorem capiti indere possunt, vt ne amplius eodem affectu corripiatur. A

220 Sed & si spondylion vel serpyllum incoxeris vel pulegij comam vel calamenti vel mentæ vel sisymbrij: crassiorem ita multitudinem vacuabis. Hæc autem etiam tenorem quendam dant particulis, debilitatasq; roborant. Vtendum igitur deinceps ipsis est, vsque ad integram sanationem. siq; opus fuerit, per nares ac palatum purgato, ac sternutamenta moueto. B

Hæc enim vniuersa calefacientem attenuantemq; facultatem habent: ac conferunt ad vacuandum digerendumq; id quod in capite continetur. Animaduertendum aũt est, eum menta, sisymbrio vsum fuisse, vt qui roborare vellet ac sanè etiam digerere. verùm superius viridibus his ipsis herbis vsum fuisse, quandoquidem tunc adstrictoriæ adhuc facultatis sunt participes: hoc verò in loco siccis. siccatæ enim hanc exuunt, euidentiorem verò reliquam habent, attenuantẽ scilicet ac digerentem facultatem. attamen ne siccatæ quidem roborãte facultate omninò sunt expoliatæ. quare ad vtraque nunc, tum ad id quod superfluum est vacuandum, tum ad facultatẽ roborandam ipsis vti expedit. C

221 Et si in lauacrum hominem duxeris, caput siccis sindonibus perfricato, atq; sine oleo salem, & nitrum, & sinapi aspergito. Hæc quidem sunt cephalalgiæ ex infirmitate prouenientis, remedia. D

Hæ enim caput exasperantes, possunt violenter succos in ipso cõtentos, licet crassi sint, eruere. Porrò sale ac nitro quæ siccare atque attenuare valent, caput inspergere oportet. Oleo aũt non est irrigandum. neque enim in presens humectandi sed siccandi potius scopus nobis est.

222 Ei verò quæ ex febriũ magnitudine fit, quæq; remedia expostulat: frigidæ qualitates & facultates, & quæ ex hydrelæo & oxyrhodino, & capitibus papaueris componuntur perfusiones, E

con-

A *congruunt.*

Cephalalgiam tripliciter fieri dixit: vel ob totius corporis plenitudinem, quam sanè haud difficile ait nos curare, si corpus vacuauerimus: vel ob capitis imbecillitatem, hancq; curauit, vel ex febrili calidirate succos fundente, eosq; ad caput mittente. & hanc postremã nunc oratione curat, refrigerantia particulæ adhibens, tum vt intemperiem calidam à vaporibus prouenientem sedet: tum vt roborato capite, excrementa quæ ad ipsum ferri debuerant, repercutiat.

223 *Eius verò quæ criticam sanguinis eruptionem vel vomitionem ostendit, remedia sanè quærere non oportet. Nam nec*
B *symptoma, talis cephalalgia iudicanda est: sed potius signum bonum, sicuti & alia omnia quæ ante criseis eueniunt, quæ multis quidem metum incutiunt, vtile aũt quid ostendunt. Optimũ autẽ, est posse cognoscere corpus quod perturbatur à natura præparante tum ad alias excretiones, tum non minimè ad eas quæ per vomitum & sanguinis eruptionem fiunt: quarum signum inseparabile est cephalalgia. Fusius autem vniuersa*
C *hæc alibi traduntur. Impresentiarum verò quatenus licet per compendia dicere, eo, quod à principio institutum fuerat, seruato, aliquid de ipsis dicetur.*

Quoniam de cephalalgia sermo ipsi erat, hæc autem fit aliquando vt bonum signum, crisim præcedens, ac iam fermè naturæ certamen ostendens: ob id præcipit vt ipsa non prohibeatur: siquidem neque symptoma etiam est, sed signum bonum: symptomatum autem tradíturum se curationem promiserat. Non igitur talem cephalalgiam curamus: ita enim crisim ipsumque naturæ impetum qui aduersus
D morbum fit, interrumperemus. Crisis autem est conferta in morbis ad melius mutatio. Nam si ad peius fieret, omnino vel perniciosè vel periculosè fieret: hancq; non crisim simpliciter, sed imperfectam crisim appellamus. Sicuti & alia omnia quæ ante criseis eueniunt, quæ multis quidem metum incutiunt, vtile aũt quid ostendunt. Alia inquit symptomata quæ ante crisim contingunt, vt vigilias, sitim, proiectationem, delirium, fastidium, & quæcunque id genus alia idiotis quidem metum incutiunt, artifici aũt naturæ victoriam præmonstrant. Et hoc est quod dicebat Hippocrates. *Neq; multum metuere mala quæ præter rationem eueniunt. Optimum aũt est posse agnoscere corpus quod*
E *perturbatur à natura præparante &c.* Non infructuosum tibi (inquit) erit hoc ipsum dignoscere, à præsenti nimirum perturbatione crisim & naturæ certamen prænunciari. Tunc enim si plenè facta fuerit crisis,

nihil innouabis: si verò vel parcius vel immoderatius ipsa eueniat, vel adiuuabis vel prohibebis. A

224 *Considerandа igitur primò quidem est ipsa species febrium, si calidæ & perurentes. eiuscemodi enim febres excretionibus solent iudicari. quemadmodum molliores & veluti delitescentes, moram trahunt, atque in abscessus sæpenumero prorumpunt.*

Hoc in loco vult tibi tradere etiam signa quibus dignoscere poteris morbum non solutum, sed potius iudicatum iri. Quoniam febrium hæ quidem soluuntur, cùm paulatim materia συμπέπτεται, B hoc est concoquitur, ac pars quidem ipsius per obscuros meatus digeritur, pars verò per vrinæ subsidentiam excernitur: aliæ aũt confertim iudicantur. Quæ igitur iudicantur, calidas esse & perurentes acuteq; moueri necesse est. In his enim succi tenues cùm sint, impetum faciunt, ac cùm suapte naturà facilè mobiles sint, facultaem excitant, ipsamq; stimulant: ita vt conferta ipsorum excretio fiat. Si verò succi crasi ac viscidi sint, febrisq; ex ipsis non admodum vehemens excitetur: tunc earum potius solutio quàm iudicatio expectanda est. C

225 *Secundo verò, si salutaris sit morbus. Nam quæ bona crisis in pernitiosis morbis speranda est?*

Hoc signum non simpliciter criseos solius est prognosticum, sed & bonæ criseos. Dignoscemus aũt si morbus salutaris sit, tenorem nimirum facultatis magnitudini morbi comparantes. Nã cùm id quod præter naturam est, potentius fuerit: pernitiosum ipsum esse dicimus. cùm verò facultas magis potens sit, ac morbus non admodum magnus existat, salutare sanè huius morbi signum fuerit.

226 *Tertiò verò post hæc, tempus morbi totius cõsiderare oportet. Si enim principij vel augmenti sit signũ, nondum aũt vigoris neq; concoctionis notæ ex vrinis vel sputaminibus, vel deiectionibus extiterint: bona crisis fieri non potest. Hæc quidẽ sunt ex quibus quispiam per excretionem iudicatum iri morbum sperauerit. Eius verò quod adest, nec iam etiam futurum est, signa, sunt hæc.* D

Sæpenumero diximus, sicuti ætates quatuor temporibus distinguuntur, ita & ipsos morbos: principio inquam, augmento, vigore, & declinatione: atque in principio inconcoctam esse omnino materiam, in augmento incepisse quidem concoqui, nondum tamen perfectè concoctam esse, in vigore aũt perfecta esse concoctionis signa. His ergo à nobis in hunc modũ dictis, scire oportet, Vt, sicuti athle- E

ta

A ta non initio ſtatim deijcere aduerſarium ſtudet, cùm valida adhuc illius facultas exiſtit (periculum enim ita eſſet nõ vt deijceret, ſed vt deijceretur facultas): Verùm prius eum emollit, ac diſſoluit, ac poſtquam eum infirmiorem reddiderit, ita deinceps adoritur, quippe quem prius ad affectionem facilè ſuſcipiendã pręparauerit. Ita etiã natura morbi certamen non ſuſtinet facere, dum inconcocta adhuc eſt materia, ipſiq; excretiones facere volenti minimè cedit: Sed pręſtat, vt prius eam incidat atq; attenuet, atque vbi fluuidiorem eam fecerit, ita demum inſurgat: ac confertim ipſam vel per aluum vel per vomitus, vel per ſudores protrudat. Hæc aũt fiunt in vigoris ſanè

B tempore: in quo etiam perfecta morbi concoctio eſt. Nonnunquam verò etiam in augmento ſymptoma: aliquod violentum obortum naturam præripit: eſtque nobis & hoc ſignum, vt ſi criſis contingat non bonam ipſam iudicemus, neque perfectam: quippe cùm naturæ lex perfracta fuerit.

227 *Difficilis tolerantia omnem cryſim antecedit: & noctu quidem, ſi in die iudicari debet morbus: interdiu verò, ſi in nocte. Si igitur tale quid inſpicis, conſiderare oportet quotã diem agit homo ex quo ægrotat. Sunt enim & qui iudicare natura*

C *apti ſunt dies, vel breuiã natura impulſu accepto. Multi autem in vehementibus motibus omnino haud poſſunt magnitudinem conſpicere perturbationis, nunquid pro diei natura ſit: Septima enim dies, etiam per breues naturæ apparatus ad eã criſim quæ per vacuationem fit, erumpit. Sexta & magno apparatu indiget: ac ſæpenumero etiam non iudicauit: quòd ſi etiam iudicauerit, non ſine periculo ſanè nec fideliter. Sic & ſingulis alijs diebus propria quædam eſt natura, quàm in libris de Die-*

D *bus decretorijs definimus.*

Ex motione ebullitioneque ſuccorum inordinatè motorum, & interdum in alias particulas, nonnunquam circa ſtomachum ipſum tẽdentium: contingit eiuſcemodi ægrotantes inquietari difficulterùe tolerare. Et hoc eſt quod dicit Hippocrates, *Quibus criſis fit, his nox quæ eſt ante acceſſionem, toleratu difficilis eſt.* Signum autem ponit præſentis criſeos, ipſam quoque diei naturam. Scire enim oportet, dierum quoſdam eſſe qui maximam habent vim, vt ipſe in commentarijs de Diebus decretorijs oſtendit: vt eſt ſeptimus, nonus, vndecimus: quoſdam verò, qui non tantum habent roboris ac potentiæ, vt

E eſt ſextus, octauus. Noſſeq; oportet, in prius memoratis diebus, licet haud magna fiat perturbatio, perfectã tamen fieri poſſe criſim. quippe cùm natura à diei robore ac potentia firmitatem acquirat. In ſexta

verò & octaua, si perfecta fieri debet crisis, necesse omnino est, vt mul
ta fiat perturbatio, cùm alioqui sæpenumero neque ex immodicis A
perturbationibus perfecta crisis subsequuta sit: sed vel imperfectè
vel male iudicauerit. Hoc ipsum verò male, duo significat: vel.n. in
laborantis perniciem, vel sanè cum periculis, vt animi defectione,
& syncopa, vel alijs etiam vniuersis quę exiguam nobis spem salutis
in morbis præbent.

228 *Agedum sit dies pro perturbationis magnitudine: po-*
stea considerare oportet qualis erit crisis. De alijs ergo nihil o-
pus est nunc dicere. An verò vomitio vel sanguinis per na-
res excretio futura sit (his enim excretionibus vnum ex signis B
esse cephalalgiam diximus) ex his maximè determinare opor-
tet. Primum quidem, si non per initia statim inuasit, veluti
symptoma quoddam morbi, sed in perturbatione crisim prace-
dente. Secundo verò, si & collum condoleat, & hypochondrium
retractum sit, ac spirandi difficultas quædā repentina superue-
niat, veluti angustato thorace. Si .n. post hæc omnia pulsus re-
pente intumescentes non concidant in paruitatem, nec debiles
fiant, statim crisis speranda est. Si verò præterquam quòd non C
concidant, in altum etiam fuerint elati, vehementiamq; ac-
quisiuerint: inspicere iam oportet ægrotantis faciem. Nam si ali
qua eius particula palpitet, aut venæ temporũ pulsent, aut ma-
lum vel naris vel oculus rubicundiora facta fuerint, magis
speranda est crisis. Si verò etiam inuiti illachryment, vel mar-
marygas, (id est splendores tractùsve maculis marmoris simi-
les) videre imaginentur, manumq; ad nares veluti scalpentes
admoueant: tunc sanè non fluxurum, sed iam fluentem san- D
guinem inspicies. Nam vbi ipsi semel aut bis scalpserint, statim
erumpit. Neque verò in his perterrearis, si delirantem homi-
nem vel resilientem inspexeris. nam & hæc succos sursum fer-
ri indicant: sicuti & ipsa spirandi difficultas, et hypochondriũ
retractum, collumq; vnà cum capite aggrauatum. sed tibi
etiam cum his vnum quoddam signum sit & delirium. Et hæc
quidem indicia sufficiunt. Sæpe verò & ad hæc accedit ægro-
tantis ætas & natura, spem stabiliens: præterea & anni tem- E
pus, & præsens constitutio. Nam si ægrotans sit adolescens, vel
alioqui naturà calidus, vel multo abundans sanguine: adhuc

magis

A *magis sperabis. Si vero anteà etiã sæpenumero ipsi vel sano vel ægrotanti sanguis è naribus fluere visus est, vel hoc solum satis fuerit eruptionis sanguinis spem afferre. Si autem & anni tempus æstatem, vel non æstatem quidem, alioqui tamen calidam præsentem constitutionem videris: nonne quandam & ex his indicationem sumes? Si verò multi per id tempus sanguinis eruptionibus iudicati fuerint, & hoc sanè spem tibi adaugebit: Et si corpus plethoricum extiterit, fuerítq; consuetarum*
B *excretionum cohibitio. Mihi quidem nedum non difficile esse videtur, vt qui tot ac talia excretionis futuræ indicia habeat, prænosse possit: immo absurditatis cuiusdam, grandisq; ruditatis esse, si non prænoscat. Medicorum tamen nostri temporis incuria ea admirationi habentur, quæ minimè sunt admiranda. Etenim an ex sinistra nare, an ex dextra fluxurus sit sanguis, nihil difficile est ex prædictis prænosse. Multis tamen medicis non solum difficile esse, sed nec omnino fieri posse videtur. Quanquam & has & alias vniuersas excretiones prænos-*
C *se potest, qui duo hæc considerat, nempe vnde impetus naturæ & quò. Nam tum deficientes lationes adiuuabimus, tum immoderatas prohibebimus, si hæc nouerimus. Vt verbi gratia, sanguinis eruptiones ex liene prodeuntes, magna cucurbitula sinistro hypochondrio apposita, facilè reuellunt: ex iecore verò dextro & in alijs eadem ratio, ex vno enim omnia colligere poteris, vniuersale considerando. Quare & ego hoc in loco præsentem finiam sermonem. Deinceps autem de febribus quæ ex*
D *phlegmonis accenduntur tibi disseram, deq; alijs affectibus, qui in singulis corporis particulis consistunt. Phlegmonas autem, idest inflammationes antiqui quidem phlogoseis (idest inflammina seu incensiones) nominabant: iuniores verò non vniuersas, neq; enim herpetem, nec erysipelas, nec vllum aliud id genus phlegmonis connumerant: sed vni soli ex calidis affectibus, qui cum tumore duro doloreq; pulsatorio fit, nomen hoc inferũt. non tamen hunc solum, febres & dolores sequi videmus, sed*
E *omnes simpliciter calidos ac veluti feruentes affectus. De his igitur ac alijs eiuscemodi morbis, sequentem sermonem faciemus.*

Vniuersa signa superius tradita vel futuræ criseos erant prognostica, vel præsentis diagnostica. quæ verò nunc tradenda sunt, modũ etiam criseos nobis manifestabunt: veluti, an per aluum, an per sudores, an per vomitus, an per sanguinis eruptiones erit. Verùm de alijs disputare nõ est oportunum. Quoniá verò de cephalalgia erat sermo, quæ sanè commune est symptoma ad vomitionem sanguinisq; eruptionem prænunciandam, oportet & hoc distinguere. Hoc ipsum autem distinguemus ex signis ab ipso traditis. ac prius quidẽ dignoscemus, nunquid cephalalgia decretorium omnino sit signum, an sit symptoma. hoc autem ex hisce discemus. Primum quidem, si nõ vnà cum morbi principio inuaserit cephalalgia, sed nunc ante perturbationem apparuerit. Si enim hoc sit, signum certè criseos erit, non symptoma. Porrò Hippocrates asserit vnà cum morbi principio sæpenumero cephalalgiam inuasisse, similiterq; apud vigorem contigisse criseos signum, intensam videlicet. hæcque cephalalgia etiā post perturbationem est, symptomaque nunc in vigore intensum esse, signum decretorium est. Post hæc considerare oportet, an hypochondrium ipsis sit retractum. Hoc enim euenit, dum natura per superiorem viam excrementa veluti compellit, & tanquam protrudere vult. accidit autem sæpenumero, vt dum aliquid pellimus, ipsum veluti vnà insequamur. sic & natura, dum superfluum succum conatur per superiora abigere, suffragando concomitatur.

Explanationum Stephani Atheniensis in priorem librum therapeuticũ Galeni ad Glauconem,

FINIS

SCHOLIA
AVGVSTINI GADALDINI
Medici, in Stephani Athenienſis explanationes.

Pagina. 117. C

SEd & horũ ſingula ab alijs rurſus cauſis fieri. etenim ſuccos &c. Legitur græcè ἀλλὰ καὶ τούτων ἕκαστον ἄλλων αὖθις αἰτίαι γίνεται. ἢ γὰρ οἱ χυμοὶ & c. i. ſed & horũ
B ſingula aliorum rurſus cauſæ fiunt. vel enim ſuccos &c. Ego verò arbitror ita eſſe legendum, ἀλλὰ καὶ τούτων ἕκαστον ὑπ' ἄλλων αὖθις αἰτίων γίνεται. καὶ γὰρ οἱ χυμοὶ. vt ſit vertendum quemadmodum ego tranſtuli. Nam quòd humores verbi gratia calidiores vel frigidiores magis abundent, in cauſa eſt diæta, ætas, anni tempus, regio & animi affectus: vt ex ſequentibus mox apparet. Ac fortaſſe, vbi in codice & græco & latino locus ille prior vacuus in eadem pagina habetur: deſunt quæ Stephanus de ætate, & victus ratione ex Mneſitheo narrabat: quomodo ab his ipſis humores alterentur.

Ibidem D.

Ipſius verò animæ.) Videtur ex illa dictione (verò) eum ſuperius dediſſe exemplum laborum corporis: poſteà cœpiſſe etiam declarare labores animales, inter quos etiam nimium venereorum vſum Mneſitheus ponit, quanquam Galenus
C libro ſecundo de Cauſis ſymptomatum capite primo inter corporeos motus eum collocat.

Pagina 119. C.

Rectricum alia imaginatrix, alia cogitatrix, alia memoratrix exiſtit. Totum hoc deerat in exemplari græco. Ego autem, vt diuiſio perfecta fieret, adiungendum eſſe cenſui. Diuiſio autem quam hic ponit facultatum, vt aliæ ſint naturales, aliæ animales, & ſub animalibus etiam vitales ponantur: eſt Galeni tum in libro de Symptomatum differentia capite tertio & quarto, tum in libro primo de Reſpirandi difficultate cap. 12. tum in libro de Curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. 3. tum etiam in libro de Vocalium inſtrumentorum diſſectione cap. 2. Sub naturali enim vitalem his in locis collocaſſe videtur Galenus.

D Ibidem, D.

Actionũ porrò ſubdiuiſio &c.) Græcè ita legitur. ἡ δὲ τῶν ὑποδιαίρεσις ἡ αὐτὴ τῇ τῶν δυνάμεων. ὅσαι γὰρ δυνάμεις ἐνέργειαι. Addendum autem iudicauimus pro huius loci emendatione, in priori quidem vacuo, ἐνεργειῶν, in poſteriori autẽ τοσαῦται καὶ.

Pagina 120. C

Alia in læſionib. actionum conſiderantur.) Græcè eſt, τὰ μὲν ἐν βλάβαις, θεωρίων ἐνεργεῖται. facilè tamen quiſq; corrigere poteſt τὰ μὲν ἐν βλάβαις θεωρεῖται τῶν ἐνεργειῶν. eſt enim literarum methatheſis.

Pagina 121 C

Cùm cõteratur ſpiritus) in græco cod. deeſt ſpiritus, ego tamen rem ipſam ſequutus, addendum eſſe exiſtimaui.

Pagina 122. B

Quippe qui eorum febres acriores reddãt) Græce ita legitur: δριμυτέρους αὐτοὺς ἑαυ-
E τῶν ἀποτελοῦντες. Sed tamen legendum arbitror, δριμυτέρους τοὺς πυρετοὺς αὐτῶν ἀποτελοῦντες. i. quippe qui eorum febres acriores reddant. nam hoc magis etiam Galeni verbis quadrat.

Pag. 125. B

Vel aliqua ex ijs quæ circa ipsum sunt. Græcè ἢ τῆς τῶν περὶ αὐτῶν. Quid hæc verba sibi velint, planè nescio, nisi forte declaratio sit causæ procatarcticæ, nēpe quæ sit non in ipso ægrotante, sed circa ipsum ac extrinsecus, vt plerisque in locis ex Galeno habetur. vt totus hic locus ita græcè sit legendus. εἰ δὲ τὸν πυρετὸν ὁ κάμνων ἔπος γεγενῆσθαι αὐτῷ, ἀπό τινος προκαταρκτικῆς αἰτίας, ἤτοι τινὸς τῶν περὶ αὐτόν. Locus tamen omnino obscurus est.

Pagina. 126. D

Ex causis morbificis (vt in præcedentibus diximus) aliæ sunt procatarcticæ aliæ antecedentes, aliæ coniunctiuæ. Antecedentes igitur atque coniunctiuas oportet vt medicus sciens prænunciet, procatarcticas verò à laborantibus interroget. Græce ita habetur. τῶν νοσοποιῶν αἰτίων ὡς ἐν τοῖς προλαβοῦσι εἰρήκαμεν, τὰ μὲν ἐστι προκαταρκτικὰ, τὰ δὲ προηγουμένα, τὰ δὲ συνεκτικὰ, δεῖ τὸν ἰατρὸν εἰδότα προαγορεύειν, τὰ δὲ προκαταρκτικὰ παρὰ τῶν καμνόντων πυνθάνεσθαι. Sed facile fuit librariorum culpa inter συνεκτικὰ & δεῖ omissa fuisse hæc varba. τὰ μὲν οὖν προηγουμένα καὶ τὰ συνεκτικά. Quæ nisi addantur, bonus sensus qui possit elici non video.

Pagina 128. D

Nunciant enim nobis oculi ipsos animi affectus, cùm sint fenestræ cerebri, in quo anima habitat) Græce ἀγγέλλους ἐπὶ μὲν γὰρ ἡμῖν οἱ ὀφθαλμοὶ τὰ τῆς ψυχῆς πάθη θηρεύοντες τοῦ ἐν κεφαλῇ, ἐν ᾧ κατοικεῖ ἡ ψυχή. Horum verborum sensus bonus meo iudicio elici non potest, nisi quædam immutentur. Nos igitur coniectura quadam ducti, legimus ἀγγέλλουσι μὲν γὰρ, i. nunciant enim. & pro θηρεύοντες legimus θύραι ὄντες, id est cum sint ianuæ seu fenestræ. Ex oculis enim tanquam ex fenestris intueri possumus, quemadmodum quisque animo sit affectus. Sic etiam Q. Cicero in lib. de petitione consulatus, frontem dixit esse animi ianuam.

Pag. 129. A

Ac sciendum est deteriorum rerum cogitationem cum corpore vnà etiam animam deijcere: præstantiorum verò cogitationem corpus quidem deijcere: at animam & recreare & augere, robustioremque &c) Græcum exemplar habet, καὶ χρὴ γινώσκειν ὅτι ἡ μὲν τῶν χειρόνων φροντὶς σὺν τῷ σώματι καὶ τὴν ψυχὴν καταβάλλει. τὴν δὲ ψυχὴν ἀνάγει τε καὶ αὔξει, καὶ ῥωμαλεωτέραν &c. Idest. ac sciendum est deteriorum rerum cogitationem cum corpore vnà etiam animam deijcere. at animam & recreare & augere, robustioremque &c. Quæ verba quàm inter se conueniant, tu vides. Ego verba aliqua addere, quæ librariorum indiligentia, vt opinor, omissa sunt, non sum veritus. ea autem sunt ἡ δὲ τῶν κρειττόνων, τὸ μὲν σῶμα καταβάλλει. id est præstantiorum autem corpus quidem deijcere, at animam &c. ita enim iudicio meo integra ac vera habetur sententia. Sanè quæ sint deteriora, Galenus etiam declarat secundo libro de Crisibus capite secundo inquiens: Quòd si (vt diximus) ociosam & socordem vitam egeris, vel laboriosam quidem, sed circa deteriora (græcè εἰς τὰ χείρω) diuitias, honorem, & ciuilem potentiam veritati præferendo.

Pagina 131 A

Hoc autem fit in calidioribus humidioribusque corporibus) Græcus codex habet τοῦτο δὲ γίνεται ἐπὶ τῶν θερμοτέρων καὶ ξηροτέρων. idest, Hoc autem fit in calidioribus siccioribusque

A tribusque. Ego tamen ratione motus, vocem ξηροτέρων corruptam esse, ac ὑγροτέρων illius loco legendũ esse censui. Neq; enim in calidis & siccis, quod difflatur vaporosum & vtile est, sed in calidis & humidis. De hac autem materia copiosius libro de causis morbo capite tertio.

Pagina 133. B

Sed rubedo colore) Græcè ἀλλὰ τὸ μὲν ἐρευθὲς τῷ χρόνῳ. Sed res ipsa indicat pro χρόνῳ χρώματι legendum esse.

Pagina 133. C

Ac Angelleuas quidem ait à glandulis in vesicam vasa tendere, per eaq; &c) Græce ὁ μὲν οὖν ἀγγελλεύας φησὶ ἐπὶ φλεβῶν τὴν κύστιν, δι' ὧν &c. Hic deesse ἀγγεῖα id est vasa, facile quisque iudicare potest. Error autem hic forte ob dictionem ἀγγελλεύας contigit de

B quo sanè viro nunquam aliàs quicquam me legisse memini.

Pagina 135. D

Sed idem sanè simpliciter corporis meatus oblinire) Græce ἀλλ' οὕτως μὲν ἁπλῶς τοὺς τοῦ σώματος πόρους. Puto librariorum negligentia omissum fuisse ἐμπλάττει, id est oblinire, idque fortasse factum fuisse ob similitudinem quam ἁπλῶς cum ea dictione habet.

Pagina 137. C

Vt caloris mediocritate) Græcè ἵνα τῇ ἀμετρίᾳ τῆς θερμότητος vt caloris excessu ac im-

C moderatione. Fortasse tamen melior lectio est, συμμετρίᾳ id est mediocritate. Quãquam prior etiam lectio recipi potest, si rectè intelligatur.

Pagina 139. C

Et synochi id est continentes fiunt) Mendose legi græce συνεχεῖς, id est continuę, facile quisque medicæ artis non ignarus, conijcere potest. Nam quæ in toto corpore id est in omnibus arterijs & venis ac præcipuè maximis & calidissimis, humorem habent putrescentem, continentes sunt, non simpliciter continuæ: vt Galenus plerisque in locis præcipueque in secundo libro de differentijs febrium in fine, & nono meth. curatiuæ, cap. 3. & vndecimo libro cap. 4. asserit. Secus autẽ est de periodicis febribus.

D

Pagina 143. B

Atque quandoque duobus interiectis diebus, interdum tribus, nonnunquam etiam singulis diebus, Nota illa asterisci non posteriori sed priori dictioni, diebus) potius erit superponenda. Græce autem est) καὶ ποτὲ μὲν διὰ δύο ποτὲ δὲ διὰ τριῶν καὶ καθ' ἑκάστην. Subintelligo ego) ἡμέραν vel ἡμερῶν, & ἡμέραν, ac si ita diceret, καὶ ποτὲ μὲν διὰ δύοιν ἡμέραιν, ποτὲ δὲ διὰ τριῶν, ἐνίοτε δὲ καθ' ἑκάστην ἡμέραν.

Pagina 144. C

E Vel ab alijs quæ præter naturam sunt. Addendum omnino in codice græco ἢ ἀπὸ τῶν παρὰ φύσιν.

Pagina 144. D A

Sed & quæ præter naturam sunt, quærenda sunt, vt caliditatis quantitas & qualitas: quantitas quidem &c.) Græcè in meo codice est, ἀλλὰ καὶ τὰ παρὰ φύσιν ζητητέον ἐστὶ, τὸ ποιὸν, τὸ μὲν ποσὸν Ego in hunc modum corrigo, vt etiam transtuli, ἀλλὰ καὶ τὰ παρὰ φύσιν ζητητέον ἐστὶ, οἷον τὸ ποσὸν τῆς θερμασίας καὶ τὸ ποιὸν, τὸ μὲν ποσὸν. &c. Ita enim concinnum, vt ex sequentibus apparet, habebit sensum: cùm prius intelligi nequaquam posset.

Pagina 148. E

Pulsus in his, dum sanitate fruuntur, hoc sustinere ob redundantis succi qualitatē.) Græcè legitur. ὅτι οἱ χυμοὶ ἐπὶ τέτων ἐν τῷ ὑγιαίνειν ὄντων ὑπομένουσι δὲ τοιοῦτον ἐκ τοῦ πλεονάζοντος χυμοῦ ποιότητος. Locus corruptus est. Ego verò χυμοὶ in σφυγμοὶ mutandum esse iudico, nam sermo est de pulsibus. videtur enim velle dicere, pulsus in quartanarijs, dum liberi sunt à febre, inæquales etiam esse ob succi melancholici qualitatem. hoc ergo modo emendarem hunc locum, ὅτι οἱ σφυγμοὶ ἐπὶ τέτων ἐν τῷ ὑγιαίνειν ὄντων ὑπομένουσι δὴ τοιοῦτον ἐκ τῆς τοῦ πλεονάζοντος χυμοῦ ποιότητος. B

Pagina 149. B

Sed humidiorem quidem ob succi naturam: acriorem verò ob adiunctam sibi putredinem.) Locus in græco mutilus. legitur enim ἀλλ' ὑγρότερον μὲν, δριμύτερον δὲ διὰ τὴν προσγινομένην αὐτῇ σηπεδόνα) id est: Sed humidiorem quidem, acriorem verò ob adiunctam sibi putredinem. Debuerat autem priori etiam membro addi causa. Addo igitur ego, coniectura fortasse non aberrans., διὰ τὴν τοῦ χυμοῦ φύσιν. vt sic legatur, ἀλλ' ὑγρότερον μὲν διὰ τὴν τοῦ χυμοῦ φύσιν. id est sed humidiorem quidem ob succi naturam, quæ sanè humida est.

Pagina. 150. B

Quoniam enim quartanæ quotidianis maiorem habent pulsum: ob id natura pro ingresso aere, magnitudine dilatationis contenta, maiorem fecit pulsum. C
Quoniam igitur, quantum ad magnitudinem & frequentiam spectat, quartanæ quotidianis maiorem quidem habent pulsum, sed rariorem, quotidianæ verò quartanis minorem quidem, sed frequentiorem: iccirco dicit, tanto quanto his non de tertianis, sed de quotidianis intelligens. Græcè ἐπειδὴ γὰρ οἱ τεταρταῖοι τῶν ἀμφημερινῶν μείζονα τὸν σφυγμὸν ἔχουσι, διὰ τοῦτο ἡ φύσις ἀρκεσθεῖσα τῷ εἰσενεχθέντι ἀέρι ὑπὸ τοῦ μεγέθους τῆς διαστολῆς, ἀραιότερον ἐποίησε τὸν σφυγμόν. ἐπὶ δὲ τῶν ἀμφημερινῶν. ὃ καὶ τὸ μέγεθος καὶ πυκνότητα οἱ μὲν τεταρταῖοι τῶν ἀμφημερινῶν μείζονα μὲν τὸν σφυγμὸν ἔχουσιν, ἀραιότερον δέ. οἱ ἀμφημερινοὶ τῶν τεταρταίων μικρότεροι μὲν πυκνότεροι δὲ τοσοῦτον ὅσον τέτων φησὶν οἱ τῶν τεταρταίων ἀλλὰ τῶν ἀμφημερινῶν. Aliàs cùm hunc locum multis sanè erroribus scatentem interpretarer, dempsi verba illa ἐπὶ δὲ τῶν ἀμφημερινῶν, vt qui ea cum cæteris connectere nequirem. immutaui etiam nonnulla, vt est videre in versione impressa. cùm tamen deinceps rem accuratius perpendi, iudicaui eum meliori facilique modo castigari posse, hoc pacto: ἐπειδὴ γὰρ οἱ τεταρταῖοι τῶν ἀμφημερινῶν μείζονα τὸν σφυγμὸν ἔχουσι διὰ τοῦτο ἡ φύσις ἀρκεσθεῖσα τῷ εἰσενεχθέντι ἀέρι ὑπὸ τοῦ μεγέθους τῆς διαστολῆς ἀραιότερον ἐποίησε τὸν σφυγμόν: ἐπὶ δὲ τῶν ἀμφημερινῶν, τοὔμπαλιν: ὥστε ὅσον κατὰ τὸ μέγεθος καὶ πυκνότητα, οἱ μὲν τεταρταῖοι τῶν ἀμφημερινῶν, μείζονα μὲν τὸν σφυγμὸν ἔχουσιν, ἀραιότερον δέ: οἱ δ' ἀμφημερινοὶ τῶν τεταρταίων μικρότερον μὲν, πυκνότερον δέ. τὸ δὲ τοσοῦτον ὅσον τέτων, φησὶν οὐ τῶν τριταίων, ἀλλὰ τῶν ἀμφημερινῶν. hoc est. Quoniam enim quartanæ quotidianis maiorem habent pulsum, ob id natura pro ingresso aere, magnitudine dilatationis contenta, rariorem fecit pulsum: in quotidianis verò, contrà. Quare quantum ad magnitudinem & frequentiam spectat, quartanæ quotidianis maiorem quidem habent pulsum, sed rariorem: quotidianæ verò quartanis minorem quidem, sed frequentiorem. Illud verò (tanto quanto his) nō de tertianarum sed quotidianarum pulsibus dicit. Itaque minore mutatione facta, clarior etiam sensus euadit. Equidem ni si erratis plenum hoc meum græ-

cum

A cũ exemplar esse animaduerterem, tã audax aliquando in eo immutando nõ essem.

Pag. 150. C

Tertiana quidem. Mendosè legitur τεταρταῖος idest quartana, euidens error.

Pag. 153. C

Hoc signum non simpliciter continuarum est nota) Græce τοῦτο σημεῖον οὐχ ἁπλῶν συνεχῶν ἐστὶ γνώρισμα. Sed lego ego ἁπλῶς. Error certè librarij est.

Pagina 160. B

Maximè contrarium dicit legitimum & nothum) Quandoquidem legitima quotidiana legitimæ tertianæ maximè contraria est. Locus græcè mendosus: ἐναντιώτατον δὲ φησι τὸ γνήσιον καὶ νόθον. ἐπεὶ τῷ τελείῳ γνήσιος ἀμφημερινὸς ἐστὶν ἐναντιώτατος. Ego cùm hunc locum transferrem, addidi γνησίῳ, sed forte etiam illud ἐπεὶ .i. quandoquidem, in καίτοι. idest quanquam, mutandũ esset: vt esset sensus. Galenus

B quidẽ dicit maximè contrariam notham tertianæ exquisitæ. quanquam propriè maxime contraria est tertiana exquisita quotidianæ exquisitæ.

Pag. 163. E

Bonæ autem sunt & quæ per has vias fiunt bilis purgationes) Exemplaria græca impressa habent: bonæ autem sunt & quæ διὰ τῶν κάτω, idest per inferiora fiunt bilis purgationes. Sed cum nuper dixisset humorem, qui deorsum subit, per inferiora vacuandum esse, bis idem videretur dicere. Codex Stephani habet vt ego transtuli: ἀγαθαὶ δὲ καὶ αἱ διὰ τούτων δὲ καθάρσεις τῆς χολῆς, Franciscus Quirinus Hieronymi filius, vir vt nobilissimus, ita etiam singulari propè bonitate eximioque ingenio ornatus, ac bonarum literarum amator summus, nuper mihi librum hunc Galeni manuscriptum ac satis antiquum dedit: qui hoc in loco ita habet, ἀγαθαὶ γὰρ καὶ αἱ διὰ τούτων τῆς χολῆς καθάρσεις idest bonæ enim sunt & quæ per has vias (sudores inquam & vrinas) fiunt bilis purgationes. quæ sanè lectio alijs præstat.

C quasi reddat rationem Galenus cur sudoribus & vrinis iter sit præbendum.

Pagina 166. B

Hippocrates à consuetudinibus indicationem sumpsit.) Manca est hæc sententia in græco: ac fortasse etiam aliquid ante hæc verba legebatur. deesse saltem videtur ἔλαβε vel quid tale. est enim græce. ἱπποκράτης ἀπὸ τῶν ἐθῶν ἔνδειξιν. ὡς τε &c.

Pag. 167. B

Ex piscibus marinis alij littorales &c) Addidi ego, marinis, quòd de marinis sermo sit.

Pagina 171. C

ὑπήλατον, ait etiam Erotianus antiquus dictionum Hippocratis collector atque explanator, & Eustathius Homeri expositor quod inferiorem ventrem purgat:

D ab ὑπελαύνειν (vt Erotiano placet) vel etiam altius (vt Eustathio) ab eo verbo à quo & ὑπελαύνω deriuatur, originem trahens, hoc est ab ὑπὸ & ἐλᾶν, quod verbum per translationem etiam purgare significat. vnde ἐλατήριον, quod de omni medicamento ventris purgatorio dicitur, peculiariter verò de eo quod ex cucumere agresti fit.

Pagina 172. A

Nondum enim concoctus fuit, crassus inconcoctusque existens succus. (Græcè οὔπω γὰρ ἐπέφθη, παχὺς καὶ ἄπεπτος ὢν ὁ χυμὸς. At certè videtur quando non est concoctus, vt omnino sit inconcoctus. considera.

Pagina 172. D

E Quæ ex congressu humeralis atque axillaris fit) Græcè legitur. ἧς ἐκ συνόδου τῆς τε ὠμιαίας γίνεται. addo ego καὶ τῆς μασχαλιαίας idest & axillaris. neq; aliter meo iudicio legi debet.

Pagina 173. B

Amolitioneque) græce legitur μοχθηρίας, id est prauitate. quod hoc in loco nullum habet sensum. Iudicaui ego legendum omnino esse μοχλείας: quod sẽtentiæ quadrat. A

Pagina 173. C

Et ab vniuersis edulijs quæ refrigerant & quæ humectant. Leonicenus legere voluit, quæ refrigerant & exiccant. Vt codices tamen græci habent, non vt Leonicenus voluit omnino legendum esse: Oribasij, & Pauli, & Aetij, & Stephani testimonio comprobatur. Quin Alexander etiam Trallianus Galenum hoc in loco arguit, quod laborantem febre quartana à refrigerantibus & humectantibus abstinere iusserit. Cuius sanè Tralliani ratio conuinci potest, si locus hic eo intelligatur modo, quo Stephanus intelligi voluit, idest, coniunctim, non disiunctim. B

Pagina 173. D

Ex volucribus autem quæ non palustres sunt. Ita habent ferè omnes codices manuscripti, & ita etiam Stephanus in explanatione videtur legisse. Impressi autem habent, Ex volucribus autem quæ boni succi sunt, non palustres. Sed si aues illæ, quæ in paludibus degunt, boni succi non sunt, alterum horum videbitur abundare. Quanquam, siue hoc, siue illo modo legas, parum refert.

Pagina 176. A

μετασυγκρίνειν. Quid hoc verbum significet, Galenus libro quarto meth. medendi, & libro quinto de Simp. pharmacorum facultatibus cap. vigesimo quinto docet. Cælius Aurelianus vertit, recorporare.

Ibidem.

Quòd autem alius sit liquor Cyrenaicus, & alius qui vocatur Medicus, perspicuum est) Græce ὅτι δὲ ἄλλος ἐστὶν ὀπὸς κυρηναϊκὸς ὁ καλούμενος μηδικὸς, εὔδηλον, id est quod autem alius sit liquor Cyrenaicus, & qui vocatur Medicus, perspicuum est. Ambigua verba. Videretur ergo idem esse & Cyrenaicum liquorem, & Medicum, cùm tamen & regione inter se eos differre nomina ipsa indicent: & virib. inferiorem esse Medicum, apertè & Dioscorides, & Plinius, & Galenus plurimis in locis, & Paulus Aegineta, & Aetius afferant. Duas igitur dictiones, librarij fortasse incuria prætermissas addidi, quo locum hunc clariorem redderem. C

Pag. 177. D

In frigidis. deprauate legitur in græco ἐπὶ τῶν ἐχόντων, idest in habentibus. nam vel ἐπὶ τῶν ψυχόντων, idest in refrigerantibus, vel ἐπὶ τῶν ψυχρῶν, idest frigidis, legi debet.

Pagina 179. D

Post moderatam vacuationem) Græce διὰ τῆς ἀμέτρου κενώσεως id est ex immoderata vacuatione, Porrò antecedentia & subsequentia legendum esse indicant, post moderatam vacuationem, vel ex moderata vacuatione. D

Pagina 182. B

Neque enim pueri. οὔτε γοῦν οἱ παῖδες. Sed certè, illud γοῦν in γὲ vel quid simile mutandum est. Neque verò pueri &c. vt sit noua sententia, non causæ redditio.

Pagina 182. D

Quæ vnà cũ inutilib. vtilia egredi faciat) Græce συνανθάνειν ποιοῦσα τοῖς ἀχρήστοις τὰ χρηστά, id est quæ cum inutilib. vtilia consentire faciat. Dum hunc locũ conuerti, lineã quandã vidi dictioni συνεσθάνειν subtensam, & in margine collatum συνεκκενεῖν, arbitratus igitur sum eam dictionem alicui fuisse suspectam, qui illius loco συνεκκενεῖν legendum censuerit: quem tunc sequutus sum. Si tamen res considere tur diligentius, nec is dicendi modus improbandus videtur, quo per metaphorã vtilia inutilibus consentire dicuntur. E

Pagina 283 C

A Siue autem hoc, siue illo modo necesse sit illud per auulsionem deorsum duci, pe
ricula haud pauca mulieri infert) Græce εἴτε δ᾽ οὕτως εἴτ᾽ ἐκείνως, ἀνάγκη αὐτὸ κατενεχθῆ-
ναι ἐπισηπόμενον, κινδύνους οὐκ ὀλίγους ἐπιφέρει τῇ γυνῇ. i. Siue aũt hoc siue illo modo, nece
sse ipsum deorsum duci putrescens, pericula haud pauca mulieri inferre. Ego illud
πισηπόμενον muto in ἐπισπάμενον, neque enim satis video quo modo putrefieri pos
sit tam cito secunda, dum cum infante egreditur, sed videtur mihi sensus hic esse:
siue cum infante exeat chorion, siue postea etiam, si violenter ac per auulsionem
detrahitur, ne cesse est, vt ex immodica euacuatione sanguinis, pericula non exi-
gua sequantur. Ibidem.

Tunc igitur accidit vt sanguis multus in vasis vuluæ contentus, qui & à toto cor
pore ad nutriendum fœtum asportatur, eo (hoc est chorio) deorsum ducto euacue
tur) Græce τηνικαῦτα τοίνυν αἷμα πολὺ ἐν τοῖς κατὰ τὴν μήτραν ἀγγείοις περιεχόμενον, ὃ καὶ
B κομίζεται μὲν ἀπὸ τοῦ παντὸς σώματος εἰς τροφὴν τοῦ ἐμβρύου, κατενεχθέντος δὲ τούτου μήτρων ἐν
αὐτοῖς περιέχεται συμβαίνει κενοῦσθαι. In quibus verbis κατενεχθέντος δὲ vsq; ad finem,
mendum esse suspicatus sum. nam sine vllo ordine ac sensu inculcata illic viden-
tur μήτρων ἐν αὐτοῖς περιέχεται. ea igitur inducenda esse duxi, ac ita legendum, κατενεχ-
θέντος δὲ τούτου συμβαίνει κενοῦσθαι ita enim concinnus sensus haberi potest.

Pagina 185. A

Et cum ardenti & maligna febre non nunquam simul inuasit etiam eos quibus
extrema corporis vehementer sunt refrigerata in febrium inuasionibus. καὶ καυσώ-
δει καὶ κακοήθει πυρετῷ συνεισέβαλε ποτὲ καὶ τοῖς μεγάλως κατεψυχθεῖσι τὰ ἄκρα τοῦ σώματος
ἐν ταῖς εἰσβολαῖς τῶν πυρετῶν. Hic locus de ijs intelligi iudicio meo debet
qui in inuasione causi maligni, extremis corporis partibus refrigeratis, lipothy-
miam incurrunt, vt etiam videre est textu 205. Aliqui tamen interpretes duo esse
C membra voluerunt, hoc est vt lipothymia & inuadat cum febre maligna, & inua-
dat etiam iis quib. per febrium accessiones extrema vehementer refrigerata sun

Pag. 185. A

Causus, hoc est febris ardens, ob immodicam quandoque digestionem, largo n
mirum existente febrili calore, defectionem animi inducit. Hic locus diu ma-
gnum mihi negocium exhibuit. legitur enim gręcè συνεισβάλλει ποτὲ ὁ καῦσος τῇ
ἀμετρίᾳ τῆς διαφορήσεως γινομένης. λάβρου τοῦ πυρετώδους θερμοῦ λειποθυμίαν ἐπάγει. nescie
bã. n. quò referri deberet illud, συνεισβάλλει ποτὲ, nec syntaxin percipere vnquam va
lui. cùm tamen demum in vetusto quodam Bernardini Lauredani adolescentis
& nobilissimi & doctissimi, volumine, in quo varia Galeni aliorumque medico-
D rum scripta græcè continentur, loco verborum illorum συνεισέβαλε ποτὲ quæ in
hoc 169. textu Galeni leguntur, viderim συνεισβάλλει ποτέ; coniectatus sanè fui, fieri
potuisse, vt hęc ipsa verba olim quidem ab aliquo in margine fuerint posita è re-
gione illorum quæ in cõtextu habentur, quò in eorum fortasse locum substitue-
rẽtur: at deinde à librario indocto sine vllo iudicio (vt sæpè vsu venit) in principio
explanationis transposita fuerit. Ea igitur inducẽda esse existimo, atque ita hunc
locum esse corrigendum, ὁ καῦσος τῇ ἀμετρίᾳ ποτὲ τῆς διαφορήσεως, γινομένου λάβρου τοῦ
πυρετώδους θερμοῦ, τὴν λειποθυμίαν ἐπάγει.

Pag. 186. D

Non est ergo mors in irascentibus. Corruptè legitur λυπουμένων pro θυμουμένων.

E Pagina 187. B

Ileus est vomitus stercoris. corruptè etiam ἔμμετρος pro ἔμμεστος legitur. Sicuti
in eodem comm. intra duas coli tunicas, male etiã in gręco causi legitur pro coli.

Pagina 188. C

Quæ ſcilicet ſanguinem (qui dudum in vtero, prægnationis tempore, vt in fœtus nutritionem diſpenſaretur, erat collectus) nunc ad mãmas transferunt, vt in lactis formã transmutetur) græcê αἵτινες τὸ πάλιν συναγόμενον ἐν ταῖς ὑστέραις αἷμα κατὰ τὴν κύησιν εἰς τροφὴν τοῦ ἐμβρύου χορηγούμενον, νῦν ἐπὶ τοὺς τιτθοὺς μεταφέρουσιν, οὕτως ἂν εἰς γάλακτος ἰδέαν μεταβάλλοιτο. in quibus verbis ſi πάλιν in πάλαι & οὕτως in ὅπως mutetur, clara meo iudicio reddetur ſententia. A

Pagina 189. C

Per omnia igitur permeans, continuus ſibi ipſi eſt, qui quidem in dextera parte eſt, ei qui in dextera: qui verò in ſiniſtra, ei qui eſt in ſiniſtra) Græcus cod. habet διὰ πάντων τείνων φοιτῶν ἑαυτῷ, συνεχὲς δὲ τὸ μὲν ἐν τοῖς δεξιοῖς τοῦ ἐν τοῖς δεξιοῖς, τὸ δ᾽ ἐν τοῖς ἀριστεροῖς τοῦ ἐν τοῖς ἀριστεροῖς. ego verò ἑαυτῷ cum συνεχὲς coniunxi, diſtinctionem inter φοιτῶν & ἑαυτῷ ponens & illud δὲ quod ſtatim poſt συνεχὲς habetur, mutaui in ἐστὶ. nam in tranſcribendo, id quod eſt ſignum vnius ſæpenumero pro altero à librarijs incautè vſurpatur. illa etiam duo τοῦ mutaui in τῷ. ita enim poſtea perſpectus habetur ſenſus. Nec tamen difficile omnino fuit, hunc in modum, hunc locum emendare. B

Pag. 192. B

Sciendum autem eſt in quibus multitudo materię in corpore continetur, in illis balnea magis ventriculum irritare. materias enim fundentia, fluuidiores ipſas reddunt, atque eas omnes quæ per occultos meatus prouocari poſſunt, illac prouocant: reliquas quæ in profundo ſunt, per ventrem ac inteſtina ferri faciunt) Græca lectio non caret mendis. χρὴ δὲ εἰδέναι, ὅτι ἐφ᾽ ὧν ἐστὶ πλῆθος ὕλης ἐν τῷ σώματι περιεχόμενον, ἐπ᾽ ἐκείνων τὰ βαλανεῖα μᾶλλον ἀνατρέπει τὴν γαστέρα. χέοντα γὰρ τὰς ὕλας καὶ εὐροωτέρας αὐτὰς ποιεῖ. καὶ δυναμένας πάσας ἐπὶ τοὺς ἀδήλους ἀνατρέψασθαι πόρους, τὰς ὑπολοίπους ἐν τῷ βάθει ποιεῖ φέρεσθαι διὰ γαστρὸς καὶ ἐντέρων. An bonum ſenſum ego elicuerim alij iudicent. C

Pag. 192. C

Vt ait. καὶ φύσει. Facilis lapſus. legendum arbitror ὡς φησὶ.

Pag. 194. C

Quippe quæ non ſuccos ſolum attrahere ſoleant, ſed & ipſas etiam particulas. Gręce ἕλκειν πεφυκέναι ὠμὸν χυμὸν, ἀλλὰ δὴ καὶ αὐτὰ τὰ μόρια, ideſt, quippe quæ (ſcilicet cucurbitulæ) crudum ſuccum attrahere ſoleant, ſed &c. Quid autem ſibi velit illud ὠμὸν χυμὸν non video. Librarij ergo fuiſſe erratum conieci, atque legendum eſſe οὐ μόνον χυμοὺς, ideſt non ſolùm ſuccos. Senſus enim tunc clarus eſt.

Pag. 194. C

Vt qui paſſim decretum hoc reprobet atque redarguat) Græce πανταχοῦ γὰρ ἀπαγορεύει τὸ δόγμα τοῦτο καὶ διαλόγων αὐτό. ego διαλόγων in διελέγχει mutandum eſſe arbitror, vel in διελέγχων, inducto illo καὶ. vt qui paſſim decretum hoc reprobet, ipſum redarguens. Quod mox ex Platone citatur, ex eodem nos correximus. D

Pagina 194. C

Si magnam fore animi defectionem expectamus, ijs vinum exhibere ſatius eſt vel cum chondro, vel cum pane: ſi verò mediocrem, vinum quidem non amplius) &c. Deeſt in græco exemplari, ſi verò mediocrem, quod facile ex Galeni verbis addi potuit.

Pagina 200 D

Nunc verò ad ſermonem &c.) Tota hæc pars cum ſubſequenti textu connectenda erat in græcis & in latinis exemplaribus. E

Pagina 137. C

Spiritus) αἵματος græcè, ideſt ſanguinis, ſed πνεύματος iudico eſſe legendum.

Pagina

A Pagina 202.A

Vel congelato.) Græce ἢ ἀπὸ παλάγου & in margine ἀπὸ παγάτου. Ego ἀποπαγέντος
lego, id est congelato ac firmato. Et paulo inferius P. 202. D. vt in metu & tri-
stitia, corruptè sanè græcè legitur. ὡς ἐπὶ τε φόνου τε καὶ τῆς λύπης pro ὡς ἐπὶ τε φόβου τε καὶ τῆς
λύπης. Et paulo mox 202. E. animi defectionem, legitur τὸν θάνατον, id est mortem
cùm tamen superius Pag. 186. dixerit ex iracundia nullum perijsse. ego illa
ratione motus, legi λειποθυμίαν. Et paulo inferius. Cæterum in ijs qui terro-
rem sustinuerunt, vomitus facultatem reuocat, neutrum ex prædictis faciendo, sed
eam pungendo &c. Græce ἄλλως τε διὰ τὴν ἔκπληξιν ὑπομείναντας ὁ ἔμετος οὐδὲν τῶν εἰρη-
μένων ποιῶν οἷα καὶ ἀνακαλεῖται τὴν δύναμιν, νύττων τε αὐτὴν καὶ ἐρεθίζων καὶ οἷον ἐξ ὕπνου βαθέ-
ως ἐγείρων. Ego verò delenda esse censui οἷα καὶ & addendum ἀλλὰ post dictionem δύνα
B μιν. ita enim sensus & euidens & concinnus habetur.

Pag. 20.4 C

Sed multipliciter. nam vel per proprium affectum vel à multitudine &c.) Græcè,
ἀλλὰ πολλαχῶς ἤτοι κατ' ἰδιοπάθειαν ἢ ὑπὸ πλήθους &c. idest Sed multipliciter vel per
proprium affectum, vel à multitudine &c. Facile sanè potuit librarius ob vocum si
militudinem aliqua omisisse. legendum ergo videtur ex diuisione. ἀλλὰ πολλα-
χῶς, ἤτοι γὰρ κατ' ἰδιοπάθειαν ἢ κατὰ συμπάθειαν, καὶ εἰ κατ' ἰδιοπάθειαν ἢ ὑπὸ πλήθους &c.

Pagina 204. E

Hæc autem ipsa qualitas interdum quidem in succis non multitudine sed acrimo-
nia molestantibus, interdum quidem in vaporibus vel spiritibus natura à morda-
cioribus continetur. εἰ δὲ ποιότης αὐτὴ περιέχεται ποτὲ μὲν ἐνοχλοῦσι τῷ πλήθει λυποῦ-
C σα, ἀλλὰ τῇ δριμύτητι. ποτὲ δὲ ἐν ἀτμοῖς ἢ πνεύμασι δακνωδεστέροις τὴν φύσιν. quæ ad ver-
bum sic sonant: si verò qualitas ipsi continetur, ali quando quidem vexat non mul-
titudine molestans, sed acrimonia: aliquando autem in vaporibus vel spiritibus na
tura mordacioribus.) At certè non videtur membrum aliud hoc esse, à superiori di
stinctum, sed potius superioris subdiuisio. Nam cùm nuper signa dederit doloris
capitis à qualitate sola orti, mordicationem inquam solam sine grauitate, tensione,
aut pulsu: nunc declarat quomodo hęc ipsa qualitas, vel in humoribus vel in vapo-
ribus spiritibusúe, continetur: qui sanè humores & vapores spiritusúe, non quanti
tate sed acrimonia officiunt. Clarius igitur hic locus intelligetur, si ita legatur:
ἡ δὲ ποιότης αὐτὴ περιέχεται, ποτὲ μὲν ἐν χυμοῖς οὐ τῷ πλήθει λυποῦσι, ἀλλὰ τῇ δριμύτητι:
ποτὲ δὲ &c.

D Pagina 209. D

Ex motione ebullitioneq; succorũ inordinatè motorũ, & interdũ in alias particulas
nonnunquã circa stomachũ ipsum tendentiũ, contingit eiuscemodi ęgrotãtes inqui
etari difficulterúe tolerare. Græce ἐκ τῆς τῶν χυμῶν κινήσεως τε ζητήσεως ἀτάκτως κινουμένων
καὶ ἄλλο ἐπ' ἄλλων φερομένων μορίων, καὶ ποτὲ περὶ τὸν στόμαχον ἐφ' ὃν συμβαίνει τοὺς τοιούτους δυ-
σφορεῖν. in quibus verbis multæ videntur esse deprauationes, ita vt nec syntaxis
bona sit. ego igitur ζητήσεως in ζέσεως mutandum esse indicaui: & ἄλλο ἐπ' ἄλλων
in ἄλλοτε ἐπ' ἄλλο. & ἐφ' ὃν in αὐτόν. vt sic legatur. ἐκ τῆς τῶν χυμῶν κινήσεως τε καὶ ζέσεως
ἀτάκτως κινουμένων καὶ ἄλλοτε ἐπ' ἄλλο φερομένων μόριον, καὶ ποτὲ περὶ τὸν στόμαχον αὐτόν, συμ-
βαίνει τοὺς τοιούτους δυσφορεῖν.

Pag. 125. B

E Hæcque cephalalgia etiam post perturbationem est) Græcè καὶ ἔστιν ἡ μετὰ ταραχῆς κε-
φαλαλγία, idest & est hæc cum perturbatione cephalalgia. Meo tamen iudicio le-
gendum esset καὶ ἔστιν ἥδε μετὰ ταραχὴν κεφαλαλγία. vt transtuli. Sensus enim mihi

esse videor quæ ea cephalalgia quæ symptoma est, idest quæ vna cum morbi ini tio inuadit, quandoque fit etiam criseos signum, quando nimirum ante crisim intenditur. sed hæc ipsa etiam post crisim perseuerat, quanquam non ita intensa id quod in ea non euenit, quæ signum duntaxat est criseos, nec fuit prius symptoma.

Pagina 212. C

Post hæc considerare oportet, an hypochondrium ipsis sit retractum. Hoc enim euenit dum natura per superiorem viam excrementa veluti compellit, & tanquam propellere vult. Accidit autem sæpenumero, vt dum aliquid pellimus ipsum vnà veluti insequamur. sic & natura, dum superfluum succum conatur per superiora abigere, suffragando concomitatur. Græca ita habent: ἐπὶ τούτοις δὲ σκοπεῖν τὸ ὑποχόνδριον αὐτοῖς ἀνέσπαστε. τοῦτο γὰρ τῆς φύσεως γίνεται. οἷον συνεπωθείσης διὰ τῆς ἄνω φορᾶς τὰ περιττά, καὶ ὥσπερ αὐτὰ ἀπώσασθαι βουλομένη. συνεκπίπτει δὲ πολλάκις τῷ ἀθεμένῳ καὶ οἷον αὐτῷ συνεπόμεθα ὅλως καὶ ἡ φύσις ἀπομαχομένη διὰ τῆς ἄνω τὸν περιπλεύοντα χυμὸν ἀπελάσαι συναγωνίζεται. Mendis scatent omnia, bonum tamen sensum an elicuerim, alij iudicent.

Finis.

INDEX LOCVPLETISSIMVS

Eorum quæ in comm. Stephani Athen. in I. Galeni Terapeutices habentur.



FFf

contraria
ibid.

D

Febrium

P

Q

T

INDICES II. RVFFI ET THEOphili Librorum chirurgicorum

Brachium

Fundum

Molares

INDEX

Ex the-

EX THEOPHILO DE CORporis Humani fabrica.

ins

FINIS

